

et expectatur misericordia, in tempore vero resurrectionis pax consummabitur atque iustitia. Propterea quando dicitur, *Agnus Dei*, in duobus primis est convenientia, in tertio est differentia.

**CAP. X. De tribus ordinibus sanctorum in Canone positorum.**

Denique diligenter attendendum est et vigilantissime inquisitione perquirendum quare in Canone tres ponantur ordines sanctorum. Tres videlicet sancti de omnibus Patribus, qui fuerunt ante legem: Abel, Abraham et Melchisedech; Novi vero Testamenti plures, id est viginti quinque et majoris auctoritatis ante consecrationem; pauciores vero, id est quindecim et minoris auctoritatis post consecrationem. Tres prædicti tantum de omnibus Patribus qui fuerunt ante legem, idcirco præcipue ponuntur in Canone, quia in istorum personis et sacrificiis, persona et sacrificium Christi maxime præfigurabatur. Abel enim agnum de grege obtulit et per invidiam a fratre occisus fuit. Abraham per obedientiam de terra et cognatione sua exiit et unicum filium obtulit. Melchisedech qui rex pacificus et iustitiæ dicitur, sine patre, sine matre, assimilatus Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum, et in figura Christi obtulit Abraham panem et vinum. Novi Testamenti plures, id est quinquies quinque et majoris auctoritatis ideo ponuntur sancti ante consecrationem, quia ut digne officio et ministerio nostro res mirabiliter fiat, id est substantia panis et vini in verum corpus Christi et

sanguinem transeat, pluribus et majoribus auxiliis indigemus, et quinquies sensuum perfectione multiplicandi et consummandi sumus. Post consecrationem pauciores, id est quindecim et minoris auctoritatis ideo ordinantur sancti, ut eorum meritis et precibus quindecim gradibus charitatis ascendamus, et uniti in sanctorum consortium transeamus. Multo quidem mirabilius et majus est substantiam panis et vini verum corpus et sanguinem Christi fieri, quam nos in sanctorum consortium admitti. Idcirco per Abel vera innocentia, per Abraham vera et perfecta obedientia, per Melchisedech fides designatur devota et integra. Istæ tres virtutes veraciter in illis redolent qui omnipotenti Deo corporis et sanguinis Christi sacrificium fideliter immolant. Sancti patres magna subtilique consideratione instituerunt, ut in canone missæ nullus confessorum vel virginum, nisi qui martyrio sanguinis purgatus est, nominetur, quoniam de martyribus nulla dubietas est: quin statim de corporibus egredientes eorum animæ regnum cælorum conscenderint. De cæteris autem qui in pace Ecclesiæ transierunt, incertum est utrum adhuc in alia vita aliquid expiandum habeant. Sicut de Paschasio diacono refert beatus Gregorius, quod et post mortem miracula fecerit, et tamen a sancto Germano pœnitentiam agens repertus sit pro levissima culpa, quam nec culpam esse credidit, et ideo fletibus non exstinxit. Salutari hostia post mortem liberari merebimur, si ante mortem Deo ipsi hostia fuerimus.

# MISCELLANEA.

## LIBER PRIMUS.

### ELUCIDATIONES VARIE IN SCRIPTURAM MORALITER.

*Quæ miscellanea dicuntur, quod mistim et confuse procedunt; alii enim ista ab ipso Hugone collecta censent, ut ea, ubi commodum viderit, ad institutum suum applicet; alii non ab Hugone, sed ex operibus Hugonis, ut sententiarum foscucos excerpta existimant, eo quod plurima ejus scriptis inserta deprehenderunt: quæ si impressa invenero, titulum duntaxat et locum signavero.*

**TITULUS I. De eo quod spiritualis dijudicat omnia, et de judicio veri et boni.**

*Spiritualis dijudicat omnia (I Cor. II).* Spiritus spiritalem facit. Ipse spiritus, ipsa est unctio quæ, cum mentem tetigerit, de omnibus docet. Ipsa una est, et docet de omnibus. Nec mirum si omnia docet, quæ omnia continet. Una est sapientia et in ipsa omnia sunt; et omnia in ipsa non aliud sunt quam ipsa. Ibi unum omnia, et omnia unum sunt. Neque idcirco non unum sunt quia omnia sunt, neque ideo non omnia sunt, quia unum sunt. Pariter magnitudo et simplicitas: unitas et universitas. Unum bonum est, et in illo bono omne bonum est. Si videre cupis, lumen est et species. Lumen est quoniam per ipsum vides. Species quoniam ipsum vides. Et quid est videre ipsum? Quæsit ille ut videre mereretur, dicens: *Si inrenit gratiam ante te, ostende mihi teipsum. Et ait: Ego ostendam tibi omne bonum (Exod. XXXIII).*

**Videte, ipsum videre petit, et ille omne bonum se ostensurum promisit. Quasi aliud offerre videtur quam fuerat rogatus; sed non aliud est, sed ipsum idem. Omne bonum ipse est, et ipsum videre, omne bonum videre est. Qualis ergo putas est species ista in qua omnis pulchritudo videtur? Multum tibi confert lumen hoc corporale, quando per ipsum vides; non tamen totum confert, quia et aliud vides et totum in ipso non vides, quoniam aliud vides quod lumen non est ipsum, quamvis et hoc videas per lumen. Quoniam autem per hoc lumen vides, totum per ipsum vides, et totum in ipso vides; et totum quod in ipso vides, ipsum est quod vides. Tale lumen est spirituale, quod cum se illuminandis præstat, qui ipsum vident totum vident. Ex hoc ipsum bonum quod spiritualibus oculis lumen est et species, spiritualibus auribus canticum est. Quærunto oculi gaudium suum; venit bonum hoc, et dicit: Lumen suum.**

Quærent aures gaudium suum; venit bonum hoc et dicit: Canticum sum. Auditum fuit canticum quoddam novum, ut et suavitas et novitas jucunditatem augerent: Suavitas ad delectationem, novitas ad admirationem. Et infusum est auribus gaudium suum et dicit bonum hoc: Quærite me, hoc sum ego. Clamant fauces, et dicit sapor: Sum; nares, et dicit odor: Sum; tactus, et respondet suavitas: Sum. Ego totum sum; et totum quod sum bonum sum; et qui me habet totum habet. Non poterat corporea natura spiritualem perfectionem æmulari ut in uno omnia contineret. Propterea multa corpora fieri necesse erat ut, quod non poterant per se singula, simul facerent universa. Si album solum factum esset, nigrum non esset. Non poterat autem corpus unum album simul et nigrum esse. Et quæcunque contraria erant, in uno solo esse non poterant. Itaque si unum quodcunque solum factum esset, omne quod est præter unum non esset. Ratio autem contrariorum contraria non est; et idcirco spiritus, in eo quod rationem omnium continet, omnia per rationem continet; et cum sit unus et simplex natura, multiplex est tamen sapientia, sicut stabilis veritate et mobilis subtilitate. Hic ergo spiritus quando se per gratiam cordi infundit, sicut in ipso omnium veritas continetur, ita per ipsum, quomodo vult et quantum vult, omnium cognitio ministratur; et incipiunt quodammodo omnia esse in illo qui accipit, sicut omnia sunt in illo qui dedit. Qui enim videt oculo contemplationis, videt Deum et ea quæ in Deo sunt. Qui videt oculo rationis, videt animum et ea quæ in animo sunt. Qui videt oculo carnis, videt mundum et ea quæ in mundo sunt. Qui autem videt ea quæ videntur oculo contemplationis, videt et ea quæ videntur oculo rationis et ea quæ videntur oculo carnis, quia in superioribus inferiora cognoscuntur. Qui autem videt oculo rationis, ea quidem quæ videntur oculo carnis videt; sed non similiter ea quæ videntur oculo contemplationis videt. Qui vero oculo carnis videt, ex eo nec ea videt quæ videntur oculo contemplationis, nec ea quæ videntur oculo rationis. Propterea igitur *spiritualis dijudicat omnia*, quia sicut per oculum contemplationis ea videt quæ in Deo sunt, ita per oculum rationis contemplatione illuminatum ea videt quæ in animo sunt, et per ea et in eis ea quoque quæ in mundo sunt. Qui ergo omnia videt, de omnibus judicare potest, quia nihil ab ejus judicio subtrahitur a cujus cognitione nihil occultatur.

Sic itaque *spiritualis dijudicat omnia*. Quid est *omnia*? Omnem veritatem, sapientiam, omnem bonitatem, experientiam. Per sapientiam judicat omnem veritatem. Per experientiam judicat omnem bonitatem. Duo sunt verum et bonum, et in his duobus constat omne bonum. Sicut lumen istud corporeum duo in se habet, splendorem et ardorem, et per splendorem quidem illuminare, per ardorem autem accendere vel calefacere habet, sic summum bonum mentem quam replet et ad cognitionem veritatis illuminat, et ad amorem bonitatis inflamat. Utrum-

A que ministrat spiritus unus, cognitionem scilicet et dilectionem. Cognitio præstat judicium veritatis, dilectio præstat judicium bonitatis. In utroque errant homines. Quidam errant in judicio veritatis excæcati per ignorantiam, quidam errant in judicio bonitatis excæcati per malitiam. Quid est malitia? voluntas mala. In voluntate mala dilectio mala. Sicut enim bona dilectio mentem illuminat, sic dilectio mala mentem excæcat. Omni homini bonum videtur quod diligit. Scriptura dicit: *Væ iis qui dicunt bonum malum, et malum bonum* (Isa. v). Malum bonum dicunt qui malum diligunt, et rursus bonum malum dicunt quod bonum odiunt. Quid est diligere? Approbare. Qui approbat laudat, et bonum putat quod probat. Quid est odire? Improbare et malum putare, hoc est judicium falsum, in quo et malum bonum et bonum malum dicitur. Alius dicit: Bonum est; alius dicit: Malum est; et contendunt homines erroribus suis excæcati, quia spiritum non habent per quem de omni vero et de omni bono judicare debuerunt. *Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum* (Eccle. iii). Ideo litigant homines contententes judicio, et non possunt recte judicare de bono, quia neque bonum in veritate, neque verum in bonitate cognoverunt. Et quia vere non cognoscunt quid sit bonum, non possunt recte judicare de bono. Omnis enim qui aliquid judicat, secundum aliquid judicat. Alioquin nihil judicatur, nisi aliud sit certum et notum, cujus comparatione sive collatione ipsum quod dubium est discernatur. Et ipsum quidem, secundum quod aliud judicatur, quasi regula est cui illud quod ex ejus comparatione judicandum est, quodammodo conferatur et coaptatur. Omne autem quod secundum rectum judicatur, recto judicio judicatur, quoniam cum illo aut convenire invenitur et rectum esse, aut discrepare ab illo et esse distortum. Quod autem judicatur secundum id quod distortum est, statim ipsum non recto judicio judicari necesse est, quia sicut quod discordat a torto, semper rectum invenitur; quod concordat, tortum esse non dubitatur.

Itaque in sola rectitudine certum judicium est, quia quod convenit cum illa, semper rectum esse necesse est; et quod discordat ab illa, nunquam rectum esse potest. Si ergo rectitudo regula est omnis iudicii, secundum illam utique rectitudinem rectissime omnia judicantur a qua et per quam quæ recta sunt omnia et formantur ut recta sint, et probantur si sunt. Quæ est autem summa rectitudo nisi summa veritas et summa bonitas? Summa veritas regula omnis veritatis. Summa bonitas regula omnis bonitatis. Omne igitur bonum judicatur secundum summum bonum. Quale bonum ipsum est, et quantum bonum est. Est autem quoddam summum bonum vere summum et vere bonum, et omnia quæ ad ipsum bona sunt vera bona sunt. Est item quoddam summum bonum nec vere summum nec vere bonum; et ideo omnia quæ ad ipsum bona

sunt, non vera bona sunt. Omnia tamen bona, tantum bona sunt, quantum ad summum bonum bona sunt. Quod vere summum bonum est, universaliter summum est. Quod autem non vere summum bonum est, non universaliter, sed in suo genere tantum summum bonum est. Sunt itaque duo quædam summa bona; aliud vere summum et vere bonum; aliud in suo genere summum et in suo tantum genere bonum. Sed quid dicemus? Nonne summum bonum Deus est? Si ergo duo summa bona sunt, duo utique dii sunt. Et fortasse quod ait Apostolus: *Si quidem dii multi sunt et domini multi (I Cor. viii)*, hoc ipsum significare voluit, quia illic quique secundum aliquem modum non inconvenienter Deus dicitur, ubi in sui generis bono summus invenitur. *Nobis autem ait, unus Deus est (ibid.)*. Quid est nobis? Tendentibus ad summum bonum. Ad summum enim bonum tendentibus unus est. Ad verum bonum tendentibus verus est. Inferioribus positus quibus ad verum bonum pervenire non datur, alia quædam summa bona sunt quæ vere summa non sunt, et ideo vera non sunt, summa tamen in suo gradu et ordine constituta. Et quod cuique summum est hoc illi Deus est. *Ecce, inquit, Deum Pharaonis constitui te (Exod. vii)*. Ecce duo dii, imo tres: Moyses in Ægypto, homo in mundo, Creator in celo. Et habet unusquisque Pharaonem suum. Quid est Pharaonem? Negatorem et contradictorem. Pharaon interpretatur *negans eum*, id est Deum. *Dominum, inquit, non cognovi, et Israel non dimittam (Exod. v)*. In hoc negans eum dicitur. Quid est negare Deum? Summum bonum negare. Deus enim summum bonum est. *Qui negat, inquit Apostolus, Christum in carne venisse, hic est Antichristus (I Joan. ii)*, hoc est contrarius Christo. Si ergo qui negat Christum, Antichristus est, igitur qui adversatur et contrarius est summo bono, hic negat summum bonum, et est Pharaon, id est negans eum. Quid est contrarium vero bono nisi verum malum? Et non vero bono, nisi non verum malum? Ecce ergo constitimus tres Pharaones contra tres deos. Moysi adversatur tyrannus Ægyptius, homini mundus, Deo diabolus. Primus crudelitate, secundus adversitate, tertius iniquitate. Primus sævitiam, secundus pœnam, tertius malitiam opponit. Interiorem vitam in anima extinguere conatur iniquitas; exteriorem vitam in corpore extinguere conatur mortalitas. Moysi vitam conatur extinguere Pharaonis crudelitas.

In his omnibus contradictiones sunt. Sunt igitur deo summa bona, utrumque in suo ordine. In spiritualibus bonis Deus summum bonum est, quoniam et ipse spirituale bonum est. In corporalibus bonis homo summum bonum est, in quantum ipse corpus est et supra corporalia omnia conditus est, et omnia corporalia quæ facta sunt propter ipsum facta sunt. Sicut ergo spiritualia bona omnia ad illud bonum referuntur quod in suo genere summum est, ita quoque corporalia bona omnia ad illud referuntur bonum quod inter corporalia omnia supremum collo-

catum est. Sed in spiritualibus bonis summum bonum Deus est, in corporalibus bonis summum bonum homo est. Itaque corporalia bona ad hominem referuntur quasi ad summum suum; spiritualia bona quæ in cognitione veritatis et amore bonitatis consistunt, ad Deum referuntur, velut ad summum suum. Corporalia bona ad hominem bona sunt, quia hominis bona sunt. Spiritualia bona ad Deum bona sunt; non quia Dei bona sunt, sed quia ex Deo bona sunt. Ista ab homine bona non sunt, sed homini bona sunt; illa a Deo bona sunt. Quidquid enim extra ipsum bonum est ab ipso quidem bonum est, sed ipsi bonum non est, qui solus ipse bonum suum est. Omne tamen bonum ideo bonum est, quia ad summum suum bonum bonum est, et in tantum bonum est, in quantum ad ipsum bonum bonum est. Per summum igitur bonum reliqua omnia dijudica et ipsum quasi regulam justitiæ in iudicio universorum constitue. Quid est bonum? Quod bonum est ad summum bonum. Quod est vere bonum? quod bonum est ad verum bonum. Quid est bonum esse ad illud? prodesse ad illud. Quod convertit et ducit ad illud; et si non ducit conducit tamen. Si prodest ad illud, ducit. Si prodest illi, conducit. Spiritualia bona ad summum suum ducunt, quia prosunt ad illud. Corporalia bona ad summum suum conducunt, quia prosunt illi. Quid est malum? quod malum est ad summum bonum. Quid est verum malum? quod malum est ad verum bonum. Quid est malum esse ad bonum? nocere illi vel nocere ad illud. Quid est nocere ad illud? facere ut illud amittatur, vel facere ut non obtineatur. Ergo corporalia bona omnia et mala ideo bona sunt vel mala, quia bono quod summum est ad illa prosunt vel nocent. Spiritualia autem bona omnia et mala, ideo bona vel mala sunt, quia ad bonum quod summum est ad illa, prosunt vel nocent; et tantum utraque bona sunt vel mala; quantum prosunt vel nocent sive illi sive ad illud. Quæcumque autem corporaliter bona dicuntur, secundum quod bona sunt homini; bona dicuntur. Quæcumque autem corporaliter bona sunt homini, secundum quinque sensuum perceptionem, bona sunt, per quos videlicet sensus et animæ commercium est ad mundum, et mundo ad animam. Omnes formæ rerum et figuræ et colores et species secundum visum bona dicuntur, quia visum fovent, et secundum visum placeant homini; et quæ magis visum delectant magis bona dicuntur, sicut illa quæ cruciant, mala.

Similiter in sonis et canticis quæ auditum delectant, bona dicuntur: et quæ cruciant mala; et quæ magis delectant vel cruciant, magis bona vel mala. Ad hunc modum in odoribus quoque quæ amplius olfactum delectant magis bona dicuntur; quæ dolore afficiunt et cruciant, mala nominantur. Similiter in gustu et tactu invenitur. Sic ergo quæcumque corporaliter bona dicuntur propter corpus hominis, bona dicuntur, propter quod facta sunt ut illi bona essent omnia. Si ergo corporalia bona om-

nia ad corpus hominis referuntur, quanta putanda est excellentia animæ rationalis, quæ inestimabili dignitate ipso corpore superior invenitur? Quatuor itaque genera boni distinguuntur, vera bona et vera mala, non vera bona et non vera mala. Vera mala homo facit; non vera mala homo patitur. Vera mala sunt in culpa, non vera mala sunt in pœna. Scriptum est: *Si est malum in civitate quod Dominus non fecerit (Amos III)*. Quod ad culpam homini est, homo facit; quod ad pœnam est homini, Deus facit. Ergo homo culpam facit, Deus pœnam. Culpa verum malum est, pœna non verum malum. Vide dispares factores. Deus facit verum bonum, homo non verum bonum. Rursus homo verum malum facit, Deus non verum malum. Sicut nullum malum est intus ad culpam quod homo non facit, ita nullum malum est foris ad pœnam quod Deus non facit; sed homo cum malum facit sibi facit, et ideo malefacit. Deus cum malum facit non sibi facit, sed homini malefacienti; et ideo non malefacit. Homo intus stulte loquitur peccando; Deus foris stulto respondet secundum stultitiam ejus peccatum puniende. Sunt ergo quatuor, verum bonum et verum malum: et non verum bonum et non verum malum. Et omnia hæc comparatione summi boni judicantur utrum bona sint an mala; et si sunt, quanta sint. Tria vero sunt genera boni: Est quoddam bonum, quod in se est bonum et non ad aliquid. Est item quoddam, quod non in se est bonum, sed ad aliquid. Et est rursus aliud, quod et in se est bonum et ad aliquid. Primum est infimum bonum, secundum medium, tertium summum. Sicut enim optimum est quod et in se et ad aliud bonum est, sic et infimum est quod in se tantum bonum est, quia illo melius est hoc quod, licet in se bonum non sit, ad aliud tamen bonum est. Quia enim ex eo majus bonum est, ipsum esse melius est, quia melius est quod ex ipso est. Aliquando autem ex verbo bono verum bonum nascitur, sicut quando ex una virtute alia virtus procreatur. Aliquando ex vero bono verum malum oritur, sicut quando animus ex virtute per superbiam inflatur. Rursus ex vero malo verum malum nascitur, quando ex uno vitio aliud procreatur. Item ex vero malo verum bonum oritur, sicut quando ex culpa humilitas oritur.

Duo: fuerunt Pharisæus et publicanus, unus justus, alter peccator. Ex justitia Pharisæi orta est elatio; ex injustitia publicani, humilitatio. Illic ex vero bono verum malum; hic ex vero malo verum bonum. Item ex non vero bono non verum bonum nascitur, sicut quando ex fomento corporis sanitas corporalis comparatur. Rursus ex non vero bono non verum malum nascitur, sicut quando ex dulcedine cibi faucibus irritatis per immoderatam edacitatem stomachus oneratur. Ex non vero malo non verum malum nascitur, sicut quando ex pœna corporis infirmitas corporalis generatur. Item ex non vero malo non verum bonum oritur, sicut quando ex pœna corporis sanitas corporalis generatur. Si

enim pœna malum est in amaritudine potionis, sanitas bonum est in adeptione curationis. Ex vero item bono non verum bonum; et non verum malum oritur, sicut quando ex continentia mentis et corpus ab edendi superfluitate cohibitum in sua sanitate conservatur, et caro per abstinentiam macerata, ipsa etiam boni operis executione affligitur. Ex vero similiter malo non verum bonum et non verum malum oritur, quando id, quod continentia facere dicimur, idem ipsum sive in sanitate corporis, sive in maceratione carnis avaritia operatur. Ex non vero bono et verum bonum et verum malum nascitur, sicut quando animus ex fomento carnis sive ad virtutem, sive ad vitium inflammatur. Ex non vero item malo et verum bonum et verum malum oritur, quando ex pœna corporis animus vel exercetur ad justitiam, vel ad iniquitatem inclinatur. Cum sic igitur et ex bono et malo bonum pariter et malum proveniat, quod ex bono bonum, et ex malo malum oritur, ipsa quidem boni et mali natura operatur. Quod autem ex bono malum vel ex malo bonum provenit, alterius vel malitia vel bonitas facit, illic abutentis bono, hic bene utentis malo ad bonum, maxime si verum est bonum vel malum quod fit, sive verum sive non verum sit ex quo fit. Quia ergo ut ex vero malo verum bonum proveniat non potestatis humanæ, sed divinæ bonitatis opus est, nunquam homini verum malum faciendum vel patiendum conceditur, ut inde bonum oriatur. Propterea cum dixisset Apostolus: *Ubi abundavit iniquitas, superabundavit et gratia (Rom. v)*, et quidam ex hoc occasionem sumere conarentur quasi idcirco homini malum faciendum esset, quatenus ex eo postmodum bonum proveniret, subjunxit de talibus: *Quorum damnatio justa est (Rom. III)*. Si enim homo male facit, et ex ejus malo postea Deus benefacit, homo quidem pro eo quod malefacit juste damnatur; Deus autem pro eo quod de malo bonum facit juste clarificatur. Quod malum est, hominis est; quod ex malo bonum est, Dei est. Propterea tu malum cave, quia si malum feceris, ex eo bonum facere non potes.

Similiter quamvis ex vero bono aliquando verum malum oriatur, non ideo tibi bonum vitandum est, ne malum inde eveniat, quia etiam cum bonum factum fuerit, in tua adhuc potestate est ut malum non fiat. Propter hoc ne malum facias propter bonum, quia in tua potestate non est, ut ex malo bonum fiat; nec bonum dimittas propter malum, quia etiam, facto bono, in tua adhuc potestate est ne malum fiat. Et hoc quidem de vero bono et vero malo intelligendum est. Sane de non vero bono et non vero malo hanc hominem cautelam habere oportet, ut quia hæc in ejus potestate sunt, et eis sive ad verum malum abuti, sive ad verum bonum uti potest, ita ipsa pro tempore et causa sive ad agendum sive ad patiendum suscipiat, quatenus semper ea vel ad fructum vel ad usum adipiscendi boni convertat. Ad fructum veri boni cooperante gratia, ad usum non

veri boni cooperante natura. Mors carnis, quia A pœna est, semper malum est, sed semper mala non est. Similiter vita carnis, quia natura est, semper bonum est, sed semper bona non est. Bona vita est in qua est bonum meritum; bona mors est post quam est bonum præmium. Mala vita est in qua est sensus sive virtute; mala mors est in qua pœna est sine retributione. Quia ergo nec vita carnis, nec mors, neque ea quæ in vita vel in morte sunt, vera bona vel mala sunt, ita his omnibus homo uti debet, ut sive bona sint sive mala quæ sustinet, omnia ad usum bonitatis inclinet. Ad usum veri boni, non verum bonum, vel non verum malum inflectitur, quando homo vel in vita virtutem exercet, vel in morte præmium virtutis meretur. Ad usum non veri boni non verum bonum vel non verum malum inflectitur, quando ea quæ in vita vel suavia vel amara sunt, ad sanitatem corporis servandam vel reparandam disponuntur. Sed hæc omnia quando ad verum bonum homini proficiunt? Proficiunt cooperante gratia, quando ad non verum bonum cooperante natura.

Tit. II. De cibo Emmanuelis, de quo scriptum est :  
*Butyrum et mel comedet,* etc.

De cibo Emmanuelis magna quæstio est, quare *butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum* (Isa. vii). Butyrum est, ut omnes nostis, pinguedo ex carne veniens. Mel dulce de rore cæli descendens. Quid igitur per butyrum accipimus, nisi refectionem boni operis quod per corpus exprimitur? Et quid per mel, nisi eam quæ dono gratiæ desuper infunditur dulcedinem contemplationis? Ipse ergo butyrum et mel comedit qui in homine assumpto et desuper plenitudinem spiritus accepit, et sicut homo subter per carnem opera virtutum exhibuit. Butyrum enim et mel comedere est cor in affectu pietatis, et foris per bona opera, et intus per contemplationem exercere. Sed alius ad refectionem comedit, alius ad delectationem. Qui in plenitudine virtutis vel nondum habita vel amissa defectum patitur, is cibo indiget, ut refectione roboratus solidetur. Qui autem in plenitudine sua defectum sive diminutionem non recipit, is cibum ad refectionem non requirit. Nos igitur qui puri homines sumus, et per accessum temporis ad augmentum virtutis proficimus, pro necessitate nostri defectus, butyrum et mel non solum ad delectationem, sed etiam ad refectionem manducamus. Butyrum, ut in nobis per opera pietatis foris exerceatur amor proximi. Mel, ut per contemplationem veritatis intus nutriatur amor Dei. Sed ille homo ad refectionem butyro et melle non eguit in quo a principio conceptionis suæ, ex quo homo esse cœpit, omnium semper p'entudo virtutum fuit. Comedit tamen homo ex tempore, qui ipse cibus fuit Deus ex æternitate. Comedit non ut se jejunum fieret, sed ne plenus jeunos fastidiret. Comedit butyrum, non ut virtutem charitatis in se per opera auget, sed ut in nos ejus affectum effunderet. Comedit mel supernorum dulcedinem,

nec pro ignorantia requirens, nec pro defectu appetens, sed præsentem semper plenissima cognitione aspiciens, et possessa perfectissima charitate utens. Non ergo ad refectionem, sed ad delectationem comedit qui, plenitudinem possidens, idem ipse perfectio fuit. Butyrum comedit, quando implevit quod de eo prædictum fuerat per Psalmistam : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum : quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet ; et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur* (Psal. i). Mel comedit, quando implevit quod scriptum est : *In lege ejus meditabitur die ac nocte* (ibid.). Ut sciat reprobare malum : *Qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit : et in cathedra pestilentiæ non sedit* (ibid.). Et eligere bonum : *Sed in lege Domini voluntas ejus* (ibid.). Ergo butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Fortasse butyrum comedet ut sciat reprobare malum, et mel comedet ut sciat eligere bonum. Ergo comedendo didicit Christus reprobare malum, et eligere bonum. Si enim non comedisset, non gustasset. Si non gustasset, per experientiam non novisset. Ergo comedit, et gustavit ; gustando sensit et agnovit. Quid comedit? Butyrum et mel. In butyro aliquid amaritudinis mistum erat. In gustu mellis nihil amaritudinis inveniri poterat. Et propterea illic inventum est quod merito reprobari ; hic autem nihil, nisi quod jure eligi debuisset.

Videamus nunc amaritudinem butyri. Filius Dei per humanitatem in mundum veniens, multa opera pietatis humano generi exhibuit, verbo docuit, exemplo provocavit. Et ut postremo Salvatorem mundi se indubitanter astrueret, mentibus humanis assiduis virtutibus et miraculis occultam in carne suæ divinitatis majestatem aperuit. Totum hoc butyrum erat, et ubi est amaritudo. Omnia ergo hæc faciendo butyrum comedit. Sed quia cum natura etiam infirmitatem assumpserat ista agendo cum affectu pietatis in fame et siti, frigore et æstu, labore et fatigatione, cæterisque nostræ mortalitatis pœnis et defectibus sustinuit amaritudinem passionis. *Jesus enim quodam tempore fatigatus ex itinere sedebat super fontem, et veniente Samaritana, potum petiit, dicens : Da mihi bibere* (Joan. iv). Ecce amaritudo. Postea venientes discipuli, escasque quas emerant deferentes, *mirabantur quod cum muliere loqueretur* (ibid.). Sed et ille ostendere volens quid in butyro eligeret, et quid reprobaret, postulantis ad manducandum accedere ait : *Ego cibum habeo quem vos nescitis* (ibid.). Et deinceps statim : *Mens, inquit, cibus est ut faciam voluntatem Patris mei* (ibid.). Hic demonstravit butyrum. Cibus, inquit, quem vos nescitis butyrum est. Cibus quem vos scitis, amaritudo. Sed quia iste sine illo non sumitur, ego veni in illo istum comedere, et in isto illum reprobare. Videamus adhuc alibi butyrum majorem amaritudinem habens. Alio quodam tempore cum doceret turbas Judæorum, ait : *Amen dico vobis : Si*

quis sermonem meum servaverit mortem non gustabit in æternum (Joan. viii). Ecce bonum butyrum. Sed adest amaritudo. Et illi: *Nunc cognovimus, inquit, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est et propheta; et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum (ibid.)*. Sed Jesus abrasa amaritudine ad esum butyri se convertens, ait: *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum (ibid.)*. Judæi vero rursus amaritudinem aspergentes, tulerunt lapides ut jacerent in eum (ibid.). Et sequitur reprobatio mali. *Jesus autem abscondit se, et exiit de templo (ibid.)*. Adhuc videamus alibi: *Ambulavit in porticu Salomonis. Et circumdederunt eum, dicentes: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam (Joan. x), et ille: Loquor vobis, et non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me, ecce butyrum, sed vos non creditis (ibid.)*, ecce amaritudo. Sequitur reprobatio: *Quia non estis ex ovibus meis (ibid.)*. Et rursus: *Ego et Pater unum sumus (ibid.)*, ecce butyrum. Sequitur: *Tulerunt lapides Judæi ut jacerent in eum (ibid.)*, ecce iterum amaritudo. Sed ille amaritudinis gustu ab appetitu dulcedinis averti non poterat. Nam subditur: *Respondit eis Jesus, dicens: Multa opera bona ostendi vobis ex Patre meo (ibid.)*, hic est butyrum. Sequitur amaritudo: *Propter quod opus me lapidatis (ibid.)*. Et alibi adhuc aliam super aliam: *Querebant eum apprehendere (Joan. vii)*. Sed ipse, malum reprohans, *exiit de manibus eorum*. Et quid singula narramus? Raro unquam invenimus Jesum sine amaritudine manducasse butyrum. Postremo novissimam illam magnamque amaritudinem butyrique dulcedinem malique reprobationem quis considerans non miretur? Pependit Dominus Jesus in cruce ut pro pietatis dulcedine poculum amaræ mortis degustaret, et circumdantibus eum inimicis atque post dira vulnera voces blasphemias in eum jaculantibus, ipse, suavitatis cibi sui non inmemor, ait: *Pater, ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt (Luc. xxiii)*. Ecce butyrum optimum, magnis quidem amaritudinibus foris aspersum; et tamen dulcorem suum interius conservans illæsum. Ut ergo demonstraret quod sine corruptione suæ dulcedinis sponte amaritudinem suscepisset, exostulans, ait: *Sitio. At illi obtulerunt ei acetum cum felle mistum; et cum gustasset, noluit bibere (Joan. xix)*. Gustavit et reprohavit, quia sustinuit et abjecit. Passus est, et superavit. Nunquid non jam palam est quomodo Emmanuel noster butyrum comedat ut sciat reprobare malum? Quia in homine Deus opus pietatis exhibens, et impiorum persecutionem sustinens, quam sit reprobanda eorum pravitas per experientiam sensit, quam per providentiam prius ideam ipse reprohavit.

Nunc libet intueri quomodo mel comedat Emmanuel iste, ut sciat eligere bonum. In gustu quidem mellis nihil amaritudinis invenitur, et propterea totum quod ibi est ab experiente eligitur. Ergo mel

comedit ut sciret eligere bonum. Sed quid dicimus? Qualis est laus ista (si tamen laus dicenda est) quod Deus homo per experientiam bonum didicit, qui semper idem ipsa bonitas fuit? sed hæc pietatis laus est, et præconium misericordiæ ejus, qui pro nobis ita inclinari dignatus est, ut accipere posset in eo quod assumpsit id quod semper habet in eo quod fuit. Hoc enim Deus homo per experientiam gustavit ex tempore, quod ipse homo Deus per naturam erat ex æternitate. Ergo mel comedit divinitatis humanitas, cum se infudit atque univit infirmitati majestas. Ibi humana natura pleno satietatis gustu superuam dulcedinem haurire cœpit, ubi totum quod est Deus ineffabili gratia sibi unitum accepit. Tamen comedere hominis erat, esse cibum divinitatis. Verus ergo homo Emmanuel qui mel comedit ut sciret eligere bonum. Verus Deus Emmanuel, qui mel fuit non per experientiam discens, sed per naturam sciens seipsum bonum. Unus tamen et idem per se et per naturam sciens et per experientiam discens. Quia idem ipse homo accepit per experientiam quod fuit Deus ipse per naturam. O Emmanuel bone, nobiscum Deus, propterea tu butyrum et mel comedere potuisti, quia Emmanuel factus es nobiscum Deus. Deus enim apud te, nec accipere potuisti quod eras, nec quod non eras sustinere. Propterea Emmanuel factus es nobiscum Deus, ut in nostro humiliatus, in ipso et desuper quod tuum erat acciperes, et quod nostrum erat subitus, tibi sociares. Ergo Emmanuel factus es nobiscum Deus, ut posses butyrum et mel comedere, et inter comedendum disceres, bonum eligens, malum reprobare. Sed quid dico? quis est sapiens ut intelligat hæc? Qualis ergo tu Deus eras antiquus a principio qui in principio lucem divisisti ac tenebras, si bonum eligere et malum reprobare nesciebas? An forte et hoc nescire virtutis erat, et discere dignationis, quia electio ad divinam naturam non pertinuit, cujus ad utrumlibet se habere non fuit? Ergo Emmanuel eligere et reprobare didicit, quia qui in sui natura conditioni non subjacebat, in nostra liberum arbitrium assumpsit. Cui in se confirmato dedit posse non posse in malum deficere, et boni electionem voluntate libera sine coactione. Neque idcirco minus liberum eo quod nec aliud pati possit voluntarium, nec ad aliud compelli invitum. Sed idcirco vere et summe liberum, quia non possit vel aliud pati quam velle, vel aliud velle quam posse, sive aliud posse quam bene velle. Sic Emmanuel butyrum et mel comedit, ut sciat reprobare malum et eligere bonum, quia in humana natura, quam assumpsit, rationali judicio voluntatis sanctæ malum deseruit et bonum elegit, sicut scriptum est: *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea anxii te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (Psal. xlv)*. Simili genere locutionis de ipso dicit Apostolus: *Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ (Heb. v)*

Christus enim ex iis quæ passus est obedientiam didicit, quia qui Filius erat æqualis per naturam ut subesse posset id quod inferius possibile erat per gratiam assumpsit. Quasi enim discere fuit quod per naturam in suo non habuit in usum ex alieno assumere. Solum nunc restat, si forte invenire possimus Emmanuelem nostrum butyrum et mel non ad refectionem, sed ad delectationem manducantem, ne quod fecit necessitas sit, sed voluntas. *Obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis (Luc. xxiv)*, Immortalis et impassibilis jam fuit factus, et cibo corporali non indiguit; tamen ut demonstraret quod fuit, comedit voluntate, non necessitate. Omnia itaque bene cederent, si obtulissent ei butyrum et favum mellis, nisi forte idem piscis nobis significet, quia butyrum sine fritura non sumitur. Nam et nos quotidie adhuc in butyro amaritudinem admistam invenimus, in melle puram dulcedinem percipimus, quia in opere pietatis labore afficimur, in gaudio contemplationis dulcedine refovemur. Et hoc totum fit ut sciamus reprobare malum et eligere bonum, scilicet ut in ipso experimento discamus quantum præsens vita, in qua nec bonum sine dolore fieri potest, fugienda sit; et futura, in qua dolor non est, appetenda. Per Dominum nostrum.

**Tit. III. Apologus probans omne cor pronum esse ad commendationem sui et suorum.**

Fabula dicit omnes bestias fetus suos Jovi probandos præsentasse, inter quas simia deformem natum trahens, risu omnium castigari non potuit quin suum cæteris anteferet. Ingenitum si quidem est omni animanti amare quod genuit. De corde sensus nascitur, et amant corda fetus suos adeo ut sæpe animus perversus in conspectu summæ veritatis tortuosum et pravum, et risu omnium dignum sensum suum commendare non erubescat.

**Tit. IV. De stulto qui ut « luna mutatur, » et de justo qui « vir unus » est.**

*Stultus sicut luna mutatur (Eccli. xxvii)*. Stultus personaliter unus est, sed instabilitate et mutabilitate multi. Sicut una est luna, et dicitur prima, et secunda, et tertia, et quarta, et quinta, etc., et sunt multæ varietates in uno corpore, sic stultus modo plorans, modo ridens, modo tristis, modo hilaris, quasi crescens et deficiens et de alio ad aliud transiens, multas ostendit formas in uno homine. Quo contra in laudem justi dictum est: *Fuit vir unus (I Reg. 1)*. Unus quippe est justus, non tantum persona, sed vita, quoniam dum per diversos errores vivendi non scinditur, quasi in una veritatis facie persistens invenitur.

**Tit. V. Quod in sensu bonum hominis non est.**

Homo peccando fecit ut bestiis comparetur, tamen facere non potuit ut in quo bestiis comparatus est, eisdem coæquetur. Qui enim ratione superior esse desiit, sensu se inferiorem invenit. Si visum consulis, superant lynces. Si odoratum interrogas, prævalent canes. Et quæcunque in sensu corporali lau-

dabilia sunt, in ipsis excellentiora invenies, ut alibi quæras bonum tunc neque in illo consulas ubi bestiis comparatis, et tamen non æquaris.

**Tit. VI. De triplici pace.**

Una est pax quam habere debet homo ad Deum, alia quam ad semetipsum, alia quam ad proximum suum. Spiritus enim hominis hac lege inter Deum et carnem constitutus erat, ut, si Deo superiori obedientiam debitam exhiberet, nunquam ejus imperio subjecta caro contraheret. Quoad ergo homo pacem ad Deum tenuit, nullam in carne sua molestiam contradictionis invenit. Sed postquam Creatori suo per superbiam rebellis esse cœpit, statim caro ab ejus consensu se dividens, subdita esse recusavit. Hinc homo, variis concupiscentiarum suarum desideriis distractus et aliena et quæ inconcessa fuerant appetens, terminos justitiæ adversus proximum suum transivit; atque illic quoque turbata pace ex omni parte inquietus et turbulentus esse cœpit. Nunc ergo reparando proponitur conditio, ut si pacem habere voluerit cum Deo, habere studeat pacem cum proximo suo. Cum autem spiritus Deo plene subjectus fuerit, tunc et illam quam in carne sua portat contradictionem, gratia ad pacem reformabit pacatus sit totus, ut homo, et extra se cum proximo per charitatem fraternam, et in se per conscientiam bonam, et supra se per gratiam divinam. Propter hoc dum offertur hostia salutaris qua Deo nos reconciliari oportet, prius osculo signum pacis offerimus, ut, hac præmissa quæ inter nos constat pace, illam quæ ad Deum est obtinere mereamur. Quando autem pro fidelibus defunctis hoc sacrificium salutare immolatur, osculum pacis ad invicem viventes non accipiunt quoniam hi, pro quibus vivifica immolatio fit ab hac vita subtracti, humanæ conversationis pacem vel concordiam tenere amplius aut exhibere non possunt. Illic ergo sola illa quæ ad Deum est reconciliatio quæritur, ubi deinceps præsentis vitæ, semel hinc educti, conditioni non subduntur. Viventes autem per pacem proximi mereantur pacem Dei, et per pacem Dei mereantur pacem sui, non illam quæ animæ est ad mundum, sed illam quæ est inter animam et spiritum, per illam quæ est inter spiritum et Deum. Nam est quædam pax inter animam et mundum suaviter viventium et male et est quædam pax inter animam et spiritum suaviter viventium et bene, et est quædam pax inter Deum et spiritum feliciter viventium et beate. Similiter est bellum inter animam et mundum non suaviter viventium et male, et est bellum inter animam et spiritum non suaviter viventium et bene, et est bellum inter spiritum et Deum infeliciter viventium et male. Nam quod suaviter viventes et male veram pacem, qua sapientia invenitur in tempore otii boni non noverunt, beatus Job testatur de sapientia, dicens: *Non invenitur in terra suaviter viventium (Job xxviii)*.

**Tit. VII. De dignitate et libertate rationalis creaturæ.**

Sola rationalis creatura ita condita est, ut ipsa

bonum suum non esset, sed illi a quo facta est. Magna ergo dignitas, ut nullum ei bonum præter summum sufficeret, et item magna libertas, ut ad bonum suum cogi non possit.

**TIT. VIII. De triplici exercitatione, et quibus activa et contemplativa vitæ figurantur nominibus.**

Vitæ mutabilis conditio talis est, ut in eodem die stare non possit: cui adhuc ad laborem et dolorem convertitur quod quæsitum est ad consolationem. Fluctuat ergo in exercitationibus, et transit de alio in aliud, ut nunquam quieta sit, donec ad veram stabilitatem perveniat. Exercitationum autem tria sunt genera, aliæ ad profectum virtutis, aliæ ad consolationem infirmitatis, aliæ ad inflammationem iniquitatis. Primæ ædificantes, secundæ sustentantes, tertiæ subvertentes. Propter hoc Deus ædificantes iuduxit, sustentantes concessit, subvertentes prohibuit. Et divisit tempora, et loca distinxit, ædificantibus et sustentantibus exercitationibus, quando et ubi fiant, quæ congrue simul fieri possunt, quia sustentantibus occupati, ædificantes tenere non sufficimus, et ædificantes conversi sustentantibus implicari non debemus. Sex dies sustentantes habent; septimum ædificantes. Sic sustentantibus omnia loca conceduntur, pauca ædificantibus conservantur, exceptis his qui se ædificantibus consecrarunt, et omni loco et tempore illis inserviunt. Duo enim sunt genera hominum secundum has duas exercitationes licitas, ædificantes et contemplativas, sustentantes ad activos. Hæ sunt duæ vitæ, et duo populi, et duo testamenta: Lia et Rachel, Jacob et Israel, Sion et Jerusalem, Petrus et Joannes, Martha et Maria, sinistra et dextra, lana et linum, hordeum et frumentum, aqua et vinum, etc.

**TIT. IX. Quod elementum duobus modis dicitur.**

Elementum est prima materia corporalis complexionis. Elementum materialis representatio invisibilis subsistentiæ et principium cognitionis a corporalibus ad incorporalia transeuntibus. Illic elementum est principium subsistentiæ ad invisibilem actum prodeuntibus; hic elementum est principium intelligentiæ ad invisibilem veritatem ingredientibus.

**TIT. X. De trinitate universalis.**

Verum universitas trinitate una subsistit. Est unum quod nec ab alio est, nec secundum aliud, ut creatrix natura. Est unum quod ab uno est, et secundum unum, ut rationalis creatura a Deo, similis Deo. Est unum quod ab uno est, et secundum duo, hoc est ab uno per unum, ut corporea natura a Deo creata, secundum sapientiam increatam et creatam disposita. Primum exemplar est tantum, non exemplum. Secundum exemplar est exemplum. Tertium exemplum tantum, non exemplar.

**TIT. XI. Quod in originali peccato vitia tria, inobedientiæ duæ et peccatum unum fuerunt.**

In originali peccato tria vitia fuerunt, inobedientiæ duæ, et peccatum unum. Tria vitia fuerunt: superbia, avaritia et gula; duæ inobedientiæ, naturæ

et disciplinæ. In superbia et avaritia inobedientia fuit naturalis præcepti. In gula inobedientia fuit præcepti, disciplinæ et superadditi. Et omnia hæc quia uno actu completa sunt, unum peccatum dicuntur.

**TIT. XII. Quod Christus et sapientia a diversis variis quærentur modis.**

Quidam Christum quæsierunt, et non invenerunt. Quidam quæsierunt, et invenerunt, sed non retinuerunt, quia non quæsierunt ut haberent, sed ut venderent. Quidam Christum quæsierunt, et invenerunt, et retinuerunt, quia non quæsierunt ut venderent, sed ut possiderent. Primis dixit: *Quo ego vado vos non potestis venire. Quæretis me, et non invenietis, sed in peccatis vestris moriemini (Joan. viii).* Secundis dixit: *Ego sum, si me quæritis, sinite eos abire. Et injecerunt manus et tenuerunt eum (Joan. xviii).* Tertiis dixit: *Avete. Et accesserunt et tenuerunt pedes ejus (Matth. xxviii).* Primi quæsierunt, et non invenerunt. Secundi vivum invenerunt, et inventum occiderunt. Tertii mortuum quæsierunt, et vivum invenerunt. Sic multi sapientiam quærent, et non inveniunt, quia inutiles judicantur et abjiciuntur. Alii sapientiam quærent, et inveniunt, sed non diligunt, quia ad lucrum et laudem humanam adipiscendam eam exponunt, et prostituunt. Isti Christum vivum inveniunt, sed occidunt, quia ex hoc in eis sapientia moritur quod ejus dulcedine nullo amoris sensu perfruuntur. Hi assumuntur ut gravius judicentur et præcipitentur. Alii mortuam quærent, et vivam inveniunt, quia dum eam ad hujus vitæ usum non appetunt, verius intus ad illius dulcedinem et suavitatem pertingunt. Hi assumuntur ut eleventur et glorificentur.

**TIT. XIII. Quod Deus in Scriptura homini foris loquitur per præceptiones, prohibitiones, promissiones et minationes.**

Quandiu homo intus Deum audire loquentem potuit, doctrina exteriori opus non habuit; sed postquam librum vitæ oculo interiori inspicere jam non valet, Scriptura foris apponitur, ut ejus saltem inspectione ad cognitionem veritatis renovetur. In hac autem Scriptura et prohibitiones sunt malorum, ut ea fugiat, et præceptiones honorum, ut ea expetat. Et prohibitionibus quidem apponuntur comminationes, quoniam solius mali odio homo cohiberi non posset; et præceptionibus adjunguntur promissiones, quoniam solius boni amore non posset ad ipsam provocari. Et sunt quatuor ista generaliter discreta in omni Scriptura, præceptiones et prohibitiones, promissiones et comminationes. Quorum duo prima ad vitæ informationem pertinent, duo subsequenter ad fidei instructionem. In illis meritum, in istis præmium constat. Et perfectum facit fides recta, et operatio bona. Primum autem carnalibus comminationes carnales, et promissiones et pœnæ temporales et præmia, deinde spiritualibus spirituales et æternæ. Postremo exercitatis sufficit ad exhortationem odium mali et amor boni. Sic gradibus suis crescit salus, et virtus proficit. In omni autem Scriptura aut co-

gnitio veritatis querenda est, aut forma virtutis. A Primo studio historia et allegoria proponitur, secundo tropologia et in ipsa tropologia duplex similiter lectio est: Prima, quæ plana narratione mores instruit; secunda, quæ exhortatione affectuosa in animo auditorum desideria virtutis accendit.

TIT. XIV. *Quod Deus cum homine sit quatuor modis.*

Quatuor modis nobiscum est Deus, per præsentiam majestatis, per participationem humanitatis, per vinculum charitatis, per patrociniū veritatis. In primo cognoscit mala nostra. In secundo expertus est, in tertio compatitur, in quarto aufert et est Emmanuel, id est nobiscum Deus. Item cum quibusdam est Deus per favorem gratiæ, qui cum Deo non sunt per meritum vitæ. Cum quibusdam est Deus per favorem gratiæ, et ipsi cum Deo sunt per meritum vitæ. Cum quibusdam Deus non est per favorem manifestum gratiæ, et ipsi cum Deo sunt per meritum vitæ. Cum quibusdam Deus non est per favorem gratiæ, et ipsi non sunt cum Deo per meritum vitæ.

TIT. XV. *De progressionibus cognitionis.*

Quinque sunt progressionēs cognitionis: prima est in sensu, secunda in imaginatione, tertia in ratione, quarta in intellectu, quinta in intelligentia. Per sensum est in istis, est secundum ista. Per imaginationem non est in istis, sed secundum ista. Per rationem neque in istis est neque secundum ista; sed est in illis et de illis quæ sunt secundum ista. Per intellectum non est in illis, sed de illis. Per intelligentiam, nec in illis, nec de illis.

TIT. XVI. *Quod animus quatuor modis agenda tractat.*

Quatuor modis in nostro animo agenda tractamus: cogitando, volendo, deliberando, vovendo. Cogitatio ad cognitionem pertinet, voluntas ad desiderium, deliberatio ad propositum, et ad promissionem votum. Si quod proponimus non facimus, fallaces sumus. Si non facimus quod promittimus, fallaces et fallentes. Ibi mendacium solum accusatur, hic et mendacium accusatur, et promissum exigitur. Votum autem aliud occultum ad Deum et coram Deo; aliud manifestum ad Deum et coram homine. Occultum votum fractum peccatum est; manifestum votum fractum, peccatum et scandalum.

TIT. XVII. *De dissimili operatione Dei.*

Si in Tyro et Sidone hæc facta fuissent, etc. (*Matth. xi; Luc. x.*) Demonstrare volens Dohinus quod ab ipso sit et donum ejus, et quando veritatem cognoscimus, et quando agnitam debita devotione veneramus, quibusdam veritatem prædicavit, quorum corda ad dilectionem veritatis non emollivit; quorundam vero corda affectu bonitatis emollivit, sed agnitione veritatis non illuminavit. In illis aravit et non seminavit, duritiem frangens, sed verbum non spargens. In istis vero seminavit, sed non aravit, verbum spargens, et duritiem non frangens, ut et utrumque ab eo esse sciamus, et utrumque ab eo petere discamus, cum neutrum sine altero ad salutem

sufficiens esse agnoscimus. Sic solvitur quod ex Evangelio proponere solent, cur Deus in carne veniens illis verbum prædicavit quos ipsum verbum non recepturos esse præscivit, et quibusdam aliis prædicationis verbum non impendit, quos credituros si docentem audissent, agnovit. Quorundam enim duritiā increpans, quibus veritas prædicata fuerat, sic ait: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, væ tibi Capharnaum! quia si in Tyro et Sidone hæc facta fuissent, jam olim in cinere et cilicio pœnitentiā egissent (ibid.).* Hoc ergo mirum videtur, quare Jesus, qui futurorum omnium scientiam habuit, in Capharnaum prædicavit, cum illorum duritiā tantam esse præsciret, ut veritatem etiam oblatam non reciperent. Et quare item in Tyro et Sidone illa operatus non est, quæ operatus est in Capharnaum et Bethsaida, cum istos tales esse non ignoraret, qui facile veritatem reciperent, si audire illam et agnoscere potuissent. Sicut enim impium videtur obediētes deserere, sic stultum videtur omnino rebelles docere. Sed illud iudicii fuit, hoc exempli. Ne enim homo solum affectum boni sine agnitione sufficere putet, ac per hoc affectum se habere sentiens bonitatis, verbum veritatis non requirat, illos compunxit, non docuit, nec salvavit. Et ne rursus solam veritatis agnitionem sufficientem putet ad salutem, et legem audiens non fecisse consummatam justitiā, istos docuit, non compunxit et damnavit, ut dum alterum sine altero vicissim habere cognoscuntur reprobi, utrumque necessarium sibi fore intelligant electi, et qui alterum habere se cognoscit, non de viribus suis præsumat, sed ab illo humiliter postulet quod non habet, a quo quibusdam alterum accepisse non profuit, quoniam alterum districte iudicandis non impendit. Non enim accipere meretur quod non habet, qui a se habere se putat quod habet; et propterea vicissim e duobus alterum a Deo tribuitur, et alterum subtrahitur, ut ubi utrumque simul est ab ipso esse utrumque demonstraretur.

TIT. XVIII. *De fide, quid sit, et quæ ad eam spectent.*

Priusquam ea quæ ad fidem pertinent discutere incipiamus, quid sit fides ipsa inspicere debemus. Apostolus sic definit fidem: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium (Hebr. xi).* Cum enim res quælibet apud nos substantiant, vel peractum quando videlicet præsentis sensu comprehenduntur, vel per intellectum, quando absentes vel etiam non existentes in similitudine sua et in imaginatione capiuntur, vel per experientiam, quando ea quæ in nobis sunt sentiuntur a nobis, ut est gaudium et tristitia, timor et amor, quæ subsistunt in nobis, et sentiuntur a nobis. Nullo horum modorum invisibilia Dei capiuntur in nobis, quæ solum creduntur a nobis. Neque enim per actum præsentia sunt, neque in similitudine aliqua comprehendi possunt, neque quemadmodum illa quæ in nobis sunt, et sentiuntur a nobis. Ergo fide sola subsistunt in nobis, et subsistentia eorum est fides eorum qua creduntur, quia sunt

sed non qualia sunt comprehenduntur. Sic itaque per solam fidem subsistunt in nobis, et sola fide probantur a nobis; nec aliud argumentum habere possumus, nisi quia credimus illa fide quæ ratione non comprehendimus. Hæc descriptio fidei ostendit quid faciat fides, sed in eo non diffinitur quid sit fides. Est autem diffinitio fidei hæc: *Fides est voluntaria quædam certitudo absentium supra opinionem, et infra scientiam constituta.* Et sciendum quod aliud est cognitio fidei, aliud fides. Cum enim idem sit sermo in auribus plurium, omnes æqualiter quod dicitur intelligunt, sed non omnes æqualiter credunt et cognitionem dictorum omnes habent, sed fidem non omnes habent. Potest autem cognitio fidei esse sine omni fide; fides autem sine omni cognitione esse non potest. Multi tamen credunt et non habent cognitionem omnium eorum quæ credunt, quia credentibus et cognoscentibus credunt, et non norunt ipsi omne quod credunt, sed norunt illi quibus credunt. Ejusmodi est fides simplicium in Ecclesia qui perfectioribus credendo et adhærendo salvi fiunt, sicut scriptum est: *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos (Job 1).* Hi enim in fide perfectorum amplius credunt, qui in se credendo minus cognoscunt. Duobus modis crescit fides, devotione sive constantia, et cognitione. Incrementa fidei per devotionem per tres gradus procedunt. Primus gradus est acquiescere, secundus æstimare seu putare, tertius gradus est certum esse. Secundum hos tres gradus tria sunt genera hominum quæ sequuntur. Est enim quoddam genus hominum in sancta Ecclesia quibus credere est solum non contradicere fidei; qui ita vivunt ut nati sunt, non amando vel approbando in quo nati sunt, qui si in alio nati essent, fideles non essent. Consuetudine enim vivendi fidem tenent, non amore. Est aliud hominum genus attentius considerantium statum vitæ humanæ, et dubium, et ex eo quodammodo fluctuare incipientium in fide, quoniam multos conspiciunt aversos et alienos a fide; tamen ducti pietate fidei e duobus dubiis hoc eligunt quod, doctrina catholica docente, didicerunt. Istis pax necessaria est, tribulatio periculosa, ne forte de æstimantibus seu opinantibus negantes effliciantur. Est aliud genus hominum qui certi sunt et confirmati in fide sua, quos Deus vel per exteriora miracula confirmavit, vel per interiorem aspirationem edocuit. Isti tribulatione non subvertuntur, sed exercentur. Sciendum est etiam quod sicut tres sunt gradus, per quos fides crescit, ita tres sunt gradus, per quos crescit cognitio fidei. Primus gradus est cognitionis fidei quo nihil minus unquam fides habere potuit, credere videlicet Deum esse et eum salvatorem et remuneratorem expectare. Hæc cognitio fidei simplicibus ante incarnationem Verbi ad salutem sufficere potuit, videlicet ut et Deum crederent et Salvatorem expectarent, quamvis ejusdem salvationis suæ modum et tempus non cognoscerent. Duo enim in homine tantum sunt, natura et culpa; et

Creator ad naturam refertur, Salvator ad culpam. Sub lege autem scripta crevit cognitio, quando jam de persona Redemptoris manifeste agi cœpit, et Salvator per legem promittitur, et post promissionem expectari. Sub gratia autem adhuc amplius crevit cognitio, cum ipse jam Salvator non ut prius a multis putabatur solum homo, sed et Deus vernus manifestatus est. Et ipse redemptionis modus non in terrenæ culmine potestatis, sed in morte probatus est constare Salvatoris.

#### TIT. XIX. De Charitate, Fide et Spe.

Sicut virtutes reliquæ bonum naturæ sunt, ita charitas bonum est virtutum omnium: quam qui habet, secundum aliquid omnem virtutem habet. Habet enim secundum effectum etiam illas quas secundum effectum non habet. Virtutes enim affectu habere per gratiam, studium et meritum humanum est; effectum autem eas habere, munus divinum. Voluntas enim hominis est; potestas vero Dei. Ita voluntas hominis bona est ex Deo, mala ex homine. Potestas Dei est in malo, homini ad malum bona; in bono, homini ad bonum bona. Propter hoc qui charitatem habet, totum habet; et qui non habet nihil habet, vel utiliter non habet. Ideo dixit Apostolus de charitate: *Charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet (I Cor. xiii).* Fides bona ostendit, spes arripit, sustinentia defendit. Per fidem incipiunt nobis esse, per spem nostra esse, per sustinentiam nobiscum esse. Fides dirigit, spes trahit, sustinentia perducit. Et sunt in charitate omnia hæc, quia in eo quod dilectum et placitum, amor suadet libenter credere, multum præsumere, non facile desistere.

#### TIT. XX. De quatuor debitoribus.

Quatuor sunt debitores, Deus, spiritus, caro, mundus. Deus debet spiritui, ut eum et cognitione veritatis illuminet, et amore virtutis inflammet. Spiritus debet Deo, in omnibus quæ agenda sunt, ab ipso erudiri, et secundum ipsum operari. Spiritus debet carni, ut eam et a malis cohibeat, et in bonis exercent. Caro debet spiritui, in bono agendo ministerium, et in commodo appetendo modum. Caro debet mundo ex ejus abundantia quod necessitatis est sumere, quod virtutis est exercere. Mundus debet carni in necessitate subsidium, in exercitatione incitamentum. Sed spiritus Creatori debitum non persolvit, quia vel per superbiam elatus, contemnit ab eo scientiam veritatis quærere, vel per pigritiam ligatus, acceptam intelligentiam fastidit opere exercere. Propterea et ipse Creator spiritui debitum juste negat, ut eum nec ad cognoscendam verum illuminet, nec ad bonum amandum inflammet. Nam superbum intus a cognitione veritatis alijcit; pigrum autem in opere foris affligit. Rursus quia idem spiritus carni debitum non persolvit, ut eam videlicet vel a malo cohibeat, vel in bono exercent, sit ut ipsa caro justa Dei dispositione non exhibeat spiritui quod debet, hoc est, vel in bono agendo ministerium, vel in appetendo commodo modum.

Item, quia caro per negligentiam spiritus laxata, a mundo debitum non exhibet, sed ejus affluentiam ad luxum voluptatis intorquet, et ad excitationem virtutis ejus administrationem non obtinet, ipse quoque mundus justa recompensatione ad miseriam spiritus multiplicandam, eam et adversis frangit, et prosperis dissolvit. Hujus autem discordiæ, quia solus spiritus auctor est, necesse est ut ipse prior ad pacem redeat, et cætera post se subsequenter ad pacem componat. Si enim ipse et Creatori debitam subjectionem, et carni justum regimen exhibere studuerit, perfecta et consummata justitia subsequitur, et reformata justitia, concordia quoque et pax perfecta reparatur. Sicut enim ex ejus injustitia pax et concordia cunctorum solvitur, ita per ejus justitiam universa reconciliantur. Hanc autem justitiam spiritus habitam perdere potuit; amissam vero per se recuperare non potest, quia ne debitum Creatori persolvat, ignorantia fallitur, ne vero debitum carni persolvat, concupiscentia præpeditur; et si forte ex parte illuminatus, verum agnoscere cœperit, et ex parte confirmatus bonum adimplere, non potest tamen hic quod perfectum est adipisci, sed sicut scriptum est, ut degustatam pro parte justitiam esurire et sitire incipiat, sed non ut adepta plenitudine, ad satietatem pertingat.

Tit. XXI. *De impedimento cognitionis.*

Sicut humor subtilis per exhalationes a terra sursum rapitur, sic intellectus cordis humani per meditationes et scrutationes subtilis effectus ad alta levatur. Et quemadmodum humor ascendens frigore præstringitur, et relabitur unde venerat, sic multi ab intelligentia summorum per ignorantiam cadunt, propterea quod in bonis quæ intelligere poterant agendis per desidiam torpescunt. Sed lapsus nivis nec strepitum facit, nec lædit; lapsus grandinis et strepitum facit, et pondere lædit: quia multi torpent a bono, et nocent in malo; alii torpentes sunt, non nocentes.

Tit. XXII. *De tribus motibus in homine.*

Tres sunt motus in homine. Motus mentis, motus corporis, motus sensualitatis. Motus mentis in voluntate est, motus corporis in opere, motus sensualitatis in delectatione. In motu mentis solo liberum arbitrium est. In motu corporis et sensualitatis, quæ sequuntur liberum arbitrium. Sic enim prima fuit dispositio naturæ; nam motus mentis voluntarius est appetitus. In voluntario liberum; in appetitu arbitrium. Mens igitur per se movetur, et est primus voluntatis motus. Motum voluntatis sequitur motus corporis. Mens itaque sicut dixi per se moveri habet, sed secundum voluntatem Creatoris sui, quæ forma illi est et exemplar et proposita regula quam sequatur. Et propter hoc, si secundum Deum movetur, hoc est justitia; si præter Deum movetur vel contra Deum, hoc est injustitia. Ergo motus mentis justitia semper est, vel injustitia; motus autem corporis semper est obedientia. Quod enim mens movetur, libertate movetur, quia volun-

tarie movetur, et per se movetur, et ei est quod movetur vel ad meritum, si bene; vel si male, ad culpam. Quod autem corpus movetur, necessitate movetur, quia ab alio movetur, hoc est a mente; nec ipsius est quod movetur, sed illius a quo movetur, sive ad meritum, si bene, sive ad culpam, si male. Ita motus mentis dominatur motui corporis legi naturæ subjecto, et quando abutitur illo, vitium est imperantis, debitum obedientis. Nec culpatur qui ducitur, quia necessitate ducitur, sed culpatur qui ducit, quia in subjectum libertate abutitur. Porro voluntas, si justitiam tenuisset, haberet non solum motum corporis obedientem, sed et motum sensualitatis consentientem. Nunc vero quoniam rectitudinem suam ipsa non tenuit, habet quidem adhuc ex indulgentia Creatoris motum corporis obedientem, ex vindicta autem motum sensualitatis contradicentem. Cujus violentiam aliquando infirmata sequitur, aliquando autem corroborata coercet et moderatur. Si autem motus sensualitatis dominatur motui mentis, dominatur etiam motui corporis, qui subjectus est illi, et tunc peccatum regnare incipit in nostro mortali corpore. Si autem non dominatur, utitur mens servitio corporis sui, et exhibet membra sua arma justitiæ. Et sunt simul motus mentis et motus corporis, seorsum autem motus sensualitatis; et perficitur justitia, et iniquitas cohibetur.

Tit. XXIII. *De instrumentis cognitionis.*

In vocibus duo sunt, melodia, et significatio. Et in rebus duo, forma et essentia. In mentibus similiter duo, affectus et cognitio. In corpore autem humano duo sunt instrumenta, aures et oculi. Per aures ingrediuntur voces, ut per melodiam generent affectum, et per significationem cognitionem. Res vero per oculos ingrediuntur, ut per formam similiter in mente generent affectum, et per essentialiam cognitionem.

Tit. XXIV. *De sensu hominis, carnali et spirituali.*

Duo sensus in homine sunt, unus carnalis et alter spiritualis; et uterque bonum suum habet, in quo exultat et gaudet. Gaudet carnalis sensus atque tripudiat in aeris serenitate et solari claritate, in ciborum et potuum dulcedine, in locorum amœnitate, et fluviorum jucunditate. Et hic sensus bestialis est; namque bestiis et volucribus convenit. Spiritualis vero exultat lumine divino superinfuso, quod contemplativis convenit, gaudet etiam in virtutum exercitatione, in colenda justitia, et cum exterior sensus, id est carnalis, suo bono utitur, tunc mentis interior sensus quasi obdormit. Unde contingit eum qui bonorum hujusmodi jucunditate capitur, ne interioris quidem sensus bona sua agnoscere. Nam spernit exteriora, qui dulcedine bonorum interioris sensus rapitur. Inde est quod viri religiosissimi, stulti mundo esse videntur.

Tit. XXV. *De divinis luminibus.*

Bona Dei lumina sunt, et ipse auctor donorum

Pater est luminum, *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (Jac. 1), quia nec illuminans transmutatur, neque non illuminans obscuratur. Generans enim non degenerat et non generans non caligat, quia nec inferior est exiens, nec obscurior latens. Lumina eius quando ad nos veniunt ab ipso non recedunt; et quando a nobis redeunt apud ipsum clarescunt. Quando ad nos descendunt, in nobis non deficiunt; et quando a nobis recedunt, minorationem pro nobis non accipiunt. Itaque non transmutantur in nos quando participanda veniunt ad nos; nec obumbrantur in se quando ab illuminatis et obumbrandis redeunt et remanent in se.

Tit. XXVI. *De conceptu et partu Sapientiae.*

*Nondum erant abyssi, et ego parturiebar* (Prov. viii). Conceperat Deus sapientiam in praescientia futuri, parturiebat in voluntate creandi, peperit in procreatione effecti.

Tit. XXVII. *De triplici genere aspirationum.*

Triplex est origo aspirationum, a Deo, a diabolo, a natura. Quae a natura sunt, praecedentem habent causam necessitatis. Quae a Deo sunt aut diabolo, subito eveniunt et improvisa; a Deo bona, a diabolo mala. Aliquando veniunt quae bona videntur et non sunt, et haec similiter a diabolo sunt, quorum origo exitu probatur. Hoc est: *Probate spiritus si ex Deo sunt* (I Joan. iv).

Tit. XXVIII. *De quinque jugis.*

Quinque sunt juga: Jugum iniquitatis, jugum mortalitatis, jugum legis, jugum propriae voluntatis, jugum charitatis.

Tit. XXIX. *Quod Deo nihil inordinatum esse potest.*

*In Babylone non requirit unus alterum; sed respondent ululæ sibi in delubris ejus* (Isa. xiiii). Parum est ut in caelo ordinata sint omnia, sed hoc mirum est quod etiam confusionem mundanam inordinatam non relinquit Sapientia divina. Respondent enim ibi etiam opera tenebrarum, et non est quod requirat alterum, quia justa ordinatio nihil relinquit inordinatum, et unicuique quod suum est tribuit, et quod sibi confusum est, illi sine ordine et dispositione esse non potest. Sed et illa confusio interna cordum malorum non effugit dispositionem illius, ubi lucifugae cogitationes et desideria tenebrosa in occulto fluitantia respondent sibi, quia justum iudicium sicut per sapientiam cuncta intelligit, ita per aequitatem nihil sine retributione relinquit.

Tit. XXX. *Quod Deus non transmutatur.*

Non transmutatur Deus ex eo quod ipse est, non patitur vicissitudinem quod in ipso est. Nam quod ipse est, immutabile est; quod in ipso est, aeternum est. Non transmutatur ut alius sit, non patitur vicissitudinem ut aliter sit.

Tit. XXXI. *De mysterio in forma caeli et terrae.*

*Qualis terra tales et terreni, et quale caelum tales caelestes* (I Cor. xv). Sursum cuncta aequalia sunt. Deorsum sunt montes et valles, et alta profunda, humilia et excelsa, et dissimiliter habentia cuncta.

A Mortalis quippe vita planum iter habere non potest, sed exaltat et humiliat, et nunc aequitatem ostendit, nunc vero abruptum praefert, et casum minatur: propter hoc talis terra, quales terreni. Sursum vero non est ubi offendas vel praecipiteris aut inaequaliter ambules, sed planum et aequale et consequens et moderatum totum. Ideo quale caelum tales et caelestes.

Tit. XXXII. *De serie temporum et amandorum ratione.*

Præterita, praesentia et futura quasi unum corpus aeternitatis perficiunt. Præterita amare insipientis est, praesentia stulti, futura prudentis. Præteritorum pietas est, praesentium cupiditas, futurorum charitas.

Tit. XXXIII. *De fructu et desiderio justitiae.*

B *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (Matth. v). Ergo non satiati, sed esurientes beati sunt. Nec ideo tamen beati, quia esuriunt; sed ideo, quia saturantur. Si enim desiderium semper esset et effectus nunquam esset, poena potius et miseria non beatitudo hic esset. Sed misericordia Dei nostri sanctis desiderii indubitatum spondit effectum, et propterea beati sunt qui desiderant, quoniam hoc primum bonum est, et quod solum vita mortalis et paenis addicta consequi possit, velle bonum, quoniam habere et frui vita ventura sibi vindicavit. Ideo non dicit justos beatos, sed esurientes et sitiennes justitiam. Si enim solos justos beatus diceret, quis sibi hoc arrogaret? Propter hoc respexit imperfectionem nostram ut consolaretur infirmitatem nostram, quia si hoc esse non possumus, velle tamen hoc esse ipso adjuvante et desiderare valeamus. Et hoc iterum quia non desiderantes gloriam, sed justitiam beati vocantur, quia multi patriam se amare dicunt, sed viam tenere nolunt. Gloria autem et beatitudo patria est, justitia autem via; et non possunt ad patriam venire qui viam non tenent. Quis est qui commodum non appetat? sed non omnes justus esse volunt.

Tit. XXXIV. *De sacramento corporis Christi.*

Dominus Jesus Christus, ut ostenderet divinitatem suam refectionem esse animarum nostrarum, carnem suam in cibum nobis proposuit, et rursum, ne illam horreret sumptionem humana infirmitas, consueti edulii specie illam velavit.

Tit. XXXV. *De gloria et poena corporis humani.*

Quanta est dignitas animae, si corporis gloria tanta est? Quanto enim spiritus hominis rebus omnibus quae videntur excellentior esse probatur, cum cuncta corporea in obsequium condita sint corporis humani? Unde merito poenaltate et miseria cunctis vilis factum est, quod conditione celsius, et sublimius fuerat constitutum. Cum autem reparatum fuerit, sublata e medio corruptione, quod cunctis melius est corporibus suscipiet, et tunc quoque sine miseria subjectum spiritui sociabitur ad gloriam, cui nunc in miseria est sociatum ad poenam.

Tit. XXXVI. *Quod Moyses typus fuit Christi, inter Deum et homines futuri Mediatoris.*

Scriptum est quod non potuit populus loqui cum

Deo, et petit mediatorem Moysen. Et laudavit hoc Dominus, et dixit quod Prophetam suscicaret qui Mediator foret, et per ipsum mandata daret ad populum (*Exod. xx*). Quæ enim invisibilia Dei sunt, carnalia corda percipere non potuerunt; et contempseravit se nobis Deus per humanitatem Filii sui, ut ipsa mediante divina percipiamus. Infirmas autem nunes terror majestatis opprimeret, et splendidum lumen lippientes oculos offuscaret, nisi nubes carnis intercedens et contemplationem excipiens. corda timida blandimento visionis demulceret.

**TIT. XXXVII. Quod creatura non potest bene esse sine creatore.**

*Væ soli! quia cum ceciderit non habet sublevantem* (*Eccles. iv*). Duo sunt, qui fecit, et quod factum est. Non autem potest bene esse illi quod factum est sine eo qui fecit ipsum. Quod factum est per se cadere habet, surgere non habet. Qui autem fecit quod factum est cadere non potest, sed quod cadit sublevare potest. Propterea ergo melius est duos simul esse quam unum solum.

**TIT. XXXVIII. De divisione per iniquitatem et unione per charitatem.**

Primum divisit iniquitas inter Deum et hominem, deinde divisit ipsum hominem. Postea venit charitas et composuit atque confœderavit primo Deum et hominem, deinde ipsum hominem. Iniquitas bene unita male divisit. Charitas male divisa bene univit. Similiter iniquitas bene divisa male univit, et charitas male unita bene divisit. Iniquitas ergo dividit et unit, et charitas dividit et unit. Novissime sequitur mors dividens, et ipsa propter iniquitatem; unit autem per conditionem ad charitatem. Mors dividit corpus et animam. Iniquitas dividit Deum et animam. Charitas dividit spiritum et concupiscentiam. Mors dividit unitatem conditionis. Iniquitas dividit unitatem reconciliationis. Charitas dividit unitatem abalienationis.

**TIT. XXXIX. De triplici operatione philosophiæ.**

Naturalis operatio philosophiæ per sensus agit in res subjectas, et descendit ad singularia sine experimento sensuum infirma: quibus quasi baculo sustentationis innititur, per se incedere non valens. Rationalis operatio philosophiæ extra sensus est agens in universa: sola ratione vigens. Artificialis operatio rationalem instrumentum habet, et naturale probat.

**TIT. XL. De triplici eruditione et duplici operatione spiritus.**

Quidam ab intus erudiuntur, quidam a foris sensum hauriunt. In illis stabilis est spiritus sapientiæ, in istis mobilis. Ad illos pertinet meditatio; ad istos speculatio. Illi acuminis sensus occulta penetrant, isti agilitate transvolant ad longinqua. Et qui non discernunt spiritus, putant moram meditationis pigritiam, et speculationis motum levitatem, cum corpus ab animo qualitatem sumit. Sicut spiritus illuminat, sic accendit, et quos illuminat, cognitione veritatis illuminat; et quos accendit, amore virtutis

accendit. Et sæpe non discernitur operatio ejus in utroque, et dicuntur pigri, stabiles; potentes animo et comprehensione efficaces, leves; compuncti, tristes; lascivi, spiritu hilares. Et sit sine spiritu iudicium spiritus; et errant homines in iudicio dum quisque solum hoc bonum putat quod amat. Similem vero demonstrationem habent meditatio et compunctio, et similem pariter speculatio et exsultatio, quoniam ab animi qualitate motus corporis formatur; et constat in alio quidem gravitas sine pondere, in alio levitas sine instabilitate. Meditatio et compunctio ad Joannem pertinent, speculatio et exsultatio ad Christum. Alter dicit: *Planzimus vobis, et non plorastis* (*Luc. vii*). Alter dicit: *Saltavimus vobis, et non restitistis. Venit Joannes non manducans et non bibens, et dixistis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dixistis: Ecce homo vorax et potator vini, et peccatorum amicus* (*Luc. vii; Matth. xi*). Sic perversis perversa sunt omnia.

**TIT. XLI. Quod prius pusillanimes fovendi sunt per consolationem ut surgant; postea terrore confirmandi per increpationem ne recedant.**

*Scriba doctus in regno cælorum, qui profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth. xiii*). Nova sunt consolationes, vetera increpationes. Vetus enim lex pœnam proposuit qua terreret; nova misericordiam qua foveret. Quare ergo prius nova, post vetera? Quia pietas loquitur: ideo prius palpat, postea percudit. Pusillanimes enim prius consolatione fovendi sunt, ut surgant. Postea terrore confirmandi ne recedant. Contumaces et duri prius increpandi sunt, ut timeant; postea fovendi consolatione, ne desperent. Cum ergo pietas loquitur, nova et vetera; cum severitas loquitur, vetera et nova. Vel ideo sequuntur vetera, non præcedunt, quia ex adjecto et superabundanti esse debet quod durum est; et pœnam habet charitas major.

**TIT. XLII. Quod pro temporarium abundantia non debet fraternitatis frangi concordia.**

Prohibet Joseph fratribus suis oneratis asinis ne contendant in via (*Gen. xlv*), quia Christus in hujus vitæ itinere si quando nobis abundantiam tribuit, pacem tamen et concordiam ad invicem pro eadem frangere et violare non concedit.

**TIT. XLIII. Quod virtus et veritas simul esse volunt.**

*Est in sapientia spiritus intelligentiæ, certus, suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere* (*Sap. vii*), etc. Virtus et veritas cum de eodem sunt, non se impediunt. Unde cum dictum esset de spiritu sapientiæ quoniam acutus est (*Sap. vii*), subjunctum est statim quoniam nihil vetat benefacere (*ibid.*). In philosophis gentilium acumen spiritus erat, sed idipsum benefacere vetabat quia illorum intentio quo magis per acumen movebatur extranea cognoscere, eo magis per occupationem impediabatur propria considerare. Vera autem sapientia semper virtutem habet comitem, quia hoc magis appetit scire quod magis expedit esse. Unde adhuc de ipso

dicitur: *Certus, suavis amans bonum* (Sap. vii). *Certus* scilicet experientia; *suavis*, gustu; *amans bonum* quia non potest odire in opere quod vere diligit in cognitione.

TIT. XLIV. *De duplici amore et superædificatione.*

*Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum* (I Cor. iii), etc. Tria sunt genera hominum. Sunt qui amant solum Deum, hi ædificant super fundamentum aurum, argentum et lapides pretiosos. In amore virtutis aurum; in cognitione veritatis, argentum; in consummatione boni operis, lapides pretiosos. Sunt alii qui amant aliud præter Deum, tamen nihil contra Deum, neque aliquid plusquam Deum. In his fundamentum quidem manet, quia amor Dei non destruitur; sed tamen ex affectu eorum quæ pariter amantur, quia quædam corruptio contrahitur, ligna et fenum et stipula superædificantur. In ligno peccatum illiciti operis; in feno, sine opere peccatum pravæ delectationis; in stipula, illicitæ culpæ cogitationis. Sunt alii qui amant quædam contra Deum, et in his fundamentum omnino destruitur, quia amor Dei esse non potest, ubi non est vel solus vel summus. Igitur ad primos pertinet laudari et salvari, ad secundos corripi et liberari, ad tertios argui et damnari.

TIT. XLV. *De carne jumento et spiritu sessoris.*

Caro jumentum est, sessor spiritus, qui illius calcæria adhibet, quando pigram excitat frenum quando impetuosi moderat et cohibet.

TIT. XLVI. *De occultis et manifestis hominis et homini*

Quædam sunt manifesta hominis et manifesta homini. Quædam sunt occulta hominis et manifesta homini. Quædam sunt occulta hominis et occulta homini. Debet igitur homo primum erudiri in iis quæ manifesta sunt, et exerceri ut ad cognitionem occultorum perveniat. Vere enim mala cognoscere, hoc est improbare et scire quod mala sunt, nec dicere malum bonum aut bonum malum existimare, et discernere inter tenebras et lucem, et noctem et diem, et noctem et noctem, et inter diem et diem, et judicare omnem diem.

TIT. XLVII. *De vita et morte, gaudio et dolore duplicibus.*

Duo sunt, vita et mors; et post hæc sequuntur duo, gaudium et dolor. De vita, gaudium; de morte, dolor. Et est bona vita et mala vita, et gaudium bonum et gaudium malum; et est bona mors et mala mors et bonus dolor et malus dolor. Corpus ex anima vivit, anima ex Deo. Primum utrumque benedixit; postea anima mortua est iniquitate, deinde corpus percussum mortalitate, dissolutum in morte. Postea anima vivificata justificatione, deinde corpus resurrectione. Nunc ergo vetus homo, id est caro in cruce est; novus autem, id est anima in resurrectione. In resurrectione ergo nostra gaudium nostrum, in cruce nostra obedientia nostra; hic patientia, ibi lætitia. Qui carne crucifixus non est, anima non resurrexit; et ibi sentit ubi vivit, et ubi sentit ibi sapit.

A TIT. XLVIII. *De duabus civitatibus et duobus populis et regibus.*

Dux sunt civitates, Jerusalem et Babylon, et duo populi, amatores Dei cives Jerusalem, et amatores mundi cives Babylonis. Et duo reges, Christus rex Jerusalem, et diabolus rex Babylonis. Inter hæc civitates et duos populos et duos reges bellum est jugiter et discordia et pugna; et signat uterque milites suos, Christus suos, et diabolus suos, ut agnoscant quique regem suum et agnoscantur ab eo, et sequantur eum. Jerusalem enim civitas est sursum in cælo, Babylon deorsum in terra. Similiter Christus jam sursum est, diabolus deorsum. Milites Christi sequuntur regem suum et milites diaboli sequuntur regem suum. Christus tribus exemplis viam nobis ostendit, qua eum sequi debeamus; similiter et diabolus tria proposuit quibus post eum præcipitentur qui eum sequuntur. Iter enim ad Christum, quia sursum est, arduum est, et arctum est et in longum sublime. Iter ad diabolum deorsum est, latum est, et breve in profundum, et ad præcipitandum facile. Ideo Christus exemplum paupertatis reliquit, ut exonerati sarcina terrenarum rerum leves ascendamus per arduum. Exemplum humilitatis, ut modici sine difficultate transeamus per arctum; exemplum patientiæ, ne deficiamus in longum; exemplum paupertatis dedit cum dixit: *Vulpes foveas habent et volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (Matth. viii); exemplum humilitatis dedit cum dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi); exemplum patientiæ dedit, quando cum percuteretur non percussit, cum occideretur sustinuit; exemplum iterum paupertatis, quia in hoc mundo divitias habere noluit; exemplum humilitatis, quia gloriam sprexit; exemplum patientiæ, quia mala sustinuit. Cum laudaretur non lætabatur, cum malediceretur non tristabatur; cum premeretur non frangebatur. Ait quidam illi: *Magister bone. Et respondit: Quid me dicis bonum?* (Marc. x.) Ecce humilitas. Et alii dixerunt: *Dæmonium habes: et dixit: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum* (Joan. viii). Ecce patientia. Et cum *requireret populus eum ut regem facerent* (Joan. vi), ille, humilitatis exemplum relinquens, fugit, et gloriam sprexit: et multa alia ad hæc pertinentia exempla. Prima est ergo paupertas, ut abjiciamus quod gravat, in quo est peccandi occasio. Et quia paupertas despicitur, sequitur humilitas: qua ipsa etiam propter Deum vilis amatur. Et quia rursum qui vilis est sine reverentia læditur, necessaria est post humilitatem patientia, qua omnia adversa propter Deum fortiter tolerantur. Paupertas levem facit et expeditum, humilitas modicum, patientia fortem et robustum. Econtrario diabolus suos primum divitiarum pondere in amore et sollicitudine onerat, ut deorsum ruant. Secundo per superbiam inflat, ut per latum incedant. Tertio per impatientiam frangit, ut cito deficiant. Hi duo populi duas civitates ab initio suo

ædificaverunt, Babylonem quæ a Cain initium cepit A et Jerusalem, quæ ab Abel. Primus enim homo duos genuit filios, divisionis principium et divisionis signum, quia illa massa naturæ humanæ quæ in ipso primum per conditionem tota condita erat ad gloriam, postea per prævaricationem tota addicta erat ad pœnam, ut ostenderetur quod misericordia et veritas jam tunc dividi incœperint in vasa misericordiæ, et in vasa iræ. Et abjectus est primogenitus terræ, sicut primogenitus cœli corruebat, si tamen primogenitus erat, qui genitus non erat. De ipso enim dictum est: *Ipse est principium viarum Dei* (Job xl). Et reprobata sunt prima, ut ostendatur quod finis principio melior est, quia quæ in principio facta sunt a Deo, bona quidem facta sunt, sed bona incipientia; quæ autem in fine faciendæ erant, bona faciendæ erant, et bona consummata. Propter hoc etiam in ipsa rerum conditione, primum materiam fecit; postea formam superaddidit, ut ostenderet quod similiter in rationali creatura primum esse factum erat: postea autem pulchrum esse et formosum esse: et melius addendum erat, ut non nimis gloriaretur in eo quod primum bonum acceperat, sed ad illud potius festinaret quod postea melius acceptura erat. Sed primogenitus primum dilexit ut perderet novissimum, et ideo reprobatus est; et ille in cœlo, et iste in terra. Sed ille de cœlo dejectus in terra hominem per invidiam supplantavit, iste in terra reprobus effectus fratrem suum zelando occidit. Quia enim vita illius gravis ei fuit, ideo ad mortem illius festinavit. Cruciabatur enim nequam conscientia quotidie contra se testimonium cernens vitam justæ et quasi gravis ei ad videndum fuit, ex cujus præsentia sua condemnabatur malitia. Idcirco auferre festinavit e medio ipsam ne eum videret ad confusionem sui, quem videre noluit ad emendationem et correctionem sui. Fortassis existimans postea non fore Deum vindicem iniquitatis, si non superesset homo justus testis veritatis. Sic ergo Cain interfector fratris Babylonis fundamenta posuit. Abel autem interfectus sanguine suo primordia Jerusalem in terra consecravit. Sic Ismael primogenitus reprobus fuit; Isaac vero electus. Esau quoque ab hæreditatis sorte et dono benedictionis reprobatur, Jacob diligitur et eligitur: et reprobo Eliab primogenito, David junior ad regni fastigium sublimatur (I Reg. xvii). Semper autem milites diaboli furore pugnaverunt, et milites Christi patientia vicerunt, regem suum paupertatis amore et humilitatis studio sequentes, patientia autem ad ipsum pervenientes (48).

TIT. XLIX. De officio et potestate prælatorum.

Considerate, fratres, misericordem dispensationem Dei. Solus ipse peccata tollere, et peccatores justificare potest; tamen ut humanam conscientiam de sua pietate certam faceret, potestatem relaxandi

peccata et indulgendi arbitrium homini concessit, ut homo ad hominem quasi ad consimilem suum familiarius et fiducialius conveniret: quem et videre posset veniam postulaturus, et accepturus audire. Deus enim hominem orantem videre potest, sed homo Deum indulgentem videre non potest. Idcirco voluit Deus ut homo homini loqueretur, et de sua salute cum illo tractaret et veniam peteret; et indulgentiam acciperet. Sed ne forte ab homine salus dubia esset, Deus homo factus est, qui nec falleretur judicando, nec falleret miserando. Sic omne *judicium datum est Filio* (Joan. v), divina potestate in participationem hominis transfusa, ut homo peccata dimitteret; juxta divinum tamen judicium, cum idem ipse homo Deus esset. Ipse autem homo Christus, sicut particeps factus fuerat naturæ nostræ, ita particeps vos esse voluit honoris sui; et idcirco dedit vobis prius de Spiritu sancto, ut prius essetis particeps veritatis, deinde consortes dignitatis. Videte ergo ministerium vestrum, fratres, judicate judicium Domini, quia judices sæculi positi estis. Audite quod dictum est: *Dominus judicabit fines terræ* (I Reg. ii). Propter hoc enim Dominus judicium suum in finem distulit, ut vos prius judicetis ad correctionem, ne ipse post cum judicare cœperit, judicet ad damnationem. Vos enim non quasi iudices criminum ad percipiendum positi estis, sed quasi iudices morborum ad sanandum. Videte ergo languidum in manibus vestris, quem vobis misericors ille Samaritanus commisit, pro quo pretium jam ab eodem accepistis, ne de vestro constet curatio illius. Habetis duos nummos in Testamento duplici, veteris monetæ unum, et unum novæ, ut emanant Veteri ea medicamina quæ mordent, Nova autem medicamina quæ fovent: Prima ad purganda quæ putrida sunt; secunda autem ad viva confirmanda. Ista sunt duo debita, præcepti scilicet et voti. Debitum præcepti, quo doctrina impenditur; debitum voti, quo exemplum formatur. Hi sunt etiam *duo gladii*, quos in Christi passione ad defensionem Petrus paraverat (Luc. xxii): Unus scilicet corporalis, qui secundum legem veterem pœnam peccantibus irrogat; alter vero qui secundum novam legem spiritualiter culpas feriens, homines sanat. Hic est gladius vester, quo vos ferire debetis vitia hominum, ipsos homines amantes; quem vobis Petrus reliquit, si tamen fervoris illius hæredes facti estis, et imitatores esse vultis. Nondum adhuc Christus cruciangebatur, et tamen Petrus fervorem suum cohibere non potuit; sed *exerit gladio percussit servum pontificis* (Joan. xviii), nec multitudinem timens nec potestatem. Et nisi Christus eum cohibuisset, forsitan majora adhuc Petrus fecisset. Nec tamen tunc Petrus dicere potuit: *Plures sunt qui nobiscum sunt quam qui cum illis* (IV Reg. vi). Cou-

(48) Idem videre est apud S. Ignatium, in hoc *Exercitiorum* tam sæpe laudato loco: *De duobus vesillis.*

siderate ergo et videte quid facitis. Christus in oculis vestris crucifigitur, et vos adhuc gladium in vagina habetis, cum tamen multitudo major vobiscum sit quam cum illis. Quid vos in passione Christi fecissetis qui modo ad percutiendum pigri estis? Ecce Christus in oculis vestris occiditur. Quid enim est Christianus, nisi corpus Christi? Ipse quippe dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Matth. xxv). Ergo in Christiano Christus occiditur, et in Christiano Christus tribulatur. Quid ergo facitis? Quid pigri, quid timidi estis? Forte quia non statis sicut Phinees, idcirco iram placare non potestis, ut cesset quassatio (Psal. cv). Forte quia discubuistis ad ollas Pharaonis et saginam diligitis, pigrum vobis est surgere ad bellum. Forte quia lanam diligitis et lac, non oves, idcirco pascitis vosmetipsos, non oves, et fugitis veniente lupi, quia de ovibus non curatis. Saltem si lac ovium comeditis, carnes comedere nolite. Si fructum pro custodia ovium quaeritis, ipsas vivas servate. Bonus pastor etiam carnem suam ovibus suis edendam dedit, ut eas reficeret, sed vos non solum mercenarii pastores pretium pro custodia quaeritis, sed ipsas etiam oves lupi facti ad vestram refectio-nem necatis. Vae pastoribus malis qui pascunt semet-ipsos, non oves! et utinam solum non pascerent, si non etiam depascerentur! Nunc autem et mercenarii fugiunt, et lupi occidunt. Mercenarii fugiunt (Joan. x), non mutando locum, sed subtrahendo auxilium. Lupi occidunt, quia et visibiles corpora laniant et invisibiles animas necant. Si ergo pastores estis, *vigilate super gregem vestrum* (Luc. ii); nec oves Christi laniari permittatis in manibus vestris. Ascendite ex adverso, et date vos murum pro domo Domini, et quasi boni canes latrate circa caulas Ecclesiae vocibus confidentiae, ut timeant, et vos pro bona custodia praemium accipere mereamini.

TIT. L. De tribus crucibus.

*Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* (Gal. vi.) In cruce Christi gloriatio est; in cruce dextri latronis, consolatio; in cruce sinistri latronis, confusio; in cruce Christi, poena sine culpa, et post poenam glorificatio; in cruce dextri latronis, poena pro culpa, et post poenam remissio; in cruce sinistri latronis, poena pro culpa, et post poenam damnatio. Dicunt homines, quando poenam sustinent: Si meruissimus non erubesceremus; nunc autem injuste pati et sine culpa ignominiosum nobis est. Oculi qui non vident, imo si pro culpa pateris erubescere; si sine culpa pateris, gloriari. Latro magis vis esse quam Christus; et forte sinister blasphemator, non confessor. Tu enim pro culpa pateris, et culpam non agnoscis, nec iudicem veneraris. Si saltem dexter fuisses latro, culpam humiliter agnosceres, poenam patienter sustineres, veniam devote implorares, nec pro poena praesumeres, nec pro culpa desperares, sicut quidam qui de sua sustentia gloriantur, de poena murmurant, de culpa desperant.

TIT. LI. De duplici oleo, scilicet Dei et mundi.

*Date nobis de oleo vestro, quoniam lampades nostrae extinguuntur* (Matth. xxv). Habet oleum Deus, habet oleum et mundus. Ad oleum Dei vasa deficiunt, oleum mundi in vasis deficit. Oleum Dei dulcedo aeternorum, oleum mundi delectatio praesentium. Illa sufficit, ista deficit. Propterea vasa stultarum virginum vacua fuerunt, vasa viduae sapientis plena (I Reg. iv); vasa corda sunt, oleum gaudium.

TIT. LII. De falsitate consolationis mundanae.

*Vae vobis, divites, qui habetis nunc consolationes vestras!* (Luc. vi.) Anima rationalis si vere saperet, nihil saperet praeter verum bonum. Non enim est bonum ejus aliud quam verum bonum. Hoc igitur solum est, in quo gaudere deberet in abundantia sua, et in quo consolari deberet in egestate sua. Et utique sive abundans sive egens bene illo gauderet et bene consolaretur, si illius neque in abundantia, neque in egestate egestatem pateretur. Nunc autem primum malum ejus factum est, ut illo sublato egestatem illius patiat, ut illud non habeat; deinde secundum malum accessit, ut in alio bono consolaretur, ut illud non requirat. Perdito ergo eo quod intus erat bono, egressa est anima ad ea quae foris erant bona aliena, et pactum fecit cum delectationibus saeculi; et regressa induxit eas ad se ut fornicaretur cum eis intus in abscondito cordis sui, et requiesceret super eas, et consolaretur in eis, et non respiceret absentiam boni sui, eo quod abundantiam suam cerneret et consolationem in bonis alienis. Nunc igitur anima desolata a bono suo, desolationem suam non agnoscit, quoniam secum habet societatem alienam delectationum hujus mundi ingredientium ad ipsam per sensus carnis ipsius, vel cum ipsa egreditur ad illas. Cum autem claudi coeperint portae istae sensuum carnalium, non patebit deinceps via transeundi adinvicem; et tunc separabitur societas vanitatis, et erit mundus foris exclusus, ne ingrediatur, et anima intus inclusa, ne egrediatur. Et venit anima ad portas oculorum et clausas inveniet, ut non egrediatur per visum, et declinabit ad portas aurium, obstruas inveniet, ne egrediatur per auditum, deinde diffundet se per aditus sensuum reliquorum, et non erit transitus ullus, quoniam repagula mortis perpetuae, inflexibili rigore et immobilibus seriis valvas sensuum aditus commercii antiqui sine fine concludens. Tunc anima misera in hoc tristi dissidio solam se inveniet, et convertens se requirere incipiet socium illum qui intus est, et excludi non potest, et non poterit habere societatem illius in desolatione sui, quia non requisivit illum in consolatione sui. Tunc illa infelix desperatione cadet ad se, et damnatione sub se, et aperiet se profundum in obviam ruenti; et cum illam exceperit, continuo claudetur sursum, et aperietur deorsum, ut sine fine cadat et ad finem non resurgat. Et tunc primum agnoscet verum esse quod dictum fuerat: *Vae soli! quoniam cum ceciderit, non habet sublevantem* (Eccles. iv). Propterea

dixit : *Orate ne fuga vestra hieme fiat, vel Sabbato* (Matth. xxiv). Quid enim est hiems nisi torpor mortis? Et quid est Sabbatum, nisi post mortem tempus perpetuæ vacationis? Hiems siquidem tollit ambulandi potentiam, Sabbatum negat licentiam. Sic et imminentis mortis torpore astrictus, homo a correctione præpeditur, post mortem vero pœnitentia non recipitur; Hic gravatur, ne prima opera exerceat; ibi ligatur ne imminentem damnationem evadat. Hic correctio gravis, ibi emundatio impossibilis. Propterea bonum est fugere iram venientem priusquam sentire incipias imminentem, ne vel voluntas minus efficax sit sine opere, vel dolor inutilis sine correctione. Cogitet ergo anima in societate alienorum nunc posita, quod non poterit semper permanere cum illis, et eligat interim socium illum, qui, cum omnia subtracta fuerint, solus fidem servat dilectoribus sui, nec recedit in tempore angustiarum. Et si durum videatur pro ejus amore nunc omnia mundi blandimenta respuere, audiat ipsum consolantem et dicentem : *Nonne ego melior tibi sum quam decem filii?* (I Reg. 1.) Quid enim? Dulcis est mundus: et dulcis non est Deus? Absit! *Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super, mel et favum* (Eccli. xxiv). Hanc ergo, fratres, dulcedinem si gustare cœperitis, nec falsam dulcedinem diligetis, nec veram amaritudinem sentietis.

TIT. LIII. *De quadruplici recordatione præteritorum malorum.*

Quadruplex est recordatio præteritorum malorum : Prima, quæ animum ad consensum pravitatis inflectit; secunda, quæ delectatione illicita memoriam afficit; tertia, quæ ad compunctionem et contritionem pœnitentiæ cor emollit; quarta, quæ ex fiducia veniæ ad gratiarum actionem mentem accendit. Prima est malorum, secunda insipientium, tertia proficientium, quarta perfectorum. Primam Deus pro culpa imputat, secundam condonat, tertiam remunerat, quartam glorificat. Prima est iniquitatis, secunda infirmitatis, tertia virtutis, quarta felicitatis.

TIT. LIV. *Unde vitium originem trahat?*

Omne vitium ex natura originem trahit; quia non est aliud vitium, quam affectus naturalis præter ordinem et supra mensuram: ordinem transgrediens, quando movetur ad ea quæ non debet; mensuram excedens, quando movetur plusquam debet. Illa appetens, propter indigentiam, hæc effervens, propter vehementiam. Illic perversus, hic nimius. In David propter indigentiam: appetitus movebatur ad ea quæ non debuit, quando esuriens panes sanctificatos concupivit (I Reg. xxi). In Amnon filio ejus propter vehementiam movebatur plus quam debuit, quando Thamar sororis suæ dilectionem usque ad carnis libidinem relaxavit (II Reg. xii).

TIT. LV. *De variis viis hominis.*

Via vitæ mandatam justitiæ. Primo homini aperta fuit via ad vitam brevis et levis. Nunc autem re-

deuntibus ad vitam viæ demonstrantur, pro una multæ, pro brevi longæ, pro levi laboriosæ. Sic enim dignum fuit ut homo, dum adhuc unus erat, haberet viam singularem, propinquas brevem, justus levem. Nunc autem divisus multiplicem, remotus longam, peccator gravem. Concupiscentia divisit hominem, iniquitas abalienavit, mortalitas debilitavit. Nunc ergo prima via est, ut ad semetipsum redeat, et de multis unus fiat, deinde pergat ad ipsum qui est super ipsum. Prima una est de multis ad unum multiplex. Secunda una est de uno ad unitatem simplex. Prima una est de vitiis ad virtutem; secunda una est de veritate ad beatitudinem. In prima via est fragilis homo relinquere amata; in secunda via debilis apprehendere insolita. Primum homini uni unum præceptum datum est, leve factu, breve effectu. Primum dictum est illi ut ab uno quod foris erat abstinere, postea ut ea quæ intus erant vinceret. Quod nec leve erat ad faciendum, nec breve ad perficiendum. Ibi unum faciendum erat, hic facienti multa obsistunt. Obviat superbia in via humilitatis, vexat invidia in via pietatis, turbat iracundia in via mansuetudinis, libido in via castitatis, avaritia in via misericordiæ, gula in via continentiarum, contumacia in via obedientiarum. Quæ omnia vincere tam difficile est, quam habere naturale est.

TIT. LVI. *De duabus viis in Evangelio.*

Duæ sunt viæ, una lata ad perditionem, altera arcta ad vitam. Illa quæ lata est, multos habet incedentes per se. Illa quæ arcta est, paucos capit. In omni enim genere quæ pretiosa sunt, rara sunt; quæ vilia sunt, numero abundant. Lata autem via est ire quo libet, et facere quod placet. Arcta via est præceptis regi, et desideria fluxa stringere ad regulam æquitatis. Duæ ergo viæ sunt, una mortis, altera vitæ; et duo populi, malorum et bonorum; et duo reges, diabolus et Christus. Et præcedit uterque exercitum suum, unus ad mortem, alter ad vitam. Christus humilitate, diabolus elatione; Christus puritate, diabolus impuritate: Christus obedientia, diabolus contumacia. Et quem quisque duce sequitur in via, habebit regem in patria (48\*).

TIT. LVII. *De virtute et justitia.*

Hoc interest inter virtutem et justitiam, quod virtus magis esse videtur affectus rationalis voluntatis bene formatus, vel recte ordinatus; justitia autem forma vel ordinatio ejus. Tunc bene ordinatur mentis affectus, quando secundum Dei voluntatem movetur.

TIT. LVIII. *De activa et passiva justitia.*

Justitia, alia est secundum debitum facientis, alia secundum meritum patientis. Justitia autem secundum debitum facientis, est potestatis. Justitia secundum meritum patientis, est æquitatis. Justitia potestatis est, qua sine injustitia licet facienti, si velit, quod ejus potestati debetur. Justitia æquitatis est, qua retribuitur patienti, etiamsi nolit, quod

(48\*) De misericordia et veritate quomodo inter se disceptariunt, vide circa principium, inter Exegetica in Scripturam sacram.

ejus merito debetur. Cum ergo Deus punit peccatorem, juste facit, quia ejus potestati debetur ut hoc possit, si velit; et juste patitur qui patitur, quia secundum meritum suum, ei quæ retribuitur quod ejus merito debetur. Et est illic potestas justa, quia Deus juste facit; et ipse justus est. Hic retributio æqua, quia peccator juste patitur. Qua tamen non ipse est justus, sed pœna ejus justa est. Cum vero Deus justificet peccatorem, juste agit, et justus est justitia potestatis, qua ei hoc licet; qui vero justificatur, justus est justitia quam accipit; sed non in eo quod contra meritum suum accipit, sed tamen injustus non est, quia non facit ipse quod accipit; et est justus qui facit, et justitia quæ facit; et est justus qui accipit, justitia quam accipit, non tamen quia accipit, quia sine justitia sua per solam gratiam justitiam accipit.

**TIT. LIX. De lectulo et ferulo Salomonis.**

Salomon est Christus, lectulus Salomonis cor contemplantis, ferulum Salomonis cor per bonam operationem se circumferentis et exercentis. Quando de lectulo Salomonis locuta est Scriptura (*Cant. iii*), non dixit unde factus sit, quia ineffabiles sunt aspirationes contemplationis, quæ cor illuminant. De ferulo autem Salomonis dicit unde sit, et materiam ejus describit (*ibid.*), quia enarrari possunt et dici exercitia virtutum, quæ vitam operantis ædificant.

**TIT. LX. De eisdem.**

Ferulum Salomonis, cor exercitatum in studio virtutis; ferulum, sapientiæ verbum. Inde portatur ab ore ad aurem lectulus, mens contemplativa. Ferulum hoc primum de lignis Libani esse debet per puritatem et incorruptionem veritatis, de argento in præceptis et promissis. In candore argenti, munda conversatio; in sonoritate, dulcis promissio. Habet aurum per sapientiam cœlestem, quod non æruginat in æternitate, sed rubet in charitate. Habet purpuram, quando prædicat passionem; ascensum ad glorificationem. In medio charitas sternitur propter filias Jerusalem, quæ teneris et infirmis proposita est ad obtinendam salutem. Quis tam tener, ut amare non possit? Nam si cætera non potes, amare tamen potes, ut ad ferulum Salomonis pertineas.

**TIT. LXI. De ferulo, id est lectica seu vehiculo Salomonis, a ferendo dicto, et de curru Pharaonis.**

Ferulum fecit sibi rex Salomon ex lignis Libani (*Cant. iii*), etc. Duo vehiculorum genera Scriptura commemorat, hoc est ferulum Salomonis, et currum Pharaonis. Cor bonum ferulum est Salomonis, cor pravum, currus Pharaonis. Quia enim currus per terram trahitur, congrue per currum cor terrenis desiderijs inhærens significatur. Nam sicut currus onustus stridorem emittit, levatus strepitum facit; ita pravorum corda in adversitate per impatientiam quasi stridorem emittunt, in prosperitate per jactantiam strepitum faciunt. Istos quidem Pharaon, id est

A diabolus seperequitans, quasi plumbum in profundum mergitur, quia eos quos hic ad vitia impellit, tandem ad tormenta descendentes comitatur. Ferulum autem Salomonis terram non tangit, sed supereminet, et motum quidem habet, strepitum vero aut stridorem non habet, quia cor ad superna desideria elevatum, terrenis delectationibus spreto, quamvis adhuc per conditionem mutabilitati subiacet, nec in adversitate tamen stridet per impatientiam, nec in adversitate per jactantiam strepit. Est adhuc aliquid quod supradictæ distinctioni annecti potest. Ponamus igitur tria, id est lectulum Salomonis, et ferulum Salomonis, et currum Pharaonis, et intelligamus per lectulum Salomonis, cor dulcedine contemplationis, requiescens; per ferulum Salomonis, cor in exercitationem bonorum operum se circumferens; per currum Pharaonis, cor in cupiditate carnalium requiescens.

**TIT. LXII. De ferulo et lectulo Salomonis**

(49) Ferulum Salomonis est cor exercitatum in studio virtutis. Ferulum sapientiæ est verbum, quod portatur ab ore ad aurem. Lectulus, mentis contemplatio. Ferulum hoc primum de lignis Libani esse debet per puritatem et incorruptionem veritatis, de argento in præceptis et promissis. In candore argenti munda conversatio, in sonoritate dulcis promissio. Habet aurum per sapientiam cœlestem, quod non æruginat in æternitate; sed rubet in charitate. Habet purpuram, quando prædicat passionem; habet ascensum ad glorificationem. In medio charitas sternitur propter filias Jerusalem, quæ teneris et infirmis proposita est ad obtinendam salutem. Quis enim tam tener, ut amare non possit? Nam si cætera non potes, amare tamen potes, ut ad ferulum Salomonis pertineas.

**TIT. LXIII. De quatuor modis quibus notitia Dei manifestatur homini, seu de natura gratia et Deo.**

Quatuor modis notitia Dei cordi humano manifestatur: duobus intus, duobus foris. Duobus per naturam, duobus per gratiam. Intus, per rationem et aspirationem. Foris per creaturam et per doctrinam. Ad naturam pertinet ratio et creatura; ad gratiam, aspiratio et doctrina. Fuerunt ergo duo simul natura et gratia, non sola natura, neque sola gratia: ne, si natura totum posset, gratia non quæreretur; aut si nihil posset, culpa excusaretur. Judæi naturam totum posse dixerunt, et gratiam non quæsiverunt. Gentiles quidam naturam nihil posse existimaverunt, et culpam excusaverunt; et utrique erraverunt. Inter quatuor prima est ratio, secunda creatura, tertia doctrina, quarta aspiratio. Ratio investigat, creatura approbat, doctrina explicat, aspiratio confirmat fidem. Tres sunt testes approbationis quod Deus est: affectus, defectus, et effectus. Affectus præcedit, sequitur defectus, occurrit effectus. Affectus quærit, defectus exigit, effectus tribuit quod non esset, si Providentia non esset. Sunt adhuc alii testes tres in creatura divinitatem Crea-

(49) Eadem, paucis mutatis, leguntur in titulo 60.

toris profitentes, magnitudo potentiae, pulchritudo A sapientiae, benignitatis utilitas. Deinde Scriptura explicat quæ creatura probat. Primum Deum esse, deinde unum esse, deinde et trinum. Et contestatur ipse Deus fidei, ne testimonium hominis minus firmum foret. Ante legem dixit se esse, sub lege unum, sub gratia trinum, ut paulatim cresceret cognitio veritatis. Ante legem dixit : *Ego sum (Exod. iii)*. Et iterum : *Ego sum qui sum (ibid.)*. Et rursum : *Hæc dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos (ibid.)*. Sub lege dixit : *Audi, Israel, Deus tuus Deus unus est, ipsum adorabis, et ei soli servies (Deut. vi)*. Sub gratia dixit : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Matth. xxviii)*. Confirmationem aspirationis novit ille qui accipit.

**TIT. LXIV. De superbia et humilitate.**

Deus hominem formans et condens iudicio, posuit in eo quædam humilia, quædam gloriosa. Venit autem superbia, et invenit excellentia quædam et decora, pulchra ad concupiscentiam; humilia autem et infirma, turpia ad confusionem et ignominiam; et premitur ubi tumet; et confunditur ubi gloriatur. Venit autem humilitas, et considerat pulchra sine concupiscentia, infirma sine ignominia; et placet in utroque Conditor. In altero quidem, quia suam potentiam probat; in altero vero, quia nostram præsumptionem temperat, ut in uno videamus, quantum de ipso præsumere possumus; in altero autem, quam humilia de nobis sentire debeamus.

**TIT. LXV. De triplici contemplatione et eruditione.**

Prima contemplatio est de visibilibus. Secunda de visibilibus ad invisibilia. Tertia de invisibilibus. Sic prima eruditio est in littera, secunda de littera ad sensum, tertia in sensu.

**TIT. LXVI. De tribus gradibus fidei.**

Tres sunt gradus fidei: Primus est ea quæ dicuntur per pietatem solam eligere; secundus, ea quæ electa sunt per rationem approbare; tertius, quæ approbata sunt per puritatem apprehendere. Quartum genus hominum est, quibus solum credere est fidei, non contradicere. Qui tamen consuetudine vivendi magis quam veritate credendi fideles nominantur. Fideles autem primum per pietatem electionem faciunt. Postea ex ratione existimationem concipiunt. Novissime per puritatem assertionem comprehendunt. Tribus item gradibus cognitio fidei crescit. Alii enim audita sine discussione credenda suscipiunt. Alii credenda ratione discutiunt et credunt. Alii discussa et credita effectum comprehendunt. Primi habent fidei cognitionem, secundi cognitionis, tertii rationis assertionem. Sic per tempora crevit fides. Ante legem Deus creator credebatur, et ab eo salus et redemptio expectabatur; per quem vero et quodammodo eadem salus implenda ac perficienda foret, exceptis paucis quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, a cæteris etiam fidelibus non cognoscebatur. Sub lege autem persona Redemptoris mittenda prædicebatur, et ventura expectabatur:

quæ autem ipsa persona foret, hoc est, an homo, an angelus, an Deus, nondum manifestabatur. Soli hoc cognoverunt qui per spiritum singulariter ad hoc illuminati fuerunt. Sub gratia autem manifeste ab omnibus jam et prædicatur et creditur, et modus redemptionis, et qualitas personæ Redemptoris. Semper tamen in Ecclesia Dei ab initio fides fuit incarnationis et passionis Christi, quia ab initio nunquam desuerunt qui hoc cognoverunt. Alii salvabantur, quia horum perfectioni fide simplici iungebantur, et eos bene operandi sequebantur. Item sciendum quod aliud est affectio animi qua creditur, aliud cognitio qua percipitur quod creditur. In affectione fides est; in cognitione, ea quæ pertinent ad fidem. Aliud est ergo fides, aliud cognitio fidei. Et potest quidem ejusmodi cognitio sine omni fide esse; fides autem sine cognitione esse omnino non potest; et tamen aliquando supra cognitionem esse potest, quoniam fides est etiam de fide

**TIT. LXVII. Quod charitas nunquam excedit.**

Dilecto filio R. Hugo peccator, etc. *Vide supra inter epistolas Hugonis.*

**TIT. LXVIII. Quare conscientia hominum velata sint.**

Propterea Deus conscientias hominum in præsentia vita ad invicem manifestas esse noluit, ne videntes ad malum provocarentur, et habentes confunderentur. Tanta etenim mala, quæ in corde hominis versantur, si paterent, et videntibus mutuo essent incitamentum ad culpam, et habentibus testimonium ad ignominiam. Propter hoc velata sunt occulta cordium, ut in futuro iudicio locus esset. Est autem velamen cordis habitus corporis sive manifestus, sive dubius et boni mali.

**TIT. LXIX. De servitute et timore Dei.**

*Fili, accedens ad servitum Dei, sta in timore: et præpara animam tuam ad tentationem (Eccli. ii)*. Primum hoc intendite quam longe homo est a Deo, qui accedere jubetur ut servus fiat. Quam longe est ab eo ubi filius est qui necdum esse cœpit, ubi servus est? Nec mirum. Servus enim, quamvis servus, tamen in domo est, et domesticus et notus. Quamvis non permansurus, tamen intus est, et cognoscens et cognitus. Qui extra est, non novit ea quæ intus aguntur. Foris canes et venefici, intus filii et servi. *Servi exituri, filii permansuri. Fili, accedens*, adhuc foris est, et filius dicitur, nondum servus est, et jam filius. Sic Israel in Ægypto positus, filius primogenitus vocatur. Gratia enim meritum anticipat. Ergo *accedens ad servitum Dei, sta in timore*. Sta, non ut non proficias, sed ne deficias. Sta permanens in eo quod cœpisti, non rediens ad id quod fuisti. Sta in timore. Timor configat lubrica carnis, ut non effluat ad culpam, dum prospicit pœnam. *Et præpara animam tuam ad tentationem*. Firma proposito, exerce virtute, cautela muni; firma ut cedere velit, exerce ut resistere possit, muni ut, ubi non potest vincere, sciat declinare.

**TIT. LXX. Quod bonus animus sit hortus voluptatis.**

*Quasi hortus voluptatis terra coram eo; et post eum*

*solitudo deserti* (Joel, II). Rex aquilonis diabolus, A hortus voluptatis, rationalis et bonus animus. Hujus horti cultor et custos est Deus, vastator et desertor diabolus. Super hanc quippe rationalem terram cadens semen verbi Dei, per intelligentiam accipitur; dehinc tegitur ad fomentum, et ad consilium contra periculum. Ad fomentum, ut prius radice quam germinet, prius deorsum pergat ad confirmationem quam sursum ad ostentationem, prius radice per occultum propositum, post germinet per manifestum exemplum. Germinet sursum, pergens ad fructum; radice deorsum, pergens ad stabilimentum. Sursum charitate, deorsum humilitate. Ad consilium tegitur, ut non prius proferatur ad actionem quam dirigatur per circumspectionem. Prius concipis quod faciendum est, postea foveas meditans qualiter faciendum est. Contra periculum tegitur, ut tunc etiam non pateat ad ostentationem, cum exierit ad operationem. Sic itaque verbum Dei, super bonam terram cadens, radicat, et germinat, et fructum facit, et fit hortus voluptatis proferens omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, et spirans aromata redolentia. Ad hunc veniens diabolus rex aquilonis plenum amœnitatem invenit, ingrediens autem et exterminans, et vastans, et deinde discedens horrendum solitudinem relinquit.

TIT. LXXI. *De conformitate Christi induenda.*

*Induimini Dominum Jesum Christum* (Rom. XIII), formam scilicet Christi, similitudinem Christi; hanc induere, hanc assumere. Conformare, commetire. Sursum et deorsum pergit sapientia, a fine usque ad finem. Sursum majestate, deorsum humilitate. Si altitudinem respicis, nemo Christo sublimior. Si defectionem intendis, nemo Christo humilior. Vide quantum descendit humilitate. Filius erat, et factus est servus, et accepit non solum conditionem servi, ut subesset, sed et mali servi, ut vapularet, et amplius ut solveret per pœnam quod non rapuerat per culpam. Sic itaque humiliatus est. Quomodo? Æqualis ad subjectionem, justus ad passionem; nec ad quamlibet, sed mortis; nec cujuslibet, sed confusionis. Quis sic gloriari potest? quis sic humiliari? Usque ad infimum humiliatus, usque ad summum exaltatus. Descendens non reliquit ultra quo humiliaretur; ascendens non reliquit ultra quo exaltaretur. Descende post Christum humilitate infima patiando; ascende post Christum charitate summa appetendo. Perge cum ipso, ut crescas in ipso. Imitari potes, non æquari.

TIT. LXXII. *De cognitione veri, quam sit naturalis.*

Desiderium cognoscende veritatis intantum naturale animæ est, ut, quantumlibet sit perversa, illo omnino carere non possit. Quotidianæ quæstiones indicant quod scire verum omnes cupimus. Tota vita hominis in quæstione est. Quandiu vivitur, quæritur. Nemo falli vult, etiam si quisque fallere velit: in hoc vero probat cor humanum nihil magis proprium sibi esse quam

verum; sed perversi ibi verum quærunt ubi salus non est. Verum quia homines sunt, ubi salus non est, quia perversi sunt. Verum et non bonum. Propterea non inveniunt verum bonum. Alius quærit ad iniquitatem, alius quærit ad cupiditatem, alius quærit ad curiositatem. Quærit alius quomodo lædere possit illum quem odit; et forte invenit quod quærit, et verum est quod sic lædi potest. Sed verum hoc ad iniquitatem ducit, non ad bonitatem. Alius quærit quomodo multiplicare possit pecuniam, augere divitias, lucra cumulare; et contingit aliquando ut inveniatur quod quærat. Et verum est omnino quia sic fieri potest, et sic agi; sed verum hoc, bonum sibi junctum non habet. Verum quidem bonum est, sed cum vero bonum non est, quia cupiditas bonitas non est. Alium curiositas trahit ad quærendum verum. Insectatur rumores, nova captat, secreta scrutatur, ut vitio suo pabulum ministret, et est hic similiter verum sine socio bono, ut in omnibus his verum bonum non inveniatur. Alii verum quærunt, et amant illud habere, quia verum est. Et hi recte quidem diriguntur quia verum quærunt propter bonum; sed non perducentur, quia non quærunt propter summum bonum. Tales sunt qui scrutantur secreta naturæ, et desiderio magno feruntur, ut sciant solum quod verum est in rebus conditis. Et est quidem etiam illic quod jure delectare debeat; ita tamen si cor hominis per id quod infra diligitur, ad amorem illius, qui summe bonus est, accendatur. Propterea melius est illud quo docetur homo primum semetipsum cognoscere, et quod est ut corrigat, et quod esse debet, ut esse studeat; postea Creatorem suum ut agnatum quærat, et inveniens in illo requiescat.

TIT. LXXIII. *Cur Filius Dei rogat Patrem.*

*Ego rogabo Patrem de vobis* (Joan. XVI), etc. Filius Patrem rogat pro Spiritu sancto mittendo discipulis. Qui rogat est Deus, quem rogat Deus, pro quo roget Deus. Deus rogat Deum pro Deo. Mira res! Unum bonum est, et insinuat se nobis, ut quærere discamus illud. Vult enim desiderari, et aptat semetipsum ad nos, ut provocet ad amorem quærendi. Rogat docens, rogatur appetens, promittit consolans. Nisi rogaret, non ostenderetur indigentis necessitas; nisi rogaretur, non intelligeretur muneris dignitas; nisi promitteret, non confirmaretur expectantis tarditas. Deus pro homine se inclinat ad precem. Magna charitate, magna necessitate, magna utilitate. Magna charitate, qua tantum diligitur impius. Magna necessitate, qua alitur, non salvatur perditus. Magna utilitate, qua sic revocatur aversus. *Ego rogabo Patrem*. Quare rogat qui dare habet? ostendit quid de ipso sentias, hoc est, ut intelligas bonum tuum, et ibi sentias unde quæras.

**TIT. LXXIV.** *De magna peccatoris respiratione, et A*  
*dubiorum circa conscientiam decisione.*

Insipientem doctus interrogas. Quæris quid tibi faciendum sit pro eo quod in habitu religionis positus, opera digna professione tua non habes. Recte equidem, charissime, moveris, imperfectum tuum considerans. Justus est dolor, si tamen nimius non est. Injuriam misericordiæ facimus, si in qualicumque miseria nostra ex ipsa misericordia desperamus. Quando peccas, tollis tibi bonitatem tuam; quando vero times, ne forte tibi non ignoscat Deus, tollis illi bonitatem suam. Hæc est major iniquitas. Plus impius efficeris, si pro tua iniquitate aliquid minus senseris de ipsius bonitate. Demus ergo confusionem nobis peccata nostra confitendo, demus gloriam illi de ipsius misericordia nullatenus diffidendo. Si opera nostra nobis sufficerent, gratia quid faceret? Propterea enim gratia necessaria est, quia ex opere suo non justificatur homo coram illo. Non igitur sic doleamus de imperfectione nostra, ut minus respiremus, vel speremus in bonitate divina. Deinde etiam hoc animam tuam movere dixisti, quod præteritorum commissorum tuorum memoriam succedens oblivio in multis confudit, ut non possis sicut dignum fuerat, eorum; in quibus offendisse Deum te dolere, reminisci. Et hæc quidem tanto magis tibi sunt suspecta, quanto magis occulta existunt. Vera sunt hæc; nec est quod contradici possit. In omnibus his periculum patitur homo, et subjacet iudicio, si misericordia iustitiam non mitiget; sed Deus noster misericors est, et parcit supplicibus, et humilem nunquam derelinquit. Magna quidem culpa erat peccatum non cavere et successit alia culpa, perpetrata malitia, periculum non timere, et avertere oculos ne malum suum videat homo et ut non intelligat quid patiatur. Et tamen post hæc omnia adhuc vivit misericordia æterna, cui ille clamavit: *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo (Psal. xviii)*. Et iterum, *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos (Psal. xxiv)*. Propterea ad illum respicio, qui videt quod ego videre non possum, ut mundet me etiam ab his sordibus, ubi sum maculatus per culpam, nec illuminatus per scientiam. Ipsi enim confiteor culpam meam, non solum quia malum feci, sed quia etiam malum meum cogitare et cognoscere neglexi. Propterea ad illum intendo misericordiam implorans, ut manu pietatis suæ tergat maculas iguorantiæ meæ; qui, et si ignoro quid feci, non tamen ignoro quod male feci. Quod postea dixisti, sæpe te cogitationibus quibusdam præteritorum malorum per illicitam quamdam delectationem in animo renascentibus perturbari, atque ex hoc admodum contristari, propterea quod nonnunquam etiam in tempore orationis his pulsari soleas et vexari. Breviter respondeo quod, si pugna non esset, victoria nulla

esset. Quod autem subjunxisti male te alio genere fatigari, ubi labor esset, sed periculum tantum non esset: ad hoc similiter respondeo quod, si nulla delectatio esset in cogitatione, nullus omnino labor esset in contradictione, quia animus omne quod non delectaret, facile refutaret. Hic vero labor est cum eo pugnare quod placet, hoc est amare pariter et improbare. Quæ tamen delectatio, si firmum est animi propositum in bono, non solum non nocet, sed etiam prodest, quia in eo quod resistentem fatigat, vincentem coronat. Quod autem novissime addidisti de motibus perturbationis, qui nonnunquam, occasionibus incurrentibus, quietem mentis concutiunt, verbis Psalmistæ respondeo: *Irascimini, et nolite peccare. B* *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini (Psal. iv)*. Si ira venit ad animum, non procedat actio ad peccatum; et ex eo quod intus mens per iram turbatur, conscientia per pœnitentiam compungatur. Hoc est enim remedium, ut si venerit turbatio, et cohibeatur ne exrescat, et compungatur ut desinat, et fiat quod dicitur: *Turbatus sum et non sum locutus (Psal. lxxvi)*. Non est mirum si turbatur homo, quia homo est; sed si turbationem suam non moderatur, hoc est mirum, quia rationalis est. Propterea si turbatur, non loquatur, frenet linguam, claudat conscientiam, ut quod intus ortum est per infirmitatem, foris per discretionem cohibeatur, donec intus exstinguatur.

**TIT. LXXV.** *Quod sacra Scriptura sit cathedra C*

Cathedra doctoris sacra Scriptura est, in qua jugiter populo præsidere debet, et per auctoritatem præceptionis, et per exemplum conversationis. Posterior pars cathedræ contemplatio est, quæ latet in abscondito; anterior pars prædicatio, quæ proponitur in manifesto. Duo pistillia quæ in posteriori parte consistunt, timor est et amor, quia, dum per contemplationem mentis ad ineffabilem Dei majestatem respicimus, timor nascitur; dum vero inenarrabilem bonitatem ejus consideramus, amor generatur: et subsistit contemplatio in iis quæ quasi retro sunt et videri non possunt, timori innixa et amori. Postea ex his duobus quæ in occulto contemplationis sunt, duo alia ad manifestum prædicationis procedunt, terror scilicet et blandimentum, quasi duo pistillia anteriorem partem cathedræ typicæ portantia, ut scilicet ex timore terror prodeat, et ex amore blandimentum procedat. Et in sinistra quidem parte timor posteriorius, et terror ante constituitur, ut in dextra amor retro, et blandimentum anteproponatur. Unde et ea quæ retrorsum consistunt, pistillia in altum porriguntur anteriora, quasi genibus coaptantur, quia timor et amor per contemplationem amplius in utraque parte concipiunt; terror vero et blandimentum in prædicatione, non quantum est semper, sed quantum expedit proferendo parvulis; et qui adhuc quasi genibus Ecclesiæ matris portantur,

condescendunt. Quod sedenti deorsum est, terrena A significat. Sub ipso necessitas, in dextra prosperitas, in sinistra adversitas. Primum portat et premitur. Secundum astat et contemnitur. Tertium instat et superatur. Quod sedenti juxta est, presentis vitæ est ædificatio, quod superius, futuræ expectatio. Quod juxta est in dextra, boni operis cautelam significat. Quod in sinistra contra malum munimen circumspectionis designat. Quod sursum est retro est, quia quæ futura sunt non videntur (50).

**TIT. LXXVI. Quomodo sapientia vicit malitiam.**

Sapientia vincit malitiam. *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. viii). Sapientia Dei sicut testatur Apostolus (I Cor. i), Christus est. Hæc ergo sapientia malitiam B vicit, quando per passionem carnis diabolus triumphans ab ejus potestate genus humanum eripuit. Sapientia malitiam vicit quia plus ad nostram salutem potuit Redemptoris gratia, quam ad perditionem valuisset malitia seductoris. *Attingens a fine usque ad finem fortiter*, quoniam et prius superbum de supernis expulit, et post apud inferos potenter avaram spoliavit. *Disponens omnia suaviter*, quia et patientiam cum consilio, et judicium cum ratione exhibet.

**TIT. LXXVII. De quinque statibus humanis.**

Quinque status habet vita humana, per quos (quia nunquam in eodem statu diu permanere potest) sine intermissione mutatur, sive in melius proficiens, sive deficiens atque decrescens in pejus. Qui sunt gaudium vanitatis, dolor confusionis, gaudium consolationis, dolor exercitationis, gaudium felicitatis. Gaudium vanitatis est pro lucris temporalibus lætari. Dolor confusionis est pro damnis temporalibus contristari. Gaudium consolationis est ab impugnatione vitiorum quiescere. Dolor exercitationis est molestias tentationum sustinere. Gaudium felicitatis, internæ dulcedinis jucunditatem degustare. Per gaudium vanitatis plus elongat anima a Deo, quia tanto longius ab eo qui intus est, recedit, quanto avidius se ad delectationes exteriores effundit. Dolor confusionis malam quidem delectationem quasi foris præcidit, et animam intro redire compellit; quæ tamen ex ipso quod non sponte, sed quodammodo coacta ad semetipsam retruditur, nec perfecte vitium deserit, neque ad virtutis integritatem veraciter reparatur. Gaudium vero consolationis jam quodammodo mentem extrinsecus fovet atque componit, suadetque ut secum permanere eligat, neque extra dignetur quærere quod intus potest veracius atque securius possidere. Porro dolor exercitationis ita omnem exterioris delectationis memoriam ab animo secludit, ut dum suo intrinsecus dolori intendere cogitur, quod foris sit delectabile minime recordetur. Postremo gaudium felicitatis hominem etiam scipsum oblivisci facit,

quia, dum mens tota supernorum gaudiorum dulcedini inhiat super se elevata, non solum infimæ delectationis non meminit, sed ipsa quoque sibi quodammodo feliciter in oblivionem venit. Igitur gaudium vanitatis animum dispergit, dolor confusionis colligit, gaudium consolationis componit, dolor exercitationis ligat, gaudium felicitatis sanat. Fit tamen nonnunquam ut gaudium vanitatis vertatur quibusdam in gaudium consolationis, et econtrario gaudium consolationis quidam abutantur pro gaudio vanitatis. Rursum aliis dolor confusionis in dolorem exercitationis vertitur, et item aliis dolor exercitationis in dolorem confusionis.

**TIT. LXXVIII. De sex modis operandi.**

Sex sunt opera. Primum opus est de nihilo aliquid B facere. Secundum opus est de aliquo facere aliqua secundum essentiam in majus. Tertium opus est de aliquibus facere aliquid secundum essentiam in minus. Quartum opus est de aliquo facere aliqua non in majus. Quintum opus est de aliquibus facere aliquid non in minus. Sextum opus est de aliquo facere nihil. Primum opus est creationis. Secundum opus est propagationis. Tertium opus est unionis. Quartum opus est separationis. Quintum opus est conjunctionis. Sextum opus est destructionis. Primum opus et secundum, et tertium tantum bona sunt. Quartum et quintum aliquando bona, aliquando mala; Sextum tantummodo malum est. Primum et secundum, et tertium soli Deo possible sunt. Quartum et quintum communia sunt Deo cum creatura. Sextum soli creaturæ [Creatori] competit. De nihilo enim aliquid facere solus Deus potest. Item de aliquo plus secundum essentiam, id est ut una essentia in plures excrescat, solus Deus facere potest. Item de aliquibus aliquid in minus secundum essentiam, id est ut plures essentia in unam redeant, solus Deus facere potest. Sunt qui negant aliquid crescere posse, nisi ei aliquid vel aliunde extrinsecus addatur, vel novum concreatur, sed non attendunt hi hoc vere incrementum non esse, in quo neque id quod additur, neque id cui additur, crescere probatur. Neque enim aliud conjuncta sunt, quam disjuncta fuerunt, sed forte impossibile videatur, ut de una simplici essentia plures essentia per incrementum prodeant, D quia quod simplex est, nec minus esse quam est, nec plus esse putant. Quid ergo dicimus plus esse inter nihil et aliquid, quam inter aliquid et amplius? Quem ergo confitemur creando de nihilo aliquid fecisse, cur negetur ipsum aliquid ad amplius extendere propagando? Sic est in opere unionis, cum plures essentia una fiunt. Quod licet a sensibus remotum sit, tamen in occulto naturæ sinu in elementis aliquando fieri, quam temerarium est asserere tam stultum negare. De nihilo aliquid factum est, quando *in principio creavit Deus cælum et terram* (Gen. i). De aliquo plus, quando de costa viri facta est mulier, et quando de quinque panibus satiata

(50) De mutabilitate rerum temporalium. Vide inter Homilias, hom. 13 in Ecclesiasten.

sunt quinque millia hominum. Nonne in sacramento corporis et sanguinis Christi quotidie plures essentiae uniuntur cum substantia panis et vini, quæ ante benedictionis verba ab essentia corporis Christi veraciter aliud sunt, per ipsam benedictionem, Spiritu sancto mirabiliter operante, in ipsam corporis Christi substantiam convertuntur, ita ut post sanctificationem solum corpus Christi sit quod ante veraciter panis et vini substantia fuit? Neque hæc corpori Christi extrinsecus in augmentum accedunt, aut incorporantur, ut essentialiter diversa permaneant, sed in ipsam commutantur, ut essentialiter prorsus unum fiant. Hoc tamen opus divinæ potentiae, utrum alias in natura alicubi modo occulto et incognito agatur, sicut asserendum non est, ita nec pertinaciter, cum res valde dubia sit, contradicendum. Hæc tamen veraciter fieri nullatenus dubitandum. Hæc itaque opera tria ad solam Dei potentiam pertinent. Quartum et quintum, id est de aliquo aliquid facere, nec in majus, nec in minus, ut verbi gratia, si aliqua in unum componantur, componentia composito æqualia sunt, et si unum in multa dividatur, dividenda diviso paria existunt. Hæc enim duo quæ solum creatura potest, id est vel separata conjungere, vel conjuncta separare cum Deo nobis communia sunt. Et ideo quando hæc a Deo fiunt, sine nobis bona ejus sunt. Quando a nobis sine Deo mala nostra. Quando a Deo nobiscum, vel a nobis cum Deo bona ejus et nostra. Sextum opus est id quod facere nihil esse; hoc Deus in se non potest, in creatura non vult. Angelus et homo in creatura non potest. In se aliquando potest et vult, aliquando potest et non vult, nunquam vult, et nunquam potest. Hoc tamen totum non quantum ad essentiam, sed quantum ad justitiam. Sic in Genesi Deus sex diebus operatus dicitur; et in Evangelio similiter sex opera misericordiae numerantur, quia in senario perfectionis summa nec plus justo habens, nec minus, et signata est et contenta. Ergo non continebit in ira sua misericordias suas, quia bonitas usque ad quinque opera extenditur; malitia vero tantum per tria dilatatur.

Tit. LXXIX. *De fuga a vitiis et eorum occasionibus.*

*Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrere fugienti (Isa. xxi).* Quare, fratres, Scriptura sacra tantopere nobis fugam persuadet, nisi quia et nostram infirmitatem et periculi magnitudinem considerat? Sed quæ est fuga ista? Quid fugere debemus? aut quomodo au quando? Tres sunt qui movent bella contra nos. Diabolus, caro, et mundus. Diabolus ducit contra nos agmina vitiorum, caro malorum desideriorum, mundus prospera et adversa. Felicius autem esset contra hæc omnia bene pugnare et vincere, sed qui infirmus est, expedit illi magis fugere et salvari, quam male pugnare et superari. Vitia igitur fugimus, quando peccati occasionem declinamus, ut in luxuria carnis sacriem, in ira contentionem. Desideria fugimus, quando illorum irritationem cavemus, ne oleum

A projiciamus in ignem, et exardescat quod calet; prospera et adversa fugimus, quando nec ea quæ delectant requirimus, per cupiditatem timentes dissolvi, nec in ea quæ cruciant jactamur præsumptione frangi metuentes. Ecce diximus quid fugere debeamus et quomodo. Nunc consideremus quando fugiendum sit. Dicit Veritas: *Videte ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbato (Matth. xxiv).* In hieme vias aut gelu exasperat, aut pluvia lubricas facit. Quid est ergo hiems nisi torpor mortis imminens, quando dolor membra carnis constringit passione, et robor dissolvit compassione? Et quod est Sabbatum, nisi illud quod post mortem tempus sequitur, quando ab hac vita eductis operandi licentia tollitur, et ab eo quod fixum est, declinandi possibilitas omnino negatur? Si ergo fugere vis venturam iram, fuge dum sanus es, quia in morte fuga est gravis; post mortem vero non est omnino possibilis. Mala enim quæ in vita fugere noluisti, post mortem, etiam si volueris, declinare non poteris. Sequentur enim illic retributione quæ hic delectatione committuntur. Propterea hic fuge, dum potes; ne autem deficias in via, audi consolationem. Panes tibi offerentur. Reficiaris, ne deficias. Nec expectabis in fine viæ sed occurrent tibi ne deficias in via. Habitantes terram austri occurrent tibi cum pauperibus, si fugientem viderint. Occurrent compassione, reficient consolatione. Bonos consolatores habebis, habitantes terram austri. In austro splendor et calor est: splendor coquitionis, calor dilectionis. Terram austri inhabitant qui in cognitione et dilectione veritatis pausant. Isti abundant panibus verbi Dei, et reficiendis laborantibus accurrunt. Iste enim panis est, qui cor hominis confirmat, quia *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (Matth. iv).* Iste panis cum sit unus, diversa tamen specie proponitur. Aliquando enim subcinericius dicitur, aliquando hordeaceus vel triticeus nominatur. Elias fugiens in deserto, subcinericio pane reficitur. Filii Jerusalem qui pacem inhabitant, adipe frumenti satiantur. Qui vero super fenem recumbunt, panem hordeaceum comedunt. Panis sub cinere, refectio est sub vilitate. Sunt quædam loca in Scriptura sacra, quæ vilitatem prætendunt in specie litteræ, sed dulcedinem servant in profunditate spiritualis intelligentiæ, hic est panis sub cinere, refectio sub vilitate. Vis ut ostendam tibi subcinericium panem? Legis in Scriptura sacra quomodo Rachel et Lia sorores duæ pro viro Jacob uno contendunt, ultra illarum potius concubitu ejus potiatur. Magna hic species vilitatis, magnus cumulus cineris, magnus acervus terrenitatis. Revolve cinerem, scrutare interius, panis ibi latet, refectio abscondita est. Vide ecce panem discoopertum, duæ sorores duas vitas significant. Lia quæ interpretatur *laboriosa*, significat vitam activam, quæ est secunda in fructu boni operis, sed parum videt in luce contemplationis. Rachel quæ interpretatur *visum principium*, designat vitam con-

templativam, quæ est sterilis foris in opere, A sed perspicax in contemplatione. In his duabus vitis quasi quædam contentio est animæ sanctorum alternatim nitentis ad amplexum Sponsi sui, id est Christi, sapientiæ videlicet Dei, quæ animam sanctam ad prolem fecundat virtutum. Contendunt ergo contemplatio et actio pro amplexu sapientiæ. Qui in contemplatione est suspirat pro sterilitate operis; qui in opere est, suspirat pro júbilo contemplationis. Uterque quasi abjectum se gemit in comparatione alterius, et fit contentio desideriorum spe et timore utrumque concitante. Ecce invenisti panem sub cinere, reficere et delectare. Non attendas quod foris apparuit in cinere, sed quod intus latuit in refectioe. Vis adhuc videre panem sub cinere, dum latuit, vilem; dum patuit, dulcem? Christus sub mortalitate panis est sub cinere. Vides foris infirmitatem nascentis, vagientis, plorantis angustias cunarum, vincula fasciarum. Totum hoc cinis est, terrenum et infirmum. Sub hoc cinere tamen latuit Verbum, refectio angelorum et hominum. Lassentem vides, esurientem et sitientem, mentem, compatiens et patientem, morientem et carne deficientem. Et hæc omnia quid fuerunt nisi emis, indicia corruptionis, signa mortalitatis? et latuit sub his virtus Deitatis, quam qui evolvere poterunt saturari meruerunt. Ecce quomodo tibi Scriptura panem subcinericium proponit. Vides alibi eloquium sacrum, secundum litteræ superficiem, durum, quasi paleam tenacem habens, ubi vix ad medullam spiritualis intelligentiæ penetrari possit, hic est hordeum. Palea quidem cum labore excutitur, sed cum ad interiora perveneris, dulcedo confortans invenitur. Invenis alibi sacram Scripturam, et levitate verborum, et suavitate intellectuum blandientem. Hinc et triticum, in quo mentibus suaviter nutriendis dulcis refectio præparatur. Ista tria genera panis in mensa Dei proponuntur propter tria genera reficiendorum. Panis subcinericus datur pauperibus, panis hordeaceus servis, panis triticeus filiis. Pauperes in mensa Dei sunt, qui semetipsos despicientes exemplo humilitatis et abjectionis pascunt. Servi in mensa Dei sunt, qui in studio spiritualis exercitationis constituti, fortia quæque et obscuriora Scripturarum loca, quasi excussa palea detegentes, cum labore ad medullam spiritualis intelligentiæ gustandam perveniunt. Filii in mensa Dei sunt qui in suavitate dulcedinis æternæ requiescunt. De pauperibus dictum est: *Edent pauperes et saturabuntur* (Psal. xxi). Si ergo pauperes edunt, qui solo merito pietatis pascuntur, multo magis servi, et filii qui pro merito boni operis præmio recompensatione dilectionis reficiuntur. Pauperibus proponitur panis subcinericus, ut eos reficiat per exemplum conversationis. Servis proponitur panis hordeaceus, ut eos reficiat per formam fidei. Filiis proponitur panis triticeus, ut eos reficiat per sacramentum dilectionis, pauperes ad consolatio-

nem, servos ad corroborationem, filios ad exultationem.

TIT. LXXX. *Quod non solum corde tenenda, sed et ore confitenda sit fides Christiana, ad archiepiscopum Hispalensem, qui eam ore negaverat.*

JOANNI Hispalensium episcopo Hugo servus Christi, etc. *Vide supra inter epistolas Hugonis.*

TIT. LXXXI. *De eo quod scriptum est: « Cum esset Jesus annorum duodecim » quomodo Verbum caro factum nobis remedium præstat et exemplum. De Jerusalem quæ descendit de cælo; de confessione et veritate, quæ de terra oritur, et quomodo pro-*

*Cum esset Jesus annorum duodecim, etc. (Luc. 11).* Sicut mundus iste dupliciter servit homini, ad sustentationem scilicet carnis et ad eruditionem mentis, sic Verbum caro factum remedium præstat et exemplum. Remedium in eo quod oblatum est ad redemptionem; exemplum, in eo quod operatum est ad imitationem: remedium in eo quod factum est, exemplum in eo quod fecit. Imitatio ejus similitudo ejus.

*Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, aedificantem de cælo (Apoc. xxi).* De cælo descendit, et fabricata est in terra. De cælo forma, de terra materia. Sic forma hominis homo, et forma Christi Christus. Unde illud: *Induimini Dominum Jesum Christum* (Rom. xiii); formam igitur, id est imaginem Christi. Ipsa imago et ipsa est imitatio. Idcirco factus est tibi exemplum, ut tu illum imitando indueres. Fecit corporaliter, tu spiritualiter imitare. *Etsi, inquit, Christum secundum carnem cognovimus, jam non cognoscimus* (II Cor. v). In exemplo secundum carnem cognovimus, imitatione secundum carnem jam non cognovimus. Secundum carnem Christus natus est in mundo; secundum spiritum veritas nascitur in corde tuo. Christus in Judæa nascitur de Virgine, et veritas in confessione nascitur de puritate. *Veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit* (Psal. lxxxiv). Quando confiteris peccata tua, veritas de terra oritur; quando vero confitenti ignoscit Deus, respicit justitia de cælo. Vis ut Deus tecum sit, confitere quod es. Cum verax esse cœperis, veritas tecum esse incipit. Dic: *Malus sum.* Breve verbum est, sed verum. Veritas te veracem faciet. Si veritas tecum est, Deus tecum est, quia Veritas est Deus. Ecce quomodo in Judæa nascitur Christus, in confessione veritas. Mater Virgo puritas est cordis, cum corde credis quod ore confiteris. In confessione crininis puritas est sine ruga; in confessione laudis puritas est sine macula. Si bonum non simulas, non habes rugam. Si malum odis, non habes maculam. Sic veritas in te desiderio concipitur, opere nascitur, studio nutritur, ut proficiat ætate in processu temporis, sapientia in augmento cognitionis, gratia in incremento virtutis. Apud homines in fama, apud Deum in conscientia. Apud homines ut cognoscatur, apud Deum ut glorificetur. Duodecim annorum in Jerusalem ascendit, quæ post perfectionem operis et duplica-

tam virtutem charitatis, ad pacem contemplationis proficit. Parentes Jesu ab Jerusalem itinere unius diei redeunt, quia sensus carnis, qui per exercitium boni operis internam veritatem nutrit, per exteriorum delectationem retracti diu in interna pace persistere non possunt. Unus dies, una claritas, unum gaudium, una benedictio, quam Esau accipit, quia duplicem stolam non potuit promereri. Hic est ille unus dies, in quo puer unius diei sine peccato esse non potuit super terram, quia sensus carnis, qui quantum ad se semper puerilia appetit, hujus tantum vitæ claritatem amans, in ea nunquam sine peccati macula consistit. Non enim venit ad alium diem, de quo dictum est: *Annuntiate diem de die* (Psal. xcvi). Et iterum: *Dies super dies regis adjicies* (Psal. lx). Propterea unius diei iter est elongantibus ab Jerusalem, quia delectatio presentium elongare facit animos a contemplatione æternorum. Post triduum Jesus in templo invenitur, quia post correctionem cogitationis, locutionis et operis, veritas in corde mundo percipitur. Invenitur autem inter doctores et sapientes, quia in lege, et prophetis, et evangelistis, et apostolis et sacri verbi doctoribus veritas cognoscitur.

**TIT. LXXXII. De nuptiis factis in Cana Galilææ, et de hydarum typo.**

*Implete hydrias aqua* (Joan. ii). Galilæa interpretatur, *transmigratio*. Vita ergo præsens Galilæa est transmigrans de presentibus ad futura. In Galilæa nuptiæ sunt, quia in transitu temporis sanctificatur copula permansuræ dilectionis Ecclesiæ ad Christum, animæ ad Deum. Sex hydriæ sex sunt ætates in mundo: Prima, ab Adam usque ad Noe; secunda, a Noe usque ad Abraham; tertia, ab Abraham usque ad David; quarta, a David usque ad transmigrationem Babylonis; quinta a transmigratioe Babylonis usque ad Christum; sexta, a Christo usque ad finem sæculi. In vita hominis prima est infantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta juvenus, quinta virilis ætas, sexta senectus. Prima, id est infantia, quasi quodam diluvio lubricæ oblivionis obruitur, ut non videatur in posterum, nec vestigia sui ulla relinquat. Secunda, id est pueritia, primum de diluvio oblivionis ad sensum exiens, per superbiam erigitur, et per concupiscentiam dividitur et dispergitur. Tertia, id est adolescentia, primum per cohibitionem disciplinæ circumciditur, deinde præceptis informatur et consilio regitur. Quarta, id est juvenus, servire jam cogitur, et subjicitur regimini, ut per timorem hominis divinum discat. Quinta, id est virilis ætas, post timorem hominis, ad divinum venit. Sexta, id est senectus, quasi hinc mox abitura concupiscentia futurorum trahitur. Sic humanum genus primo diluvio obrutum est. Secundo, in ædificatione elatum et in divisione linguarum dispersum. Tertio, in Abraham circumcisum, in Moyse præceptis informatum, sub iudicibus consilio gubernatum. Quarto, sub regibus dominationi subjectum. Quinto, sub pontificibus religioni parens. Sexto,

A sub gratia vera bonitate illustratum. Istæ sex hydriæ sive in decursu sæculi præsentis, sive in vita hominis, omnes aquis implentur, quia iudicio plenus est mundus. *Judicia tua abyssus multa* (Psal. xxxv). Multa operatus est Deus ab initio sæculi, et operari non desinet usque ad finem ejus, et circa hominem a principio usque ad finem ejus, et omnia hæc iudicia sunt, et nihil sine causa fit. Sed quando dicere non potest homo iudicia tua jucunda, nondum aqua in vinum conversa est. Deficiente vetere vino hydriæ aqua implentur, quia cum in vita hominis carnales delectationes deficiunt, divinæ consolationes succedunt. Quæ quidem ministrantibus minus saporis conferunt, proficientibus amplius dulcescunt, quia tunc aquæ in vinum convertuntur, quando in mente hominis opus Dei, quod laboranti primum non sapuit, per spiritalem intelligentiam illuminato dulcescit.

**TIT. LXXXIII. De theophania multiplici, et in quibus est præcipua divina apparitio.**

*Theophania* est apparitio divina. Ipsa est similitudo divina, in qua apparet et manifestatur Deus. Si quis omnem creaturam theophaniam dixerit, non errabit. Theophania potentia est creaturarum magnitudo: theophania sapientia, creaturarum pulchritudo; theophania bonitatis, creaturarum utilitas. Omnis creatura aliquam similitudinem habet cum Deo. Prima similitudo creaturæ ad Deum est quod est. Secunda quod una est, quia omne quod est in hoc est quod unum est. Sed ex iis quæ sunt et unum sunt, alia ex uno sunt, ut naturaliter simplicia, alia ex pluribus, ut composita. Illa autem, quæ et sunt et unum sunt et ex uno sunt, magis Deo similia sunt, præcipue si unitatem suam, quam ex pluribus non colligunt, ad plura non effundunt. Tales sunt naturæ spirituales, quæ magis ad similitudinem Dei accedunt; quæ nec ex pluribus sunt, quia sunt natura simplicia, nec plura ex ipsis, quia non possunt esse materia. In his duo posuit Deus ad materiam, duo ad formam: vitam et sensum ad materiam, cognitionem et dilectionem ad formam. Ad vitam cognitionem, ad sensum dilectionem. Hæc duo suprema et Deo proxima sunt, et expressa imago: cognitio veritatis, et amor virtutis.

**TIT. LXXXIV. De tribus voluntatibus in Christo.**

In Christo carnis infirmitas passionem horruit. Sed erat spiritus medius inter Deum et carnem, qui voluntatem carnis Patris voluntati subiecit. Cum ergo Christus dixit: *Pater, si possibile est, transfer a me calicem istum* (Matth. xxvi), professus est quod sensit in carne. Cum vero dixit: *Non mea voluntas, sed tua fiat* (ibid.), professus est quod deliberavit in spiritu. Erat voluntas Patris, ut Christus moreretur; erat voluntas carnis, ut a morte liberaretur; erat spiritus medius dominans carni, obediens Patri. Voluntas Patris dispensatio erat, voluntas carnis natura erat, voluntas spiritus virtus erat. Ideo voluntas Patris honorabatur, volun-

tas carnis dirigebatur, voluntas spiritus coronaba-  
tur.

**TIT. LXXXV.** *Quod Christus se hominibus in humanitate exhibuit, qui ab eis in divinitate non poterat comprehendere.*

Dei sapientia, per quam homo factus fuerat, ut in illa beatus esset, lapsum hominem perdere noluit, et cum illa sursum esset majestate, ille deorsum jaceret infirmitate, descendit ad eum quo ceciderat, ut levaret eum ad id unde ceciderat. Sapientia igitur sursum panis erat, et versa est deorsum in lac. In divinitate panis, in humanitate lac; et nutritus est parvulus sensus lacte humanitatis, ut crescens et convalescens capere posset cibum divinitatis. Christus ergo in cœlo panis, et in terra lac. Christus in cœlo ex Patre sine matre Deus: Christus in terra ex matre sine patre homo. In cœlo qualis Pater, talis Filius, in terra qualis mater, talis filius. In cœlo cum Patre æternus et immensus; in terra cum matre incorruptus et mansuetus. In cœlo cum Patre incorruptus et sublimis; in terra cum matre virgo et humilis. In cœlo imago Patris; in terra imitator matris. Mater virgo erat, et humilitate exultabat, et filius Virginis virgo humilitatem commendabat. Illa virgo humilitatem suam a Deo respectam asserbat; ille virgo se humilem et mansuetum ostendebat. Talis ergo Agnus, qualis mater Agni; ex munda mundus, ex Virgine incorruptus, per Virginem veniens ad nos, per virginitatem præcedens nos. Per incorruptionem ergo venit, ut peccatum tolleret; per incorruptionem præcessit, ut virtutem demonstraret. Venit incorruptus, ut conferret remedium; præcessit incorruptus, ut daret exemplum. Si ergo venire non possumus qua venit, sequamur qua præcessit, ut adipisci mereamur quod promisit, ut cibum lactis in humanitate Christi sumamus mundi corpore; cibum vero panis in divinitate Christi sumamus mundi corde: mundi corpore per virginitatem, mundi corde per humilitatem, ut qui in utroque incorruptam habuit originem, in utroque inveniat mundam habitationem.

**TIT. LXXXVI.** *Quomodo Christus dixit: Pater meus.*

Unus homo dixit: *Pater meus* (Joan v). Qui hoc non dixisset, si plusquam homo non fuisset. In eo enim quod homo, fratres habuit, et dicere habuit, *Pater noster*; in eo autem quod supra hominem unicus fuit, et dicere potuit: *Pater meus*, et *Pater noster, qui es in cœlis* (Matth. vi).

**TIT. LXXXVII.** *Quare idem Deus, et homo.*

Deus homo factus est, ut idem esset Redemptor qui Creator, et ut de suo liberaretur homo, et ut familiarius ab homine diligeretur, Deus in similitudine hominis apparens, et uterque sensus in ipso beatificaretur, et reficeretur oculus cordis in ejus divinitate, et oculus corporis in ejus humanitate

ut sive ingrederetur, sive egrederetur in ipso passiva inveniret natura condita ab ipso.

**TIT. LXXXVIII.** *Mysterium de purificatione Mariæ.*

Senectus Simeonis defectus est veteris hominis; bajulatio Christi pueri, assumptio novi; gaudium Simeonis, oblatio Salvatoris; purificatio Virginis, devotio mentis, exhibitio operis, consummatio virtutis.

**TIT. LXXXIX.** *De Dei, mulieris et diaboli, de mortis incurrenda assertione.*

Dominus dixit: *In quacumque die comederis ex eo morte morieris* (Gen. iii). Mulier dixit: *Ne forte moriamur* (ibid.). Diabolus dixit: *Nequaquam moriemini* (ibid.). Dominus affirmavit, mulier dubitavit diabolus negavit. Qui ergo dubitavit, ab affirmante recessit, et neganti appropinquavit. Si mulier non dubitasset, forte diabolus non negasset. Sed dedit audaciam, quæ incohavit malitiam.

**TIT. XC.** *De pœnitentia Dei et amore ejus in creaturarum vario.*

*Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, et præcavens in futurum* (51): *Delebo, inquit hominem, quem creavi, a facie terræ.* (Gen. vi). Primum considera quod non facie pietas provocat ad iram aut vindictam, nisi multa fuerit malitia nostra. Cum autem nos a bono, in quo ab illo facti sumus, mutari cœperimus, tunc ipsum pœnitet super nos, ne ad bonum, ad quod facti sumus, perveniamus. Pœnitentia autem ejus non est mutatio intentionis a primo proposito, sed mutatio operis a primo instituto. Et nota quod, percunte homine, Deus dolore cordis intrinsecus tangi dicitur. Ibi enim dolor fuit, ubi amor; amor enim Deus universa, quæ fecit. Quia vero cætera omnia ab ipso amantur, sed ad ipsum possidendum non amantur, rationalis autem creatura, et quod facta est, ab ipso diligitur, et ad quod facta est. In ipso percunctis hominis dolor Creatorem intrinsecus tetigit in corde, ubi stantis et bene incedentis amor fuit. Sunt enim tria quædam genera rerum, unum a conditione lapsorum, alterum in conditione stantium, aliud supra conditionem provectorum. Prima amantur quæ facta sunt, sed quasi corde non amantur, quia postea mala effecta sunt. Sicut scriptum est: *Dispersit superbos mente cordis sui* (Luc. i). Secunda amantur, quod facta sunt; et corde amantur, quod bona sunt. Sed tamen illorum amor quasi in corde foris est, quia amantur, quod sunt ab ipso bona; sed non amantur, ut sint in ipso beata. Amor ergo hominis intus in corde Creatoris fuit, quoniam in tantum homo ab ipso dilectus est, ut et ab ipso esset bonus, et in ipso beatus. Amor ergo hominis intus fuit, et ibi dolor fuit,

(51) Vulgat. non habet et præcavens in futurum.

ubi amor fuit. Sed quid quod dicitur *præcavens in futurum*? Nunquid Deus aliquando incautus fuit, ut faceret quæ facienda non erant, ut postea considerans quæ non bene fecerat, de factis pœniteret, et facienda caveret? Sed sciendum est quod sicut pœnitentia Dei non est mutata voluntas in approbatione faciendi, sed ordo mutatus in institutione facti, sic cautela ejus non est pœnitentis circumpectio, sed subjectorum correctio. Nam in malo faciendo tam cavet qui terret ne fiat, quam qui timet ne faciat.

TIT. XCI. *Exi de terra tua et de cognatione tua.*  
Sermo ad fratres.

*Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi* (Gen. XII). Quia, fratres, scientibus enim legem Dei loquimur, sermo noster ad vos doctrina non est, sed exhortatio. Vos enim Scripturas nostis, et virtutem earum. Virtus enim verbi experientia est rei, et efficacia sermonis exhibitio operis. Vos igitur non erratis nescientes Scripturas, neque virtutem earum. Scripturas enim nostis per studium lectionis; virtutem earum per disciplinam operis. Scripturas nostis, audiendo Christum loquentem; virtutem earum, imitandq̄ facientem. In dictis ejus invenistis intelligentiam Scripturarum; in factis ejus virtutem earum. Nostis ergo Christum non solum audiendo, sed etiam experiendo. Nostis non solum secundum carnem, sed etiam secundum majestatem. *Et si cognovimus*, inquit Apostolus, *Christum secundum carnem, jam non novimus* (II Cor. V). In utroque experti estis Christum, et nostis Christum secundum carnem et secundum majestatem. Olim cognovistis Christum secundum carnem, nunc cognoscitis Christum secundum majestatem. Christus secundum carnem est Christus in passione. Christus secundum majestatem est Christus in resurrectione. Christum in cruce experti estis compatientes. Christum in majestate experti eritis consurgentes. Vos enim estis sponsa illa et dilecta illa quæ dilectum noverat, et experta dicebat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi* (Cant. I). Hoc est Christus secundum carnem. Et rursus: *Botrus cyperi* [Cypri] *dilectus meus mihi* (ibid.), hoc est Christus secundum majestatem. Fasciculus myrrhæ Christus in passione. Botrus cyperi Christus in resurrectione. Fasciculus myrrhæ amaritudo passionis. Botrus cyperi dulcedo resurrectionis. Fasciculus myrrhæ multitudo passionum. Botrus cyperi abundantia gaudiorum. Illic amaricans, hic inebrians. Tamen vos fasciculum myrrhæ inter ubera posuistis, quia passionem Christi cum gaudio et dilectione suscepistis. Vos Christum patientem non solum in corpore, sed etiam in corde portatis, quia passionis ejus imitationem animo dilectionis suscepistis. Quod ergo Christum secundum carnem cognovistis jam non cognoscitis, quia transitorium est quod in passione, sed permanentium quod est in resur-

rectione. Cognovistis ergo et jam non cognoscitis quia instat, ut transeat dolor passionis, quem suscepistis in carne compatientes, et instat ut consummetur gaudium resurrectionis, quod percepistis animo consurgentes. Instat ut transeat dolor passionis, sed non instat ut transeat dilectio patientis. Transit a carne passio, sed non transit a corde dilectio. Ideo *fasciculus myrrhæ inter ubera commorabitur* (Cant. I). Ibi enim est cor; et ubi cor ibi dilectio est: et ubi dilectio est, ibi dilecti mansio est. Vos ergo fratres, qui sponsa Christo estis dilecta, fasciculum myrrhæ habetis Christum patientem, et botrum cyperi Christum resurgentem. Propterea opus non habet doceri de ipso, docti ab ipso, quia *unctio ejus docet vos de omnibus* (I Joan. II), et verbum ipsius, quod sonat in auribus vestris, et sapit in cordibus vestris.

Non igitur verba nostra ad doctrinam nostram sufficiunt, sed verbum ipsius per nos transeat ad vos, ut ipsius gratia a vobis redundet usque ad nos. Hoc enim est verbum ejus ad vos, quod dictum est propter vos: *Exi de terra tua*, etc. Jam olim dictum erat, et voluit ipse vobis dici quod dictum erat, ut sciatis etiam, hoc ad vos pertinere quod dictum est. Erat quidem unus tunc, cui dictum est; sed ille ad unam hanc pertinebat, in qua vos unum estis de qua scriptum est: *Una est amica mea, columba mea, perfecta mea* (Cant. VI). Et ille tunc alienus erat, qui in alieno erat, et vocatus est, ut inde exiret, et proximus fieret et dilectus et amicus. Ille quidem jam tum dilectus erat, quia diligebatur, a quo vocabatur; sed amicus non erat, quia non diligebatur, quem non cognoscebat. Et ideo non diligebatur, quod erat alienus, sed quod futurus erat proximus et amicus. Erat enim tunc in Ur Chaldæorum; in igne videlicet et incendio dæmonum; quod est concupiscentia et delectatio terrenorum. Et ipsum incendium fuscaverat illum, et nigrum fecerat, ut non esset amabilis. Et ideo vocabatur, ut de incendio exiret, et veniret in refrigerium, ut dealbari posset et candidus fieri, ne semper esset odibilis. Propterea dixit: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi*. De terra exire est, ea quæ foris possidentur, terrena bona relinquere. De cognatione exire, est iis, quæ in nobis et nobiscum orta sunt, vitiis abrenuntiare. De domo patris exire est, spretis omnibus propter Deum, postremo semetipsum abnegare. Domus enim patris nostri ipsum est cor nostrum, quoniam pater noster habitat in nobis. Pater noster primus diabolus fuit, secundum nativitatem, qua nati sumus. Pater noster secundus Deus est, secundum nativitatem qua renati sumus. Et videt uterque pater habitare in filiis suis. Diabolus in filiis iræ. Deus in filiis gratiæ. Quando ergo in Ur Chaldæorum fuimus, cor nostrum domus diaboli fuit: quoniam ipse tunc in nobis habitavit, et fuimus universi filii Beor, quod dicitur *habitantis in*

*pelle*. Non enim habitare potest nisi in pelle pater iste, quia corda carnalium amat, et in eis solum requiescit, quia *sapiunt ea quæ sunt carnis, et ambulant secundum carnem* (Rom. viii). Illic est pellis domus patris nostri primi, de qua jubemur exire, ipsum videlicet cor nostrum, et desideria ejus mala relinquere. Hoc est enim de corde exire, elongari a desiderijs ejus, et peregrinari ab ipsis, ut non simus consensu, ubi illa sunt; sed proposito sanctitatis tendamus ad terram, quam monstrabit nobis Deus ut primum propter Deum abiciamus nostra, deinde relinquamus et nos. Sic enim demum demonstrabitur nobis terra visionis a Domino, in qua ipse videbitur Dominus, quam in repromissionem posuit filiis, lacte et melle manantem: lacte in contemplatione humanitatis, melle in contemplatione divinitatis. Propterea enim Deus honorificatus est, ut totum hominem in se beatificaret, ut tota conversio hominis esset ad ipsum, et tota dilectio hominis esset in ipso. Si enim Creator hominis Deus esset, et Deus homo non esset, esset in ipso, quod sensu mentis videretur, sed quod sensu corporis perciperetur, non esset; et sustineret sensu carnis perpetuum opprobrium absentiae Creatoris, et esset in abjectionem semper oberrans in creaturis, et non attingens ad Creatorem suum. Ne igitur sensus carnis in homine opprobrium istud in perpetuum portaret semperque merito illi diceretur, *Ubi est Deus tuus* (Mich. vii), si nunquam ad Creatoris sui contemplationem admitteretur, assumpsit Creator carnem; quæ a sensu carnis in ipso videretur per carnem, ut carnis cibus esset lac in contemplatione carnis, mentis cibus mel in contemplatione divinitatis. *Et egrederetur et ingrederetur, et pascua inveniret* (Joan. x). Pascua foris in carne Salvatoris, pascua intus in divinitate Creatoris. Et Salvator et Creator unus unum gaudium esset et in lacte carnis, et in melle divinitatis. Quod, etc. Amen.

Tit. XCII. *De duplici vita animæ.*

Duplex est vita animæ: alia, qua vivit in Deo; alia, qua vivit in carne. Ubi vivit, ibi sentit; ibi dolet cum læditur, et gaudet cum fovetur, quia unus est locus gaudij et doloris. Nec dolor est, nisi ubi gaudium fuit et amor, quoniam dolor non est, nisi, cum læsus fueris, ubi gaudes, sublato gaudio. Qui vero in carne vivunt, in carne sentiunt; et illis dolor carnis gravis est, quia suave erat gaudium illius. Dolores vero animæ non sentiunt, quia mortui sunt intus, ubi vivere debuerant in Deo. Idcirco, cum læditur caro, grave existimatur ab illis, et fugiunt, quantum possunt, dolores illius. Vulnera autem animæ ignorant prorsus, et non quærunt medicinam in illis, quia ibi sensum doloris non habent. Cum autem mortuus fuerit sensus animæ, quo vivit in carne, tunc vindicari incipiet ille sensus, quo sentiet semetipsam; et tunc sciet vulnera sua et sentire incipiet dolores suos tanto gravius, quanto propius, quia quod magis intimum est, magis nocet malum, ma-

gis prodest bonum. Unde dicit: *Arguam te, et statuas contra faciem tuam* (Psal. cxlix).

Tit. XCIII. *De conscientia et fama.*

Duo sunt: Conscientia et fama. Conscientia oleum in vase: fama lumen in lampade. Propter conscientiam ingredimur, propter famam egredimur. Intus reficimur salute propria, foris reficimur ædificatione aliena. Intus cupio dissolvi, et esse cum Christo (Philip. ii). Foris manere in carne necessarium propter vos (ibid.). Conscientia irriguum superius, fama irriguum inferius (Judic. i). Ad conscientiam meditatio; ad famam prædicatio. Ad conscientiam silentium, ad famam verbum. Per silentium, seminas agrum tuum; per verbum, seminas agrum proximi tui. Cum in tui ædificatione proficis, metis agrum tuum; cum de profectu alieno meditaris, metis agrum proximi tui. In tempore otij primum lectio cognoscendæ veritatis et exercendæ virtutis materiam tribuit; deinde meditatio formam apponit. In tempore laboris primum opus exemplum tribuit, postea verbum doctrinam proponit, sicut scriptum est: *Quæ cepit Jesus facere et docere* (Act. i). Ideo prius tempus otij, postea tempus laboris.

Tit. XCIV. *De duplici vetustate*

Duo homines veteres in nobis erant, interior per iniquitatem, exterior per mortalitatem. Christus autem carnem cum mortalitate assumpsit, animam sine iniquitate. Vetustatem autem carnis suæ per crucem hoc ordine disposuit; primum ligatus est, postea crucifixus. Sic et nos vetustatem interioris hominis hoc est iniquitatem hoc ordine destruere debemus: primum eam foris per disciplinam ligando, ut operari non possit; deinde interius omnino crucifigendo et interficiendo, ut jam prorsus non sit. Sic prius studio nostro, cooperante gratia Dei, in nobis destruenda est iniquitas, ut per eandem gratiam postea in nobis sine nostra cooperatione et ipsa destruat mortalitas.

Tit. XCV. *De tribus locis filiorum Israel, Ægypto, deserto, et terra promissionis.*

In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro (Psal. cxiii). Tria sunt loca, Ægyptus, desertum, et terra promissionis. In Ægypto sumus servi et miseri. In deserto sumus miseri. In terra promissionis liberi et beati. In Ægypto saturamur et cædimur. In deserto esurimus; non tamen flagellamur. In terra promissionis non flagellamur et saturamur. Sed nobilis interim animus eligit magis inopiam cum libertate, quam in servitute abundantiam. In Ægypto peccamus, in deserto laboramus, in terra promissionis requiescimus. In Ægypto est prævaricatio, in deserto exercitatio, in terra promissionis sabbatizatio. In principio mundi primum creavit Deus confusionem. Postea operatus est dispositio-nem. Deinde suscepit requietionem. Populus antiquus in Ægypto operatus est iniquitatem. In deserto accepit exercitacionem. In terra promissionis invenit requiem. In vita sæculari confusio est, in conversa-

tione spiritali exercitatio est, in vita cœlesti requie-  
tio. In carne peccatum, in spiritu exercitium, in  
Deo Sabbatum. Ægyptus est vita sæcularis, deser-  
tum vita spiritalis, terra promissionis vita cœlestis.  
Ægyptus caro, desertum animus, terra promissionis  
Deus. Ægyptus Jericho, desertum stabulum, terra  
promissionis Jerusalem. Ægyptus mundus, desertum  
Ecclesia, terra promissionis vita æterna. In Ægypto  
servimus Pharaoni, id est diabolo, qui *Pharao* inter-  
pretatur, negans enim scilicet et Dominum, qui dixit:  
*Dominum non cognovit et Israel non dimittam*  
(Exod. v). Huic servimus in Ægypto, in luto et  
palea. Lutum est concupiscentia carnis. Palea est  
pompa sæcularis. Illa per immunditiam inquinat. Hæc  
per mutabilitatem et instabilitatem transvolat. Pro-  
pterea exeuntes ab Ægypto, et per mare Rubrum,  
id est baptismum sanguine Christi rubricatum, ad  
libertatem transitori, abdicamus servitium Phara-  
onis, abrenuntiantes diabolo, et omnibus operibus  
ejus, et omnibus pompis ejus. In luto operibus, et  
in palea pompis. Exeuntes ab Ægypto in desertum  
relinquimus mala, ut non consentiamus. Exeuntes  
a deserto in terram promissionis evadimus, mala ut  
non sentiamus. In Ægypto est pugna sine victoria,  
vel servitus sine pugna. In deserto est pugna sine  
victoria, vel victoria cum pugna. In terra promissionis  
est sine pugna victoria. In Ægypto sunt delecta-  
tiones malæ et multæ, non tamen solæ. In deserto  
sunt delectationes bonæ et paucæ, non tamen nullæ.  
In terra promissionis sunt delectationes, et bonæ, et  
multæ, et solæ.

Tit. XCVI. De duobus discipulis currentibus ad  
monumentum Domini responsio epistolaris.

Quæris quid significet illud quod scriptum est de  
duobus discipulis currentibus ad monumentum,  
Joanne et Petro, videlicet quod qui prius venit,  
posterior intravit, Scriptum est enim: *Currebant duo  
simul; et ille alius discipulus præcurrit citius Petro  
et venit prior ad monumentum; et cum se inclinasset,  
vidit linteamina posita, non tamen introivit* (Joan. xx).  
Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit  
in monumentum, et vidit linteamina posita, et suda-  
rium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteami-  
nibus positum, sed separatim involutum in unum  
locum. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui  
venerat prior ad monumentum. Potest ergo conveni-  
enter per Joannem, qui prior venit, posterior  
intravit, Synagoga; per Petrum autem, qui poste-  
rius venit, sed prius intravit, Ecclesia gentium desi-  
gnari, quia et illa prius in lege mysterium incarna-  
tionis ac passionis Dominicæ accepit, sed in mortuum  
credere noluit: et ista posterior secuta Mediatorem  
Dei et hominum, et cognovit carne mortuum et  
viventem credidit Deum. Bene autem postquam  
Petr. s intraverat, tunc etiam Joannes intrasse  
dicitur, quia cum *plenitudo gentium intraverit* (Rom.  
xii), tunc et Judæa in reliquiis suis ad fidem collige-  
tur. Prius ergo Joannes linteamina vidit postea  
intravit, quia Synagoga prius, sicut dictum est, in

A Scripturis prophetiam de venturo accepit, quem  
tamen venisse usque ad circa finem sæculi credere  
renuit. Petrus autem prius intrat, postea linteamina  
conspicit, quia Ecclesia gentium non per prophetas  
ad fidem Christi, sed per fidem Christi ad intelligen-  
tiam prophetarum pervenit.

Hæc, frater, breviter explanata ad præsens tibi  
sufficere crederem, nisi aliud aliquid adhuc quod ad  
reformationem morum pertineat quærere te in  
hujus facti figura non dubitarem, maxime quia opus  
tibi non fuerat hanc expositionem a me quærere  
quam poteras sine mea doctrina in explanationibus  
Patrum alibi sufficienter invenire. Dicam ergo quid  
mihi in hoc facto moraliter figurari videtur. Duo  
isti electi discipuli, qui, audita resurrectione Domini,  
B simul ad monumentum currunt, sed non simul per-  
veniunt duas animæ affectiones mihi figurare viden-  
tur, desiderium videlicet et consilium. Nam quid  
est aliud quod discipuli audita resurrectione ad  
monumentum currunt, nisi quod animus cum glo-  
riam resurrectionis audit, imitari passionem appetit?  
Et quid est, quod ille alter discipulus præcurrit  
citius Petro, nisi quod amore Salvatoris succensi  
plus per desiderium cupimus, quam per consilium  
præsumamus? Præcurrit ergo desiderium rationem  
consilii, quia qui omnia per charitatem vellet pro  
amore Redemptoris perpeti per considerationem  
infirmis suæ quodammodo tardatur, ut non au-  
deat temere de suis viribus gloriari. Prius ergo per  
desiderium ad monumentum venimus, sed visis  
C linteaminibus ante consilium intrare non præsumi-  
mus, quia licet mens nostra se per charitatem spon-  
taneam ad passiones offerat, considerata tamen  
difficultate earundem passionum, quantum impar  
sit nostra infirmitas ad illarum tolerantiam videmus.  
Hoc est enim quodammodo visis linteaminibus  
subsistere visis difficultatibus passionum, imparem  
se ad eas sustinendas judicare. Sed postquam con-  
siliium posterior veniens prius intraverit, tunc et  
desiderium sequitur, quia postquam mens deliberat,  
in illo confidendum esse, qui prior vicit, tunc amor  
in omnibus per spem divini adjutorii ad tolerantiam  
animatur; jamque intrepidus monumentum ingre-  
ditur, quia vitam præsentem libenter pro eo despi-  
ciens, tanto se ad mortem offert paratius, quanto  
D certius didicit per resurrectionem sui capitis ingres-  
sum vitæ esse mortem carnis.

Quod autem ingressi monumentum, sudarium  
quod erat super caput Jesu, a cæteris linteaminibus  
separatum inveniunt, quid aliud significat, nisi quod  
nos, qui peccatores sumus, si etiam mortem pro  
ejus amore valemus perpeti, cognoscimus tamen  
quod nostra mors morti ejus non valet digne cœ-  
quari, qui sine peccato passus est? Hoc paschale  
ferculum, frater charissime, missum tibi benigne  
suscipe, et ora pro me misericordiam Domini qua-  
tenus ejus gratia largiente in his paschalibus festis  
vetus in me homo moriatur, et novus resurgat.  
Amen.

**TIT. XCVII. De duobus discipulis currentibus ad A monumentum, altera epistola.** cum litigo, et quasi qui hostem non habeam, vires in ventum effundo.

Si tu, frater, negligentem scriptorem habere non vis, æquum tibi videtur ut ego diligam timidum lectorem? Festivitatem modo celebramus; libet parumper, suspensis interim seriis, tibi jucundari, sermone colludere, et simul te ut evigiles expulsare. Causaris ergo quod ego, cum de duobus discipulis ad monumentum currentibus, Joanne videlicet et Petro (*Joan. xx*) sermonem facerem, et quid in illorum facto nobis faciendum ostenderetur, tuæ petitioni satisfacere volens explanarem, per illum quidem, qui ad monumentum prius venit, et posterius intravit, hoc est Joannem, desiderium; et per illum, qui posterius venit, sed prius monumentum intravit, hoc est Petrum, consilium mentis significari asserui; et tamen causam, cur vel ille potius quam iste desiderium, vel iste potius quam ille consilium significaret, ut asseris, non ostendi. Hoc igitur est quod, cum significationem exponerem, causam significationis tacere non debuissim. Libens accipio quod hæc tua causatio, dum unum admonet, utrosque docet: in primis me, ne dicenda præteream, ut esse studeam in scribendo sollicitus; deinde etiam te, ne minus dicta intelligas, ut sis in audiendo attentus. Ne tamen querela tua prorsus sibi justa videatur, ostendam tibi quomodo ipsam, quam quæris, causam ibidem ubi significatio ejus explicata est, poteris invenisse. Nam cum, dictum sit tibi per Joannem, qui præcurrens prior ad monumentum venit, significari desiderium animi; per Petrum, qui posterius venit, consilium, nonne ex ipsarum actione manifesta causa colligitur, cur in illo desiderium, in isto consilium significetur? Si enim quæras cur Joannes desiderium significet, causa manifesta est, quia præcessit. Et si interrogas cur Petrus consilium, et hoc patet, quia posterius venit. Ex diversitate igitur actionis manifeste ostenditur quæ significationis diversitas in personarum discretionem teneatur. Quod si fortassis existimas vim significationis non eorum ex qualitate actionum, sed etiam ex discretionem personarum colligendam esse, nec hoc quidem ego refutandum judico, quia satis convenienter alacritas et fervor amoris per Joannem juniorem exprimitur; gravitas autem et mora consilii per Petrum senem et tardum figeratur. Istud quod dicis Petrum amplius amasse, et ideo justum tibi videri ut per illum potius desiderium sive amor significari debuisset, ad præsentem causam nihil attinet, quia in præsentem tractationem non agitur qualis Petrus in mente fuerit, sed quam nobis exteriori specie vel actione significationem præsentavit, maxime cum hoc ubique observandum sit ut inde aliquid per significationem trahimus, istud quidem non in occulto, sed in manifesto quærere debeamus. Signum enim occultum esse non debet, sed manifestum, quia quod per se occultum est, occulta pandere non potest. Otiosum me, ut cernis, invenerunt tabulæ tuæ, qui nemine lacessente me-

**TIT. XCVIII. De Petri et Joannis dilectione.**

Scio quidem quæstionem, ut nonnulli existimant, operosam esse, eo quod injusta recompensatio videatur, ut Petrus, qui amplius Christum dilexit, minus a Christo dilectus sit, et Joannes plus dilectus sit, qui minus dilexit. Ego autem cum Evangelium, unde fons hujus quæstionis manare videtur, inspicerem, non inveni quidem, vel quod Petrus amplius dilexerit, vel quod Joannes amplius dilectus sit. Nam quod Dominus, post resurrectionem suam Petrum an se amaret interrogans, ait: *Simon Joannis, diligis me plus his (Joan. xxi)?* non affirmando, sed interrogando hoc dixit. Sed neque ipse Petrus dicere ausus fuit, cum interrogaretur: Domine, tu scis quia amo te plus his: Sed ait: *Domine, tu scis quia amo te (ibid.)*. Joannes quoque de semetipso loquens sic ait: *Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus (ibid.)*. Et non dixit, quem plus aliis diligebat Jesus, sed quem diligebat Jesus. Neque igitur Petrus se amasse amplius, neque Joannes amplius amatum esse præsumpsit, sed alter se non præ cæteris, sed cum cæteris amasse, et alter non præ cæteris, sed cum cæteris amatum esse asseruit. Sed esto, ut Petrus plus dilexerit, et tamen minus dilectus sit, nunquid idcirco ullam injuriam passus est, si tamen tantum dilectus est, quantum meruit? Nonne ista est querela illorum qui in Evangelio contra patremfamilias murmurabant, dicentes: *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares eos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus? (Matth. xx.)* Sed quid paterfamilias uni illorum, et in uno omnibus responderit, audivimus: *Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade. Volo et huic facere sicut et tibi. Non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? (Ibid.)* Ponamus igitur nunc ut Petrus querelam in medium deferat, et de injuria dilectionis suæ in Christum causeatur, et dicat: *Domine Jesus, injuriam mihi facere videris, cum ego te plus diligam, tu vero minus me diligis. Nunquid non recte Dominus ista dicenti respondere posset et dicere? Amice, non facio tibi injuriam (ibid.), tantum diligeris, quantum diligis; tantum diligeris, quantum mereris. Tolle quod tuum est, et vade. Volo huic facere plus quam tibi. Nunquid non licet mihi facere, quod volo? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum? (Ibid.)* Neque enim injuriam pateris, si minus illo accipis; sed injuriam pateris, si minus accipis quam mereris. Quod si totum habes, quid conquereris? Ita, frater, ratiocinantem suscipe, ut scias mentem tuam in nullam affirmationem præcipitem inclinare. Sunt tamen, qui clementius hanc quæstionem solvere nituntur. Dicunt namque, quod Petrus et amplius dilexerit, et amplius dilectus fuerit. Joannes vero propter castitatem, qua pollebat solummodo Christo Domino

in conversationem familiarum cæteris omnibus fuerit. A Petrus vero quantum ad effectum pertinet charitatis, amplius a Christo diligebatur. Joannes vero quantum ad usum familiaritatis amabilius in conversatione suscipiebatur. Petrus charior, Joannes familiarior, quia et in Petro remunerabatur charitas, et in Joanne castitas laudabatur. Joannes tenebatur, et Petrus constantius diligebatur.

**TIT. XCIX. De gratitudine beneficiorum Dei, et de judicio de se et proximo faciendo.**

*Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balac rex Moab, et quid responderit ei Balaam filius Beor de Seim usque Galgalam, ut cognosceres justitiam Domini (Mich. vi).* Balac rex Moab mercede conduxit Balaam hariolum, ut malediceret filiis Israel. Sed ille non est permissus a Domino maledicere populo suo, cui benedictio in hæreditatem fuerat repromissa. Et quamvis hominis maledictio nocere non posset illi cui benedixerat Deus, cum tamen prophetæ maledictio in benedictionem vertitur, quid nunc spiritualiter Dei gratia in electis suis agat, manifeste monstratur. Dicit namque Apostolus : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti (Rom. viii).*

Propheta ergo iniquus maledicere volens populo Dei ad benedicendum licet invitus compellitur, quia mala quæ reprobis bonis inferunt, illorum saluti Domino disponente cooperantur. Loquitur ergo de populo suo nunc per prophetam Dominus, et priora beneficia ei ad memoriam revocat, dicens : *Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balac rex Moab, et quid responderit ei Balaam filius Beor de Seim usque Galgalam, ut cognosceres justitiam Domini.* Erubescere, miser homo. Tu nunquam oblivisci debueras quod tantum dilectus es a Deo, ut tibi maledictionem inimicorum tuorum non tantummodo nocere non permetteret, sed eam quoque tibi in benedictionem commutaret : verum nunc cum ipse bonorum largitor te horum reminisci rogat, quid aliud quam te post tanta beneficia accepta ingratum adhuc atque immemorem permansisse demonstrat? Quod si Judæus ingratus beneficiorum Dei reminisci noluit, cave saltem, tu Christiane, ne unquam eorum quæ tibi impensa sunt bonorum obliviscaris. Cave, inquam, et tanto magis cave, quanto deterius est si tu ingratus persistieris, qui majora illo beneficia a Deo accepisse comprobaris. Habes enim et tu Balac hostem tuum, qui te indesinenter persequitur : et contra te omni tempore consilia maligna meditatur. Qui etiam metuens ne forte suis viribus ad subversionem tui non sufficiat, iniquum prophetam et avarum ad te maledicendum proposita mercede invitat. Balac namque qui interpretatur *elidens*, ipse est Satanas adversarius noster, et hostis pessimus, a quo prostratos atque elisos ille sanat et erigit; de quo in psalmo canitur : *Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos (Psal. cxxv).* Iste Balac rex et Moab;

quod interpretatur *ex patre, illorum* scilicet quibus Dominus in Evangelio dicit : *Vos ex patre diabolo estis (Jonn. viii).* Illic contra nos malignum cogitat, sicut de ipso apostolus Paulus ad quosdam discipulos suos loquitur, dicens : *Ut non circumveniamur a Satana (I Cor. ii).* Non enim ignoramus cogitationes ejus. Huic autem cogitanti contra nos et consilium subversionis quærenti, respondet Balaam, qui interpretatur *populus vanus*, videlicet iniquorum omnium, respondet scilicet ejus voluntati obtemperans, et in nostra subversione atque ruina unanimiter servienti concordans. Qui Balaam, hoc est populus vanus, est filius Beor, quod sonat in pelle ut subaudiatur habitantis, id est ejusdem diaboli per imitationem filius, nos cum eo opprimendo, et odio iniquo persequendo. Qui diabolus in pelle habitat, hoc est in corde carnalis, quia in eis tantummodo requiem invenit quos concupiscentiæ carnalis affectus a constantia atque rigore virtutum resolvens, per turpia desideria emollit. Ubi autem Balaam filius Beor in qua Balac de nostra perditione cogitanti respondeat ostenditur, cum subinfertur. *De Seim usque ad Galgalam*, subauditur avarus et circumveniens, et locum maledictionis exquirens. Seim interpretatur *spina*. Galgalam *volutabrum* dicitur.

Hæc est ergo via populi vani, et circuitus erroris, spina videlicet et volutabrum, id est cura et voluptas. Cura per quam ad hujus mundi transitoria adipiscenda desudat, voluptas vero per quam acquisitis immoderate atque illicite utendo se maculat. De Seim ergo usque Galgalam, vanus populus maligno regi respondendo fideles persequitur, quia omnes iniqui et per avaritiam bona temporalia acquirendo, et per incontinentiam acquisitis utendo, diabolo servientes, in persecutionem bonorum excitantur. Ideo autem permittuntur mali contra bonos sævire, ut ostendantur non posse proficere, et ipsa eorum malignitas quanto inanior ostenditur, tanto Dei gratia et misericordia erga nos evidentior efficiatur. Hoc est enim quod sequitur, *ut cognosceres justitiam sive misericordiam Domini.* Ac si diceret : Ideo ex parte relaxati sunt, ut agnosceres periculum; ideo prohibiti sunt, ut intelligeres unde esset tibi præsidium. Tantis ergo beneficiis acceptis quid tibi jam restat, nisi ut gratias agas et Salvatori tuo atque protectori recompensatione digna respondeas? Nam si populus vanus suo regi perditionem bonorum machinanti respondet, quid populus fidelis atque electus? Nonne multo magis suo regi bonos liberanti atque salvanti obediendo et serviendo respondere debet? Sed dices fortassis : Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Nunquid offeram ei holocaustonata et vitulos anniculos? *Nunquid placari potest Deus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? (Mich. vi.)* Hæc enim omnia a me aliena sunt, et ideo pro mea salute digna recompensatio esse non possunt. Sed fortasse satisfaciam, si de-

dero primogenitum meum pro scelere meo, fructum A ventris mei pro peccato animæ meæ. Hæc tamen extra me sunt, quamvis ex me processerunt, et qui me ipsum abstuli etiam si totum præter me dederò, nondum plene debitum restitui. Quid ergo faciam? quid dabo? quid reddam? *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (Psal. cxv.) Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, et quid Deus quærat a te. *Utique facere iudicium, diligere misericordiam* (Mich. vi), et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Tria hæc sunt quæ offerre debes, quia et Deus, qui Trinitas est, non nisi trino sacrificio digne placari potest. Offer ergo iudicium Filio iudici. Offer misericordiam Spiritui sancto charitati. Offer sollicitudinem paternitati. Ad sapientiam pertinet discretio, ad charitatem pietas, ad paternitatem sollicitudo. Sic tamen offer, ut neque in discretione numerum unitatem trinitatis divides, neque in participatione donorum, trinitatem unitatis confundas, sed singulis sua, et simul uni singula exhibeas. Si iuste iudicas, iustum iudicem honoras. Si misericordiam diligis, eum qui pius est acceptabili sacrificio veneraris. Si sollicitus in timore Dei semper ambulas, placas tibi cœlestem Patrem, quem pro peccatis tuis offensum habebas.

Nunc ergo asculta quale sit iudicium quod facere juberis. Primum est tibi iudicium faciendum de teipso, deinde inter te et proximum tuum, postremo de proximo tuo. In eo iudicio quo iudicas temetipsum, esse debes districtus. In eo iudicio quo iudicas inter te et proximum tuum, debes esse justus. In eo iudicio C quo iudicas proximum tuum, debes esse pius. Te ipsum iudicare debes hoc modo. Considera diligenter quid facis et quid non facis; quid facere debes, quid facere non debes; postea hæc ad invicem conferendo perpende, an idem est quod facis et quod debes, et an idem quod non facis et quod non debes. Quod si ita inveneris, gaude. Si autem idem esse perspexeris quod facis et quod non debes, aut quod non facis et quod debes, time. Inter te et proximum tuum hoc modo iudicare debes. Vide quid facias proximo tuo, et quid tibi faciat proximus tuus. Si ille tibi bonum facit, et tu illi bonum reddis, malus non es. Si ille tibi malum facit, et tu illi malum reddis, bonus non es. Si ille tibi bonum facit, et tu illi malum reddis, malus es. Si ille tibi malum facit, et tu illi bonum reddis, bonus es. De proximo tuo hoc modo iudicare debes. Vide quid quid facit, an certum bonum, an dubium bonum, an certum malum, an dubium malum. Si certum bonum est, parvum magnum, magnum majus existimes. Si dubium bonum est, verum puta. Si certum malum est, magnum parvum, parvum minus iudica. Si dubium malum est, bonum puta. Hoc est iudicium verum, iudicium bonum, iudicium Deo placitum. Quod si tu illi non solum discernendo, sed etiam faciendo in sacrificio obtuleris, placabis iram, et gratiam consequeris.

Deinde sequitur *diligere misericordiam*. Non solum

facere, sed etiam diligere, quia magis facit qui affectu pietatis compatitur, quam qui ex debito præceptionis miseretur. Oportet ergo te primum facere iudicium ut quod recte discernis, opere compleas; deinde diligere misericordiam, ut bonum quod agis non ex timore, sed ex amore facias. Postremo sollicitum incedere, ne vel bonum, quod necdum habes, non merearis accipere, vel bonum quod habes amittas. Porro in his tribus trinitati in te operanti cooperaris. Sapientia enim te ad agnitionem veritatis illuminat, charitas te ad desiderium bonitatis inflammat, paternitas in te custodit quod creavit, ne pereat. Per illuminantem ergo sapientiam tibi colloquentem, rectum discernis; per inflammantem charitatem, tibi coardentem, misereris; per providentem paternitatem, tibi contuentem, temetipsum custodis. Per trinitatem itaque cooperando trinitati, trinitatis imago efficeris; verumque tunc sacrificium te ipsum Deo offers, cum ad ejus similitudinem reformaris. Quod, etc. Amen.

**TIT. C. De apparitione Christi duobus discipulis euntibus in castellum quod dicitur Emmaus.**

Jesus in via ambulantis faciem suam abscondit (Luc. xxiv), ostensurus eam in patria. Propterea in fine viæ cum discumbere cœpissent, fregit Jesus panem, ut interiora ejus patescerent, et ibi eum agnoverunt, quia post vitæ hujus cursum in regno cœlorum cum Abraham et Isaac et Jacob discumbentes, et super mensam ejus edentes et bibentes in æterno convivio Jesu claritatem videbunt. Nunc C autem interim in via peregrinum apparet, ut exilium nostrum agnoscamus, et quod alia est patria nostra. Et colloquendo corda ad amorem inflammat, sed oculos ad contemplationem adhuc non revelat. Qui ergo in via ex sermonibus Jesu ignem amoris corde concipiunt, in fine viæ claritatem ejus videbunt. Sunt itaque linguæ igneæ quæ veniunt ad nos, et verba flammantia quotidie Christum nobis loquentem audimus, quia spiritum Christi non habet qui verba Christi audiendo non ardet. Spiritus enim sanctus super discipulos Christi in linguis igneis apparuit, et ipse Christus ambulantium in via loquendo corda inflamavit, quibus non quasi a capite, sed quasi a latere se sociavit, quia eum nobis D non natura, sed gratia in hujus vitæ via comitem dedit.

**TIT. CI. De Christo, ovis et pastore bono.**

Christus prius ovis fuit, postea pastor factus est. Ovis animal est mansuetum et mundum. In mansuetudine humilitas, in munditia castitas significatur. Humilitas duplex est: prima, qua præesse non appetas; secunda, qua subesse diligas. Multi enim sunt qui præesse nolunt, fugientes laborem non honorem; qui tamen subesse dedignantur. Qui quando in præcepto obedientiæ murmurant, quasi ad passionem ducti recalcitrant. Hi profecto oves non sunt nec imitatores illius, qui *sicut ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum* (Isa. liii). Similiter castitas duplex est. Alia foris per munditiam

corporis, alia intus per munditiam cordis. Munditia A corporis est abstinere a malo opere; munditia cordis, sincerum esse a mala delectatione. Qui ergo munditiam et mansuetudinem habet, ovis est. Et qui ovis bona est, sic tandem pastor fieri potest, qui prius in sua subiectione didicit, quomodo aliis præesse possit. Quidam enim sunt pastores, quidam mercenarii, quidam lupi. Pastores sunt qui oves diligunt; mercenarii, qui lanam et lac accipiunt; lupi, qui carnes comedunt. Pastores custodiunt in prosperitate, et defendunt in adversitate. Mercenarii custodiunt in prosperitate, sed non defendunt in adversitate. Lupi non custodiunt in prosperitate, et occidunt in adversitate. Pastores salutem quærunt, mercenarii lucrum appetunt. Lupi, peccati materiam vel licentiam ovibus dantes, occidunt. Primi sunt diligentes, secundi negligentes, tertii pestilentes.

TIT. CII. *De eo quod scriptum est: « Nisi ego abiero Paracletus non veniet. »*

*Nisi ego abiero Paracletus non veniet (Joan. xvi).* Christus discipulis corporalem præsentiam subtrahit, ut eum spiritualiter amare discerent. Erat quippe et ipse prius secundum eandem corporalem præsentiam paracletus, id est consolator, et hæc consolatio quasi lac erat de carne manans parvulis. Propterea subtractum est lac, ut ad perfectionem spiritalis amoris convalescerent. Ascendit in cælum ut corda post se traheret, et dilectio pergeret post dilectum. Usque hodie Christus amicos suos in Scriptura sacra et sacramentis Ecclesiæ atque aliis C visibilibus virtutum exercitiis quasi quadam corporali præsentia consolatur: quorum usum dum aliquando dispensatione subtrahit, quasi quamdam humanitatem suam ab oculis intuentium subducit, ut spiritalis amoris dulcedinem tanto purius percipiant, quominus foris habent etiam de opere virtutis ad quod mentem suam per intentionem effundant.

TIT. CIII. *De Spiritu Dei et spiritu mundi per quem consummata sunt omnia.*

*Spiritus Domini replevit orbem terrarum (Sap. i).* Quid mirum si Spiritus Domini implere potuit corda hominum qui implet orbem terrarum? Nunc ergo impletum est quod Dominus Jesus Christus in passione sua prædixerat: *Consummatum est (Joan. xix).* Antequam Spiritus sanctus venit ad corda hominum non potuit dici, *consummatum est.* Propter hoc enim omnia facta sunt a quo facta sunt, vel in nativitate vel in passione, vel in resurrectione vel in ascensione Jesu Christi, sive in cæteris omnibus quæ Verbum incarnatum visibilibus operatum est ad reparationem hominum, ut hoc bonum suum reciperet homo, ad quod conditus fuerat, sine quo nihil profuit, cum quo nihil deficit. Et propterea in hoc consummata sunt omnia quæ propter hoc facta sunt omnia. Botrus enim carnis portatus fuerat ad torcular crucis, et expressione facta fluere cœpit mustum divinitatis, et voluit ut vasa cordium

præpararentur ut, dum vinum novum funderetur in utres novos, primum mundarentur, ne infusum pollueretur; postea ligarentur, ne effusum amitteretur. Mundarentur a gaudio iniquitatis, ligarentur contra gaudium vanitatis. Non enim bonum gaudium venire potuit, nisi prius recederet malum. Malum gaudium est gaudium iniquitatis, et malum gaudium est gaudium vanitatis. Gaudium iniquitatis polluit; gaudium vanitatis effundit. Gaudium iniquitatis reddit vas sordidum; gaudium vanitatis reddit vas rimosum. Gaudium iniquitatis, quando peccatum diligitur; gaudium vanitatis, quando transitoria amantur. Ejice ergo quod malum est, ut quod bonum est percipere possis. Effunde amaritudinem, ut dulcedine implearis. Spiritus sanctus B gaudium est, et Spiritus sanctus amor est. Ejice spiritum mundi et spiritum diaboli, ut accipias Spiritum Dei. Spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis, et spiritus mundi operatur gaudium vanitatis. Et sunt mala gaudia ista: quoniam alterum culpam habet, alterum occasionem culpæ. Venit autem Spiritus Dei, cum ejecti fuerint spiritus mali, et intrat habitaculum cordis, et operatur gaudium suum, et amorem suum; non sicut spiritus diaboli, neque sicut spiritus mundi, sed gaudium bonum et amorem bonum. Primum gaudium veritatis, in quo justitia diligitur, postea gaudium felicitatis in quo de præmio justitiæ percepto exsultatur; gaudium veritatis contra gaudium iniquitatis; gaudium felicitatis contra gaudium vanitatis. Et expellunt bona gaudia mala. Et cum ipsa cor implere cœperint, tunc primum agnoscit homo quod prima vera non fuerint, quoniam nec plena esse potuerunt in gaudio iniquitatis, nec permanentia in gaudio vanitatis.

Nunc autem vera gaudia advenerunt plena et æterna, sicut Salvator promisit, *ut gaudium vestrum sit plenum, et gaudium vestrum nemo tollat a vobis (Joan. xvi).* Ipsum ergo gaudium amor est, et operatur spiritus idem et gaudium et amorem. Amorem quando requirimus, gaudium quando possidemus. Tamen ipsum desiderium sine gaudio esse non potest; nec ipsa adeptio sine amore. Itaque gaudium ipsum amor est, et ipse amor gaudium est, quoniam in eo quod amemus gaudemus, et id de quo gaudemus diligimus, et est gaudium bonum et amor bonus et gaudium malum et amor malus similiter. Est enim amor Dei, et est amor mundi, et amor peccati. Quidam enim solum Deum amant. Quidam aliud præter Deum cum Deo amant, nihil tamen contra Deum. Alii contra Deum quedam amant, et hi Deum non amant. Qui solum Deum amant, *ædificant super fundamentum aurum, argentum et lapidas pretiosos (I Cor. iii).* In auro intellectum, in argento eloquium, in lapidibus pretiosis opus incorruptum. Qui præter Deum aliud amant, et tamen Deum plus amant, *ædificant super fundamentum lignum, fenum, stipulam (ibid.).* In lignis affectum cognationis, in feno affectum possessionis, in stipula affectum fami-

liar' tatis. In quibus omnibus etsi peccatum non est, occasio tamen peccati constat. Qui contra Deum aliquid amant, si super fundamentum non ædificant, sed destruunt fundamentum, quia amor Dei in corde esse non potest ubi non est vel solus, sicut in iis qui solum Deum amant, vel summus, sicut in iis qui cum Deo aliud amant, nec tamen contra Deum. In eo autem amore quo cum Deo aliud amatur, gaudium est vanitatis. In eo amore quo contra Deum aliquid amatur, gaudium iniquitatis. Illic amor mundi inflcit; hic amor peccati polluit. *Et transit mundus et concupiscentia; ejus (1 Joan. 11); verbum autem Domini manet in æternum (Psal. cxviii).* Et qui credit in verbo ejus et habet spiritum ejus, hic manet in æternum, sicut ipse in æternum manet. Qui enim instabilis est per gaudium iniquitatis, vel qui instabili adhæret per gaudium vanitatis, hic non potest manere in æternum, nec gaudium verum habere quod falsum est per iniquitatem, et transitorium per vanitatem. Qui autem spiritum Dei manentem habet, gaudium habet verum et plenum et æternum, quia permanens diligit, et stabili adhæret, et possidet consummatum bonum. Hoc enim totum bonum est hominis cognoscere et amare Creatorem suum. Propterea linguæ igneæ apostolis datæ sunt, ut in linguis sit cognitio veritatis, in igne amor virtutis. In lingua enim verbum est, in igne flamma. Et verbum quidem ad cognitionem pertinet, ignis vero ad dilectionem. Et ideo verbum cum igne venit, sapientia cum dilectione, ut alterum illuminaret, alterum inflammaret: alterum contra ignorantiam, alterum contra concupiscentiam. Hæc vero dona non nisi in unum congregatis, et ad superiora sublevatis venire poterunt. Congregatis per consensum, sublevatis per desiderium. Congregatis per dilectionem proximi sublevatis per dilectionem Dei. Et nos ergo, si talia dona percipere volumus, tales simus. Quod etc. Amen.

**TIT. CIV. De sacramento et re sacramenti pœnitentiæ.**

Sacramentum pœnitentiæ est exterior exhibitio operis, res sacramenti, vera contritio cordis. Si sacramentum suscipis, opera pœnitentiæ facias, habere sacramenti in vera contritione, ne frustra speciem sine veritate ostendas. Tanta est pœnitentiæ tua, quanta est contritio tua, quanta est devotio tua. Contritio, pro malo quod fecisti; devotio, pro bono recuperando quod amisisti. Noli igitur dicere: Tantum jejunavi, tantum vigilavi, tanta opera misericordiæ feci. Tantum in his omnibus fecisti, quantum in his omnibus profecisti. Noli numerare foia, sed fructum. Noli pensare paleam, sed grana. Opus sine contritione flos est sine fructu. Contritio sine opere, furtus est sine maturitate.

**TIT. CV. De virtute pœnitentiæ.**

Vis scire, homo, quanta est virtus pœnitentiæ. Attende, dicam quod possum. Totum aufert quod minatur damnatio; totum confert quod promittit salutis. Quantum patris est hoc? Bene considera. Mala aeterna aufert, bona aeterna confert. Talis ac tantus est fructus pœnitentiæ. Hunc fructum confert pœnitentiæ: Si fructum feceris in ea fructum capies ex ea.

**A** Fructus, quem facis in ea, meritum est. Fructus quem capies ex ea, præmium est. Si facis in ea fructus dignos in merito, capies ex ea fructus æternos in præmio. Quid est pœnitentiæ? Dolor peccati. Quid est dignus fructus pœnitentiæ? Satisfactio delicti. *Agite dignos fructus pœnitentiæ (Matth. 11).* Tria ista considera: pœnitentiæ, fructum, dignum. Si de errato doles, hoc est, pœnitentiæ, per fructum ostende dolorem. Si mutasti voluntatem persequens iniquitatem. Post pœnitentiæ dolorem cordis, fructus sequatur maceratio carnis.

**TIT. CVI. De tribus quæ sunt in pœnitentiæ.**

Tria sunt in pœnitentiæ: dolor præteriti, custodia futuri, satisfactio delicti. Ne pœnitens in futuro damnetur, facit custodia futuri. Ne puniatur, facit satisfactio delicti. Si ergo securus vis esse, cave futura, corrige præterita. Dolor culpam placat; satisfactio vitium sanat; custodia sanitatem servat. In his custodia futuri primum locum tenet, dolor præteriti secundum, novissimum satisfactio delicti. Quæ prima tantum proficit quantum cætera duo efficiunt. Ideo Salvator solam hanc, id est custodiam futuri, quasi præcipuam et in qua omnis pœnitentiæ fructus consistat sibi constituentibus injunxit: *Vade et amplius noli peccare (Joan 8)*: et: *Vade in pace (Marc. 16)*. Et iterum: *Vide ne quid tibi deterius contingat (Joan. 11)*. Hæc tria sic pensanda sunt, ut sit dolor plenus, custodia perfecta, satisfactio condigna.

**TIT. CVII. De sapientia in faciendo bono, et de patientia in tolerando malo.**

In duobus servitur Deo, faciendo bonum et patiendi malum. In confessoribus remuneratur bona actio, in martyribus passio. Ad agendum bonum necessaria est sapientia; ad tolerandum malum necessaria est patientia. Sapientia ut bonum bene fiat; patientia, ne malum patiens malus fiat. Qui enim bonum facit in bona materia operatur, sed si bonum bene non facit, per malam formam bona materia deformatur. Bona est forma, ubi nec plus nec minus justo est. Si plus justo sit, peccatum est; si minus justo sit, delictum. Igitur qui bonum bene facit, quasi bonæ materiæ bonam formam imprimit. Ad tolerantiam autem mali patientia necessaria est, quia qui malo per impatientiam cedit, a bono recedit. Sicut enim malum quod est culpa faciendum non est, sic malum quod est poena patiendum est. Poena autem dolor est, dolor vero aliud non est nisi cum amittitur quod amatur; vel in abrenuntiatione culpæ, cum peccatum quod prius delectabat relinquitur vel in abrenuntiatione possessionis propriæ, cum terrena substantia quæ foris possidebatur, deseritur, vel in abrenuntiatione delectationis mundanæ cum carnalium sensuum lascivia mortificatur. In omnibus his labor est, nec sine dolore quidquam horum fieri potest. Hæc igitur est patientia sanctorum. Qui sustinentiam deserunt, apostatant. Post ultimam abrenuntiationem, primo per vanitatem, quia mundanam jucunditatem ad voluptatem repetunt. Post scampulam, secundo per cupiditatem, quia postpositas divitiæ mundi ad super-

fruitatem ambiunt. Post primam, tertio per iniquitatem, qua anteacta peccata et dimissa iterare præsumunt. Itaque patientia ad tolerantiam necessaria est, ne habeat homo per vanitatem in consilio impiorum, nec stet per cupiditatem in via peccatorum, nec sedeat per iniquitatem in cathedra pestilentiae. Job ad mundi iucunditatem minime respexerat qui dicebat: *Si viui solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare ordine suo* (Job xxxi). Post divitias mundi apostatare David nos prohibet dicens: *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua* (Psal. xxxvi). Post peccata dimissa apostatare ipse Dominus prohibet, dicens: *Vade et amplius noli peccare* (Joan. iii). Et propheta: *Observabo me ab iniquitate mea* (Psal. xvii). Igitur homo accedens ad servitatem Dei stet in loco suo per patientiam, ut non cedat nec recedat. Operetur bonum pro adimplendo primo debito, patiatur malum pro expiando primo delicto. Nam ut faciat bonum factus est homo, ut patiatur malum, fecit homo. Pro eo igitur quod factus est facit bonum, pro eo quod fecit patitur malum. Primus enim homo sic factus est ut proficeret de bono innocentiae, per bonum obedientiae, ad bonum gloriae. Sed mutans locum et innocentiam draerens, deficere coepit, et ire de malo iniquitatis per malum mortalitatis ad malum damnationis. Venit autem Salvator, et monstravit aliam viam, qua ad patriam revertatur homo, per bonum justitiae et malum poenae, ad bonum gloriae.

TIT. CVIII. *Quomodo se debeat quisque Deo in cibum præparare.*

Ad mensam magnam sedistis. Considerate quae vobis apponuntur, et scitote quia oportet vos similia præparare (Eccli. xxxi). Ecce Dominus prandium paravit vobis, fratres, per exempla sanctorum suorum, modo reficiens vos ad meritum, donec postea cœnam paret in gaudio sanctorum, satians vos per præmium. Tauros suos et altilia sua occidit, ut ad actionem et contemplationem pascamini per eos quorum in terra caro jugum portavit in labore boni operis; et ad cœlum mens subleata fuerat per votulum contemplationis. Has carnes in mensa Dei editis, ut per carnalia reflecti ad spiritualia proficiatis. Verumtamen scire debetis quod elixas carnes, id est aqua coctas mensa Dei non recipit. Audistis enim qualiter agnus paschalis non aqua coqui, sed assari præcipitur (Exod. xii), et post resurrectionem a Christo piscis assus cum favo mellis manducatur (Luc. xxiv). Aqua enim carnes in se coctas emollit, et ideo forte quia Deus molles carnes non amat et dissolutas, assata commendatur. Mollis enim caro est quæ dicit, 'ferre non possum, tolerare non valeo, dissolvor, deficio. Hanc carnem non amat Deus, sed igne passionis torridam et tribulationis tolerantia solidatam. Si ergo carne reficimini, reficite in carne. Si festa vobis Deus facit, facite vos et illi festa. Si vos ille gaudere de se et de suis tribuit, facite illi gaudium de vobis: hoc est enim similia præparare.

TIT. CLIX. *De fuga Eliæ a facie Jezabel.*

Eliæ impiam Jezabel fugiens in spelunca absconditur (III Reg. xix), quia nonnunquam animus pro vitanda carnis turpitudine declinat; nondum tamen ad deserendam ejusdem carnis mansionem animatur. Jezabel quippe quod interpretatur *sterquilinum terræ*, carnis concupiscentiam significat: cujus persecutionem servus Dei fugiens, in spelunca latitat, quia licet ad calcandam spurcitiã animatus sit, nondum tamen ad tolerantiam passionum roboratus. Unde et illi divina voce per increpationem dicitur: *Quid hic facis, Elia?* (Ibid.) Non enim ad hoc factus es, ut sub latebra carnis moram tibi facias exeundi ad contemplandam faciem Creatoris. Surge ergo et sta in ostio speluncae tuæ (ibid.). Surge, ad superiora erigere. Surge, ne totus terræ inhæreas. Surge, appetens quæ sursum sunt. Sta in ostio speluncae tuæ, sta perseverantia, sta patientia. Perseverantia, ut non abeas retrorsum. Patientia ut ante tempus ad exitum non festines. Sta, expecta donec voceris. Sta paratus per desiderium exeundi. Sta fixus per obedientiam sustinendi. Sta in ostio speluncae, ut nec ingrediaris per concupiscentiam, nec egrediaris per impatientiam. Sta in ostio speluncae tuæ, et ecce pertransibit Dominus. Quomodo homo per concupiscentiam carni inhærens Deum videre poterit, cum ille etiam cum illo desiderio ad exitum carnis inhiat, in hac corruptione adhuc positus non nisi transeuntem videre queat? In hac ergo mortalitatis caligine adventus Dei ad animam in transitu fit, quia quod hic de ipsius dulcedine mutabiliter viventibus ostenditur, ab ipso animo, quamvis illuminato, ad suæ corruptionis tenebras rursus relabente nequaquam diu retinetur. Ecce pertransibit Dominus. Spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras; non in spiritu Dominus. Post spiritum commotio; non in commotione Dominus. Post commotionem ignis; non in igne Dominus. Post ignem sibilus auræ lenis (ibid.). Ecce preambulos Dei, spiritum, commotionem et ignem. Non venit Dominus ad te nisi prius isti veniant. Spiritus est terror judicii æterni, qui si in cor peccatoris impigerit, et montes superbiae dejicit, et petras duritiae dissolvit. Sed hic nequaquam Deus esse dicitur, quia anima quam adhuc timor perditionis afficit, nondum perfectæ charitatis dulcedinem sentit. Post spiritum commotio sequitur, quia terrore judicii concussa mens mox a sua stabilitate movetur. Post commotionem vero ignis sequitur, quia post anxietatem futuri sæculi adversum se sæviens animus ardore compunctionis inflammatur. Postremo igni sibilus auræ lenis succedit, quia post longa compunctionis incendia purgata mens, amata spiritu, consolationis refrigerium sentit. Ubi notandum quod cum in præcedentibus non esse Dominus dicitur, sibilus auræ lenis nequaquam esse negatur: quia mirum illa solum mens ejus dulcedinem percipit, quæ post laborem poenitentiae et anxietatem, conso-

lationis refrigerio percepto in spe propitiationis divinæ requiescit.

Tit. CX. *De duobus nuntiis ad nos missis.*

Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes (Joan. 1). Duos nuntios misit Deus in hunc mundum, servum et Filium. Prius servum ut comminaretur, postea Filium ut consolaretur. Servus attulit timorem, Filius amorem. Servus nuntiavit quod timeamus; Filius revelavit quod amemus. Duo enim, fratres charissimi, abscondita erant ab oculis hominis, æterna mala et æterna bona, et non prævidit homo vel mala illa ut caveret, vel bona ut requireret. Ad sola præsentia oculos apertos habebat, et ideo quia non videbat homo ubi magis oportuit, indicanda erant illi quæ nesciebat. Venit Joannes clamans: *Genimina viperarum, quis vobis monstrabit surgere a ventura ira? Agite fructus dignos pœnitentiæ* (Matth. 3). Nuntiat periculum, suadet cautelam, ostendit consilium. Bonus servus, bonus nuntius, pie sæviens, persequendo misericors; percutit servus, ut sanet Dominus. Videte duos nuntios: *Venit Joannes, non manducans nec bibens* (Matth. 11); exemplum pœnitentiæ; *Venit filius hominis manducans et bibens* (ibid.), exemplum misericordiæ. Alterum propter mala hominis: alterum propter bona Dei.

Tit. CXI. *De deserto quod est cor hominis; de virgula sumi et de pigmentario et aromatibus.*

Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula sumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii? (Cant. 111.) Dormit et ascendit, quia foris requiescit et intus surgit. Desertum est mundus propter abundantiam mali et inopiam boni. Desertum est cor malum, quia cultum non est, et germinat noxia, et in eo bestię habitant. Quia enim in eo agricola Christus non est, et Pater ejus non seminat ibi verbum suum, surgunt germina vitiorum, urticæ concupiscentiæ, et spinæ sollicitudinis, et alia talia; et requiescunt ibi dæmonia, quia non est qui exterreat. Desertum est item cor bonum, quia longe est a strepitu et tumultu, et non conculcatur frequentia terrenarum cogitationum, sed virens permanet et floridum, et germina virtutum producit, et canit ibi turtur Spiritus sanctus, et non auditur vox hominis neque ad hominem pertinentis. Virgula recta est et gracilis in longum porrecta. Quia tantum sursum tendit recta esse debet, et quia arcta est via, gracilis, et quia longa, porrecta. Item non est virgula ligni insensibilis et duri, sed sumi qui speciem habet, substantiam non habet. Cum enim cernitur, aliquid esse videtur; cum manus apponitur, nihil invenitur. Sic bonus quisque hic esse videtur per carnis speciem; sed hic non est per dilectionem. Item fumus de igne ascendit, quia desiderium ex amore venit. Et qualis fumus? *Ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii.* Pigmentarius est Christus, pigmenta aromata et virtutes, myrrha carnis mortificatio, thus mentis devotio. Universus pulvis pigmentarii virtutum omnium

multitudo, sicut in vitis, ita et in virtutibus invenitur. Dicitur in libro Job: *Procul adoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus* (Job xxxix). Habet enim vitiorum multitudo regem seu reginam, habet et duces, habet et populos et exercitus. Regina est superbia, duces vitia capitalia, exercitus est universa mala subsequentiæ. Primum ergo duces vitiorum quasi in pugna exhortationem faciunt, quia hominem in ratione faciendi decipiunt; exercitus autem postea quasi cum ululatu irruit, quia post primam suggestionem susceptam, turba vitiorum sequens in deceptam mentem cum violentia et tumultu impetum facit. Sic et virtutibus regina est humilitas; duces, principales virtutes; exercitus, bonorum universitas. Et postquam primæ virtutes ab homine cum quadam ratione suscipiuntur, mox universitas bonorum sponte subsequitur. Ideo hic primum duces posuit myrrham et thus; post exercitum, universum pigmentarii pulverem.

Tit. CXII. *De tribus festis, virginum, confessorum et martyrum, et de bono confessionis.*

Festum est gaudium. Magnum gaudium, magnum festum. Bonum gaudium, bonum festum. Tria sunt festa: Festa virginum, festum confessorum, festum martyrum. Festum virginum facit qui observantia castitatis conscientiam exhiberat. Festum confessorum facit qui, etsi gloriari non potest de integritate virginitalis, consolatur tamen in puritate confessionis. Qui, etsi bonum non fecit unde gaudeat, accusavit tamen et improbavit malum quod fecit, ut consolationem inveniat. Festum martyrum facit qui sub pressura tribulationis gaudet in spe retributionis. Considerate, fratres, conscientias vestras. Magnum festum facit qui gaudet de puritate. Nec ille excluditur qui consolatur in humilitate. Puritas ad virginitalitatem pertinet; humilitas ad confessionem. Propterea qui non tenuistis virginitalitatem, amplectimini humilitatem. Magna virtus est humilitatis. Audacter dico quod nec ipsa virginitas sine humilitate placet. Humiliare ergo et recognosce quod es. Habet quidem confessio criminis pœnam præcedentem in erubescencia; sed sequitur festum gaudii et consolationis in bona conscientia. Bona recompensatio posita est tibi. Dicis homini peccatum tuum, ut Deus taceat. Judicas tu ut non judicet ille. Coram uno homine confiteris ut justificeris, ne coram cælo et terra, coram omnibus angelis Dei arguaris et damneris. Propterea lætetur qui confitetur ne damnetur.

Tit. CXIII. *De festis sanctorum recolendis.*

Ex magna, fratres charissimi, Salvatoris nostri pietate agitur, quod nobis merita sanctorum festiva jucunditate recolenda indicuntur, quia in eo nos Deus noster et exhortatur ad imitationem virtutum, et admittit ad participationem gaudiorum. Propter hoc ad imitationem virtutum, ut corrigatur malitia nostra. Propter hoc ad participationem gaudiorum, ut consoletur miseria nostra. Duo hæc mala nostra sunt: alterum quod fecimus, alterum quod

patimur. Alterum malum in anima ad corruptionem per culpam; alterum malum in corpore ad corruptionem per penam. Contra utrumque malum Salvator noster remedium præstat, memoriam sanctorum suorum. Dum enim cogitamus quod fecerunt, excitamur ad imitationem bonorum operum. Dum vero consideramus quod perceperunt, consolamur per participationem gaudiorum. Prima eruditio est cum per patientiam illorum ad tolerantiam roboramur; secunda, cum per tentationem eorum ad cautelam instruimur; tertia, cum in correctione illorum post culpam ad spem erigimur. Quia enim eos post lapsus criminis per penitentiam resurrexisset, et nunc cum Domino Deo in gloriam tantam assumptos videmus, nobis quoque licet in peccata gravia lapsis, nequaquam de Dei misericordia desperandum esse agnoscimus. Et quia rursus antiquum hostem, etiam contra electos Dei aliquid præsumpsisse legimus, quanta cautela adversus ejus insidias vigilandum sit non dubitamus. Postremo dum eos qui bona operati sunt, tanta propter Deum mala pertulisse recolimus, aperte nobis ostenditur quantum nos qui mala fecimus, in adversis patientes esse debeamus. Est et alius fructus quem memoria sanctorum devotis mentibus profert. Nam dum ipsorum gaudia per congratulationem aspiciamus, ipsi quoque in nostra miseria ex hac quam charitas in nobis parturit lætitia consolamur. Primum siquidem gaudemus pro illis, ut postmodum etiam gaudeamus cum illis. Primum pro illis gaudemus per charitatem proximi, in qua positum est meritum nostrum; deinde cum illis gaudebimus in charitate Dei, ubi servatur præmium nostrum. Dignum enim est, ut præfati sumus, ut qui nunc gaudemus pro illis, postmodum etiam gaudeamus cum illis, ut primum gaudium consolatio sit in via, secundum gaudium plena exsultatio sit in patri. Hoc igitur gaudium festum nostrum est in quo post laborem et dolorem nostrorum operum respiramus nunc ex parte post intervalla quedam temporis, donec illud percipiamus in plenitudine æternitatis. Hic quorundam sanctorum memoriam certis temporibus recolimus, ibi visionem omnium sanctorum sine intervallo temporis semper habebimus. Hic quasi parvulis nutriendis per partes instillatur consolatio, quando festa singulorum sanctorum per temporum intervalla distinguimus; ibi perfectis tota simul influet plenitudo, quando præsentibus cunctis erit Deus omnia in omnibus. Providenter itaque, fratres, ut, sicut Deus vos reficere dignatus per exempla sanctorum, ita et vos ipsum reficiatis per imitationem sanctorum. Quod ipse præstare dignetur, etc.

**TIT. CXIV.** *Quod finis legis Christus est, et de bono finis.*

*Fratres, finis legis Christus est ad justitiam omnimodam credenti (Rom. x). Qui autem ad finem non pervenit nondum consummatus est: Quidquid enim est quando finis non est, nondum totum est. Curris viam? quantumvis pergas si ante finem subsistis, non*

*pervenis. Facis opus? si non finis, non perficis. Ergo finis consummatio est, finis perfectio est, finis perventio est; et nihil plenum sine fine. Nihil ergo tibi sufficiat ante finem; nihil sufficiat præter Christum, quoniam Christus est finis. Donec Christum habeas non requiescas; non deficias donec ad Christum pervenias. Christus veritas est, et Christus sapientia est. Si habitum virtutis et similitudinem foris assumpsisti, cœpisti. Si veritatem intus habes, perfecisti, et habes finem Christum, quia Christus veritas est. Si vere sapis, et quod sapiendum est sapis, Christum habes et sapientiam habes, quoniam Christus sapientia est, et ad finem pervenisti, quoniam Christum invenisti. Christus enim lumen tuum est, quo illuminaris ad virtutem diligendam et ad veritatem cognoscendam. Non est autem vera sapientia aliena investigare, sua ignorare. Et propterea nec sapientia mundi, nec prudentia sæculi veram sapientiam contingit, quoniam illa aliena inquirat, ista non profutura colligit; quod non probat veritas Christi, nec docet sapientia Christi. Propterea, fratres, illam sapientiam quærite quæ vera est, ut eam sciatis quæ ad salutem vestram pertinet, quoniam in illa Christus est, et illa in Christo est, et qui habet illam, Christum habet. Studete ergo veritatem habere, et sapientiam veram habere; et habebitis Christum finem vestrum in quo vos consummari oportet. Totum bonum vestrum Christus est, ipse virtus vestra, ipse sapientia vestra, ipse exemplum, ipse adiutorium, ipse victoria, ipse corona. Ipsum diligite, ipsum desiderate, ipsum amplectimini animo dilectionis, et recompensate vicem retributionis. Quantumcunque feceritis minus erit quam quod ipse pro vobis sustinuit. Nondum enim restitistis usque ad sanguinem. Recordamini passionis ejus, recordamini patientiæ ejus, recordamini mansuetudinis et humilitatis ejus: *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non criminabatur (I Petr. ii); cum laudabatur, non gloriabatur: cum contemnebatur, non indignabatur. Hæc ergo considerate, fratres, et si non potestis æquare, studete imitari. Firmate animum vestrum ad patientiam. Magnum est pati cum Christo, et gloriosum pati pro Christo. Audite quid promittat patientibus pro se: Vos estis, inquit, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo (Luc. xxi). Has igitur, fratres, promissiones ante oculos habete, quoties grave aliquid vel molestum patimini, quoties aliqua vos tentatio sollicitat, quoties aliqua molestia gravat; ut non deficiatis animo in tribulatione, quia si nunc permanetis cum Christo in tentatione, eritis cum Christo postea in glorificatione. Quod, etc. Amen.**

**TIT. CXV.** *De duplici quiete et inquietudine.*

*Est quies quieta, et est quies inquieta; et est inquietudo quieta, et est inquietudo inquieta. Quies est vacatio ab exterioribus, inquietudo occupatio in*

exterioribus. Quies quieta est, quando et exterius vacamus ab opere, et interius quiescimus a strepitu cogitationum. Quies inquieta est, quando homo exterius quiescit ab opere, et interius perstrepat cogitatione. Inquietudo quieta est, quando exterius occupatur in opere, et tamen intus apud se in tranquillitatis sinu quiescit. Inquietudo inquieta est, quando et exterius occupatur opere, et intus perstrepat cogitatione.

TIT. CXVI. *De eo quod scriptum est : ( Favus distillans labia mea. )*

*Favus distillans labia mea (Cant. iv).* Favus Verbum caro factum est in Virgine, distillans redundantiam signat. De hoc solo quia plenus gratia fuit, dici non potuit : *Plui super civitatem unam, et super alteram non plui. Pars una compluta est, et pars quæ compluta non est, aruit (Amos. iv).* Ipse enim totus redundans, et gratiam fundens, quia quod fecit et dixit doctrina fuit; quod fuit medicina. Alterum exemplum, alterum remedium, *et de plenitudine ejus omnes accepimus (Joan. i).* Ideo distillans, quia univocum secundum mensuram gratiæ infundens.

TIT. CXVII. *De duplici gloria veri Salomonis Christi, a patre et matre.*

*Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua (Cant. iii).* Egredimini, filiæ Sion. Egredimini et ingredimini, et videte regem Salomonem. Egredimini, et videte in eo quod mater dedit. Ingreddimini et videte in eo quod pater dedit. Quod enim mater dedit foris est; quod pater dedit intus est. Mater dedit infirmitatem, pater dedit majestatem. Mater dedit substantiam carnis, pater dedit consortium majestatis. Mater dedit in quo vicit, pater dedit in quo regnavit. Mater dedit in quo victor coronatur, pater dedit in quo regnans adoratur. In eo quod a patre habet de supernis prostravit superbium; in eo quod a matre habet in inferis spoliavit avarum. Ibi victor ab angelis collaudatur; hic vincens et triumphans ab hominibus glorificatur : *Egredimini ergo, filiæ Sion, et videte Salomonem.* Egredimini et videte quod foris est, et laudate. Ingreddimini et videte quod intus est, et adorate. Egredimini per compassionem, ingredimini per contemplationem. Egredimini visitantes patientem; ingredimini admirantes gloriantem. Egredimini, et fovete in membris suis adhuc infirmum; ingredimini et videte in seipso excelsam. Si pios senserit humilis, pium se exhibebit sublimis.

TIT. CXVIII. *Quod generalis prædicatio Deum debeat, particularis homines; atque ita quomodo Deus ubique est, et de argutiis dialecticis.*

Logialis [localis] dicit : Sequere cursum sermonis : Quod ubique est hic est. Deus est ubique. Si ubique est, quid dicam? Inferam quod non decet? Ecce locus sordidum quiddam habens, et dixit mihi cogitatio mea : Si Deus ubique est, illic est. Item si ubique non est Deus, et alibi est; est ubi est, et est ubi non est. Si autem locus est ubi est Deus, et locus ubi non est, localis est Deus. Quod enim nusquam est quis dicit? Iterum aliud : Vult Deus omne bonum;

ducere autem uxorem bonum est, localis infert : Ergo vult Deus uxorem ducere. Tales sunt ineptiæ stultorum qui ad sonos vocum pendunt. Iterum aliud : Amat Deus omnem creaturam suam (dicit hoc Scriptura : *Nihil odisti eorum quæ fecisti, Domine [Sap. x].*) Ergo amat hanc creaturam suam Deus. Sed videte ex hoc quanta inferri possint non decentia. Sic videtur his qui sonos vocum sine sensu dijudicant. Ebriosi, inquit, amant fortia vina, et cætera hujusmodi. Multa sunt talia quæ dici possent ad hunc modum. Quid ergo? An totum negamus, an totum confitemur? Alterum contra veritatem; alterum contra puritatem esse videtur. Si totum negatur, aliquid Deo subtrahitur quod suum est. Si totum asseritur, aliquid Deo imponitur quod suum non est. Sed videte discretionem. Generalis possessio ad Deum pertinet; propterea generalis prædicatio ipsum decet : Hominibus autem quibus partes datæ sunt, particulares locutiones conveniunt. Propter hoc de Creatore omnium recte dico : Amat totum. De te autem cujus dilectio ad partem trahitur, cujus possessio parti debetur, recte dico : Hoc aut illud amas, scilicet aurum amas, argentum amas, pecuniam amas. Quare hoc de Deo similiter non dico? Propter te. Ego quidem hoc recte dicere possem : Si tu hoc sane intelligere posses. Tu hoc dictum de te intelligere consuevisti. Propterea de Deo hoc non dico propter te, ne tu hoc audiens id ipsum de illo dici putes, quod dictum est de te. Propterea tibi parco et discerno locutionem, ne rem communem existimes. Aliud est amor tuus, aliud amor illius. Idcirco cum dixeris : Tu hoc amas, caveo dicere : Ille amat hoc, ne sic putes ipsum amare, sicut amas tu. Ego autem dicere possem recte, si tu intelligere non posses prave. Sic dico : Ubique est; et tamen dicere parco de quibusdam locis : Illic est. ne sic eum illic esse putes, quemadmodum est quod secundum te est, et non decente Deum modum est. Sic dico : Omne bonum vult; et tamen de quodam de quo dico : Bonum est hoc, dicere parco : Illic vult, propter te, ne existimes eum sic velle sicut tu vis, et ad hoc velle ad quod tu vis.

TIT. CXIX. *Quomodo debitores non sumus carni, etc.*

*Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus (Rom. viii).* Spiritus hominis medio quodam loco constitutus, supra se Creatorem suum habet, cui subjectus esse debet; sub se carnem suam, cui debet esse prælatus. Aliud ergo debet Creatori propter subjectionem, aliud carni propter prælationem. Creatori propter subjectionem debet, ut nunquam præter voluntatem ejus se moveat. Carni propter prælationem debet, ut eam secundum arbitrium rationis divinitus illuminare disponat. Justitia enim voluntatis humanæ est voluntati divinæ per omnia conformari, et quod illa stando habet, motu et appetitu boni desiderii adipisci, ut nec extra illam effluat præsumens ea quæ non debet; nec infra illam subsistat, torpens ab iis quæ debet. Hoc est ergo debitum spiritus ad Creatorem, ut per omnia secu-

dum ipsius voluntatem moveatur. Debitum autem ad carnem, ut illius appetitum, nec extra suum iudicium effluere, nec infra subsistere patiat. Quia enim spiritus sessor est, et caro iumentum, frenum ei debet, ut præcipitem a malo cohibeat, et calcaria, ut pigram ad bonum excitando exerceat, et pabulum ut ejus infirmitatem sustentet ne deficiat. In stabulo pabulum, in via calcaria et frenum, hoc est in quiete nutrimentum, in exercitatione cohibitionem et incitantium. Frena est timor, calcaria amor. Cum enim ad delectationem præcipitem impellit desiderium culpæ, cohibet a delectatione timentem providentiæ pœnæ. In hoc enim quod cernit quod post culpam pœna sequitur, sive in correctione, sive damnatione: refrenatur a culpa sive in opere, sive in delectatione. Timor ergo frenum, ipse timor cohibet et stringit effluentem animum, et sistit eum ad tolerantiam, ostendens facilius malam concupiscentiam vincere quam malam conscientiam tolerare; et eligit durum ut durius evadat. Deinde venit amor, et stimulat excitando pigram ad exercitium boni operis, demonstrans alacriter tolerandum laborem operis, pro recompensatione tantæ retributionis. Nam quod facimus transitorij est et finem habet; quod autem exspectamus, æternum est et finem non habet. Merces est vita sine morte, gaudium sine mœnore, jucunditas sine dolore. Si ergo hæc vita quæ morte finitur, tantum diligitur, ut pro ejus amore quiddam pro ipsa desiderari potest libenter irasciatur, ne sola ipsa amittatur, quo desiderio illic festinare debemus, ubi nec vita morte terminatur, nec gaudium ullo mœnore corrumpitur, nec jucunditas dolore afficitur? Hæc itaque consideratio animum per desiderium amoris alacriter currere facit ad tolerantiam passionis, ut gravia non sint quæcumque finiiri possunt in tempore, cum post ipsa secutura sunt quæ plena consistent, et perfecta bona in æternitate. Hoc est ergo quod dicitur: *Fratres, debitores sumus non carni*. Debitores enim sumus carni, ut eam cohibeamus ab iniquitate, et exerceamus in virtute, et sustentemus in infirmitate, sed debitores non sumus ei, ut secundum illam vivamus. Hoc est enim secundum illam vivere, videlicet secundum concupiscentias et desideria illius, ut quod illa horret lugiamus, et quod diligit appetamus. Quod si faceremus, nec a malo declinarem, nec bonum faceremus.

**TIT. CXX. De duplici et item triplici contemplatione Dei.**

Mens pia jugi contemplatione Creatoris sui reficitur, et quanto magis ejus bonitatem cogitat, tanto amplius ejus amore inflammatur. Miratur pietatem quæ tantam majestatem ad nostram compassionem inflectit; miratur majestatem, quæ tantam pietatem nostri compassionem et providentiæ affici et perturbari non sinit. Si enim tanta bonitas esset, et tanta majestas non esset, mala nostra ad Deum redundarent. Si autem tanta majestas esset et tanta bonitas non esset, bona ejus ad nos non descenderent. Con-

**A** gratulamur ergo bonitati de tanta majestate propter ipsum, ne pro nobis afficiatur; congratulamur immensitati de tanta bonitate propter nos, ut nobis compatiatur. Et in his omnibus admiratio magna est et stupor menti, quando non dedignatur Deus humilia et infirma nostra. Et quia illi pietas facit se non indignum, quod nobis miseria necessarium reddit. Quemadmodum materna pietas sordentem puerum non abhorret, sed quodammodo delectatur contrectans et deosculans, nec ignominiosum putat indigna sustinere, quia dilectio pulchrum facit quiddam dilecti necessitas exposcit, sic ergo pia mens Deum suum contemplatur, et ipsa sua contemplatione suaviter reficitur et dulce illi est semper ad considerandum quod ad amandum et laudandum **B** semper est suave. Tripliciter autem animus Deum contemplatur, in seipso, in operibus suis, et in iudiciis suis. In seipso, bonum, in operibus suis, magnum; in iudiciis suis, justum; in seipso, amabilem; in operibus suis, mirabilem; in iudiciis suis, metuendum.

**TIT. CXXI. Quod anima hominem exercuat et exercet in hac vita.**

Homo in miseria et ad miseriam natus est. Quod non esset, si homo non peccasset. Primum enim in magna jucunditate fuit, et ab illa in summam felicitatem pervenire debuit; sed quia obedientiam non tenuit, nec retinere potuit quod habuit, nec adipisci quod habiturus fuit. Igitur ad miseriam dejectus et ad miseriam reservatus, cœpit in eodem **C** cruciari et exerceri. Cruciari, ut culpam agnosceret; exerceri, ut ad misericordiam reparari posset. Ut in dolore sentiret bonum quod perdidit, in exercitatione proficeret ad bonum quod habiturus fuit. Totum ergo ad cruciatum versus est quod creatum fuerat ad jucunditatem, ut in omnibus dolorem et laborem inveniat, ut in sui afflictione et præsentem miseriam, et amissam felicitatem agnoscat.

**TIT. CXXII. Quod verbum Dei solum bonum est animæ.**

Ex duabus substantiis constat homo, anima et carne; et utraque bonum suum habet. Bonum carnis est mundus cum abundantia jucunditatis suæ. Bonum animæ est Deus cum affluentia dulcedinis suæ. Si ergo bona carnis tanta sunt, bona animæ quanta **D** esse putanda sunt? Quanto enim anima carne melior est, tanto bonum animæ bono carnis melius esse necesse est. Omnia autem quæ visibiliter bona sunt, bona tantum, ut dictum est, carnis sunt, et ad bonum animæ pertingere nullatenus possunt. Quidquid dulce est ad gustum, quidquid redolens ad olfactum, quidquid plausibile ad auditum, quidquid lenè ad tactum, quidquid pulchrum ad visum, carni blanditur et jucundum est ad carnem, et non est animæ bonum in his omnibus. Primum considera ipsum visibile lumen, quod visibilibus omnibus jucundum est, sine quo nihil est visibile. Ipsum ergo magnum bonum est, et inter cætera bona visibilia magis bonum et jucundius bonum est; et tamen bonum animæ esse non potest. Illuminat enim

lumen istud, sed oculos carnis tantum, quia si oculos animæ illuminaret, in hoc lumine positus omnis verum agnosceret. Nunc autem sine isto lumine veritas videtur. Ac per hoc istud lumen non illuminat oculos per quos videtur. Sicut ergo visibile lumen oculos mentis illuminare non potest, sic cibus carnis mentis famem saturare non potest. Sed sunt extra omnia hæc et foris adhiærentia, quasi paleæ cibus jumentorum; illa autem quæ extrinsecus sunt bona, quasi ex adipe frumenti panis, cibus hominum. Propterea filii Jerusalem paleas non manducant, sed adipe frumenti satiantur, quia omnes qui internam dulcedinem gustare cœperunt, quidquid extrinsecus transitorie delectat et secundum carnem dulce videtur, despiciunt. Habet ergo caro cibum suum, quo reficitur; habet et anima cibum suum, quo sâginatur. Ipse autem cibus animæ verbum Dei est, et ipsum verbum idem lumen est quo illuminatur, et cibus quo reficitur: lumen, quo clarescit ad cognitionem veritatis; cibus, quo pinguescit et hilarescit ad amorem bonitatis. Ipsum ergo verbum Dei primo se effundit, deinde se infundit. Effundit ut videatur; infundit ut percipiatur. Si enim se non effunderet, non cognosceretur; si se non infunderet, non gustaretur. Primo ergo se effundit et perceptibile fecit per creaturam; secundo, per carnem assumptam; tertio adhuc quotidie se effundit per vocem humanam. Post primam effusionem infusum est et conceptum per visum. Post secundam infusionem infusum est et conceptum per fidem. Post tertiam effusionem infunditur et concipitur per cognitionem; et pascit ubique et reficit. Primo ad manifestationem, secundo ad salutem, tertio ad instructionem. Primo ne mali excusentur, secundo ut prædestinati salventur, tertio ut eruditi infornentur.

**TIT. CXXIII. Quod scientia et cura dupliciter Deo attribuitur.**

Cognitio vel scientia alia dicitur secundum contemplationem, alia secundum insinuationem. Similiter cura Dei, alia secundum providentiam, alia secundum præceptionem. Secundum contemplationem scit numerum omnium rerum; secundum insinuationem nescire dicitur, quia scientiam non tribuit. Similiter secundum providentiam cura est ei de omnibus; secundum Scripturam et præceptionem non est cura illi de bonis.

**TIT. CXXIV. De duabus partibus concupiscentiæ mundanæ.**

Concupiscentia mundi duas partes habet, honestatem et utilitatem. Quæ duo cum pariter insunt magis moderata sunt, quia vicissim se temperant; et qui ab altero se restringunt ad alterum immoderatus se effundunt. Alii honesta appetunt, quia laudabiles apparere volunt. Alii honesta appetunt, quia despicabiles videri erubescant. Alii honesta fugiunt propter humilitatem. Alii honesta fugiunt propter simulationem. Utilitas ita appetenda est, ut natura foveatur, et culpa extinguatur.

**TIT. CXXV. De tribus gradibus abstinentiæ.**

Primus gradus abstinentiæ est contentum esse iis quæ dantur; secundus, se in his temperare; tertius, ex his aliquid excipere.

**TIT. CXXVI. Quod multi sola curiositate veritatem quærunt.**

Pilatus interrogavit Jesum: *Quid est veritas?* (Joan. xviii.) et statim egressus est in prætorium. Fecit ergo quæstionem, et non exspectavit responsum. Sic multi transitorio fervore ad Deum conversi vera bona desiderare incipiunt; sed eadem mentis mutabilitate iterum ad transitoria effusi, in mentis proposito non persistunt. Quærunt ergo conversi per desiderium veritatis, sed non expectant responsum aversi per appetitum vanitatis.

**TIT. CXXVII. De duplici superbia.**

Duo sunt genera elationis. Alterum intus per superbiam, alterum foris per typum elationis. Superbia enim intus est, jactantia foris. Superbia alia est, qua in sui consideratione animus intumescit; alia, qua in sui comparatione cæteros despicit. Similiter jactantia foris, alia est qua in sui ostentatione homo blandum se simulat, alia qua se crudellem et metuendum demonstrat. In prima placere nititur, in secunda placere dedignatur. Ex primo igitur genere superbiæ in quo homo sibi placet, primum nascitur genus jactantiæ in quo ceteris placere desiderat; et ex secundo genere superbiæ, in quo alios despicit, secundum nascitur genus jactantiæ, quo se aliis non amabilem, sed metuendum monstrare laborat.

**TIT. CXXVIII. De duplici humilitate.**

Duo sunt genera humilitatis. Primum ad se, secundum ad alios. Humilitas ad se est qua quisque de semetipso parva existimat. Humilitas ad alios est qua bona aliorum homo sine invidia et livore commendat. Per primam humilitatem præesse non cupit; per secundam subesse non contemnit. Humilitas facit ut mala sua homo non excuset. Pietas facit ut mala aliena non aggravet. Item humilitas facit ut quæ in se latent secundum veritatem judicet; pietas facit ut quæ in aliis non patent ad meliorem partem inclinet. Hinc est quod sancti viri semetipsos tam districte judicant, et cunctos sibi merito anteposendos putant. Vident enim sua, et quæ manifesta sunt, et quæ occulta; aliorum autem manifesta tantum. Cum itaque de alienis occultis judicare non præsumant, nisi quantum pietate movente, bona esse existimant, plura sunt quæ in se mala vident, ubi et manifesta et occulta vident, quam quæ in aliis, ubi manifesta tantum vident. Nam, etsi quando quædam occulta aliena ex manifestis deprehendant, sua tamen districte per veritatem judicant; illa autem per pietatem excusando, judicare non præsumunt. Hinc ergo fit ut inferiores se cunctis existiment, et hoc illis sentire dulce sit quod sua mala aggravare et aliorum allevare possit.

**TIT. CXXIX. Quid vere sit homo.**

Unum est in homine cui soli iudicium est cum

Deo. Hoc autem est consensus rationis; et hoc vere ipse est homo, cætera hominis et in homine. Hoc solum si bonum est, non est ad malum quidquid in homine est, sive sit bonum sive sit malum: et hoc solum, si malum est, non est ad bonum quidquid in homine est, sive sit malum, sive sit bonum. Sciendum etiam quod sicut in bonis post propositum bonum quædam affectiones malorum sunt non ad culpam, et tamen aliquando occasio culpæ, sic et in malis cum proposito malo sunt affectiones quædam bonorum non ad meritum, quæ tamen sæpe fiunt occasio penitentiae.

**TIT. CXXX. De tribus spiritibus.**

Tres sunt spiritus: Spiritus Dei, spiritus hominis, spiritus diaboli. Spiritus Dei et spiritus diaboli immobiles sunt, alter in bono, alter in malo. Spiritus hominis nunc huc, nunc illuc flectitur; et cui se sociat aliquando est servus, aliquando socius. Scriptum est enim: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. xiv; Marc. xiii). Et de altero: *Scitis quia cum gentes essetis ad simulacra muta prout ducebamini euntes* (I Cor. xii). Si spiritus hominis aliquando ducitur, aliquando trahitur: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur* (Ezech. i).

**TIT. CXXXI. De dilectore et dilecto duplici.**

*Indica mihi quem diligit anima mea* (Cant. i). Alter est dilectus animæ et dilector animæ; alter dilectus carnis et dilector carnis. Christus dilectus animæ est et dilector. Mundus dilectus carnis est et dilector. Dilector qui diligit; dilectus qui diligitur. In hoc præbatur quod Christus dilector animæ est, quia in oculis ejus nihil interest qualis species carnis, ubi anima pulchra est. Dilectus autem animæ ideo ipse est, quia in perfuendo ipso anima delectatur. Tale enim bonum est sapientia, quo perfrui nisi rationalis natura non potest. Sicut caro mundo perfruitur et delectatur, et oculus carnis hoc diligit quod capit; et qui amat speciem, amat et illa quæ speciem commendant.

**TIT. CXXXII. « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis. »**

*Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth. xi). Labore fatigati, onere gravi, inedia macerati, venite ad me. Qualis ad D qualem; Clausi, ad ostium; ægroti, ad medicum; naufragi, ad portum. Ad ostium luminis, ad portum quietis, ad medicum salutis. Ad ostium, ut egressi veritatem videatis; ad medicum, ut curati ad sanitatem convalescatis; ad portum, ut collecti post laborem quiescatis. Vacui, ut lumine veritatis impleamini; onerati, ut pondere peccatorum allevemini; laborantes, ut quiete adepta consolemini.

**TIT. CXXXIII. De mortis duabus portis.**

Qui cupiditate peccant sumant David exemplum, ut resurgant. Qui timore peccant sumant Petrum exemplum, ut resurgant. Uterque cecidit, et uterque resurrexit, quia Christus utrumque respexit, alte-

rum per se, alterum per prophetam suum. Istæ sunt duæ portæ mortis: cupiditas et timor; quæ si cui clauduntur, non erit quo mundus ingreditur.

**TIT. CXXXIV. Quomodo malus bono vivat, et quod esse bonum et in eo perseverare non sit ab homine.**

Omni rei exemplum sub cælo. Sunt mali qui nunquam boni fiunt. Sunt boni qui semper in bono consistunt. Illi nunquam surgunt, isti nunquam cadunt. Alii qui cum ceciderint non resurgunt; alii cadunt et resurgunt. Qui nunquam surgunt vel nunquam resurgunt, mali sunt. Qui nunquam cadunt vel cum ceciderint resurgunt, boni sunt. Sic duo sunt genera malorum, et duo honorum; et ubique malus bono vivit. Qui nunquam boni fiunt exemplum sunt bonis ut intelligant non esse ex se quod boni sunt, quia, si bonum esse ex homine esset, omnis homo bonus esset. Iterum qui a bono cadunt et non resurgunt, exemplum sunt bonis, ut sciant gratiam esse non solum quod bonum acceperint, sed etiam quod in bono perseveraverunt. Si enim perseverare hominis esset, nullus caderet.

**TIT. CXXXV. De duplici fine et medio.**

Vita mortalis medio loco constituta est, et habet ad dexteram suam vitam æternam, ad sinistram autem suam mortem perpetuam. Et ex vita quidem æterna habet quod vita est. Ex morte autem æterna habet quod mortalis est. Via autem qua ad dexteram itur est justitia; via vero qua itur ad sinistram, culpa. Et flectitur ista vita mortalis sive mors vitalis aliquando per culpam ad mortem, aliquando per justitiam ad vitam. Et quæ ad vitam pervenit, amplius non cadit, sicut quæ ad mortem pervenit amplius non resurgit. Finis enim uterque immobilis est; medium mobile et fluctuat donec stabilizatur. *In quacumque enim parte ceciderit lignum, ibi manebit, sive ad austrum sive ad aquilonem* (Eccl. xi).

**TIT. CXXXVI. De duplici judicio superborum.**

De montibus surgunt nubes, quia corda tumida a lumine veritatis caligant. Rursum fulmina montes feriunt, quia potentes majus judicium sument.

**TIT. CXXXVII. Societatem vitæ presentis instabilem esse et separationem tristem.**

Hoc est unum de magnis malis vitæ presentis, quod dividuntur ab invicem et simul esse non possunt qui et unum habent ortum et animum. In hoc ergo tanto magis laudabilis invenitur in conjunctione societas, quanto magis læditur in separatione charitas.

**TIT. CXXXVIII. De laude compassionis.**

O Beata anima quæ compassionem habere potest! Omnes patiuntur, pauci compatiuntur. Quanto autem laudabilius est compati quam pati? Pati siquidem possunt impii; compati autem non nisi pii.

**TIT. CXXXIX. Quare bestię crucientur quæ culpam non habent.**

Si pœna culpæ debetur, qui non peccaverunt,

quare patiuntur. Pœna hominis justa est, quia peccavit. Cætera quare puniuntur, quæ non peccaverunt? Sed quæ propter hominem facta sunt, propter hominem puniuntur. Amplius adhauc: quia si non peccasset homo, laborarent propter hominem quæ propter hominem facta sunt, ut sciat homo quanti est apud Deum salus sua; pro quo omnia laborant ne solus ipse laboret, et ut discat pœnam timere, pœnam videns laborantium in pœna.

Tit. CXL. *Quomodo homo a Deo et a se recessit et quomodo redit.*

Homo primum per superbiam recessit a Deo; postea per concupiscentiam recessit a semetipso. Per superbiam factus est diabolus. Per concupiscentiam factus est sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (Psal. xxxi). Nunc per humilitatem revertitur ad Deum, per munditiam revertitur ad semetipsum. Per humilitatem meretur gloriam. Per munditiam meretur incorruptionem, gloriam deitatis, incorruptionem immortalitatis.

Tit. CXLi. *Quod homo se et sua male diligit.*

Est quidam amor hominis ad se et ad sua, ad vitam suam et ad concupiscentiam suam. Ad vitam suam quia vult hic esse; ad concupiscentiam suam quia vult hic esse cum istis. Ad vitam suam, qua diligit mundum; ad concupiscentiam suam, qua diligit ea quæ in mundo sunt. Ad vitam suam, qua negligit Deum; ad concupiscentiam suam, qua obliviscitur Deum. Ad vitam suam, qua refugit adversa; ad concupiscentiam suam qua appetit prospera. Refugit timore, appetit cupiditate; et vivunt membra hominis quæ non sunt mortificata super terram. Vivunt et sentiunt. Vivunt discretionem, sentiunt delectationem. Discretionem in bono et malo; delectationem in solo bono. Discretionem in iis quæ odiunt et diligunt; delectationem in his quæ diligunt. Et blandiuntur oculi ad species illecebrosas, ut aperiantur ad videndum. Blandiuntur aures ad cantica sonora, ad verba otiosa, ut aperiantur ad audiendum. Blandiuntur nares ad odorem suavem, ut aperiantur ad olfaciendum. Blandiuntur fauces ad sapores dulces, ut aperiantur ad gustandum. Blandiuntur manus ad tactus molles, ut porrigantur ad tangendum; et luxuriat tota massa naturæ fermento malitiæ et nequitie. Malitiæ, in manifesto; nequitie, in abscondito. Malitiæ, in opere; nequitie, in cogitatione. Malitiæ, carens sinceritate; nequitie, carens veritate. Et amat homo perverse se et sua, et nutrit germina, et exhibet mala membra sua arma iniquitatis, abiciens disciplinam et bonitatem odiens, ne contristet membra sua; laxat frena oculis et auribus, ut intrent et exeant ad delectationes suas et cum delectationibus suis, et ad omnes sensus, ut gaudeant et confruantur gaudiis suis, futuros dolores non prospiciens, primum per negligentiam, postea per contemptum.

Tit. CXLii. *De itinere trium dierum et trium noctium; et de accessu ad Deum et recessu ab eo.*

*Ibimus viam trium dierum in desertum, ut sacrificemus Deo nostro (Exod. iii).* Est quidam accessus

et recessus animæ ad Deum sive a Deo. Accessus ad Deum, recessus a Deo. Abeunti iter est per noctem; redeunti iter est per diem. Quot noctibus recedit, tot diebus redit. Abeunti primæ noctis iter est per superbiam, qua Deum deserit. Secundæ noctis iter est per concupiscentiam, qua alia præter Deum appetit. Tertiæ noctis iter est per obstinantiam [obstinantiam], qua in alienis extra Deum requiescit. In superbia est vanitas; in concupiscentia delectatio; in obstinantia consensus. Per vanitatem igitur abit, per delectationem stat, per consensum sedet. Per superbiam a Deo recedens vadit ad se, ut requiescat in se. Per concupiscentiam descendit sub se, ut requiescat in carne. Per obstinantiam trahitur extra se, ut requiescat in carne visibilium specie, et permaneat in delectatione. Primum, vadit de virtute sua gloriari, secundo, vadit in vitis suis delectari; tertio, vadit in transitoriis consolari. Primo, *Maledictus homo qui confidit in homine (Jerem. xvii)*. Secundo, *Qui ponit carnem brachium suum (ibid.)*; Tertio, *Qui speravit in multitudine divitiarum suarum, et prevaluit in vanitate sua (Psal. li)*. Revertente autem primæ diei iter est quando intentionem suam convertit ab eo quod extra ipsum est ad id quod ipsa est. Secundæ diei iter est quando ab eo quod est, animo ducitur ad id quod esse debet. Tertiæ diei iter est quando a perceptione illuminationis rapitur ad fontem luminis. Prima reversio est ab alienis ad propria. Secunda est a malis ad bona. Tertia est a studio virtutis ad perceptionem internæ et æternæ dulcedinis.

Tit. CXLiii. *Quomodo Deus et cibus dicitur per cognitionem et potus per dilectionem.*

Deus noster et cibus et potus est: cibus, quando sumitur per cognitionem; potus, quando per dilectionem. Duplici hoc sensu beata anima Deo fruitur, scilicet cognitione et dilectione, quia cognoscendo vivit et diligendo. In cognitione aliquid laboris esse videtur, in qua quasi cibus, nisi prius mansus, non sumitur. Sic enim scrutationis labore pervenitur ad gustum cognitionis. Dilectionis potus difficultatem non habet, et facilius intrat in animam boni dilectio, quam occulti cognitio.

Tit. CXLiv. *De trina refectioe animæ.*

Trina refectioe Deus animam fidelem pascit: per verbum, per sacramentum, per spiritum. Quando nos per verba sua et sacramenta reficit, savor nobis edendum proponit. Quando vero intus per Spiritum suum nos reficit, mel nobis gustandum effundit.

Tit. CXLv. *Quæ Dei sunt incomparabilia esse*

Divinæ naturæ excellentia ita omnifariam incomprehensibilis probatur, quod nec ejus æternitatem æquare potest tempus, nec immensitatem locus, nec potestatem opus, nec sapientiam sensus.

Tit. CXLvi. *Quod et sua et a iena ordinat Deus.*

Dispositio divina in omnibus operationis suæ virtutem ostendit. In bonis quidem dupliciter, in quibus utrumque facit, et ut sint et ut ordinata sint. In malis autem simpliciter in quibus non facit quidem ut sint, sed tantum ut ordinata sint.

**TIT. CXLVII. Quod septem modis suscepit Deus homines.**

Septem modis suscepit Deus homines: Primo ad sponsonem, secundo ad protectionem, tertio ad sustentationem, quarto ad reconciliationem, quinto ad approbationem, sexto ad consolationem, septimo ad remunerationem. Primum pugnatorius contra diabolum suscepit in causa ut quasi spondeat pro eis, quando confidit in eis; quemadmodum causam beati Job, quasi cujusdam agonistæ sui, contra diabolum defendendam suscepit. Quosdam autem, quasi timidos et inertes, a pugna fugientes, suscepit ad protectionem, ne labantur; alios in pugna ruentes suscepit ad sustentationem, ne conterantur; alios post ruinam surgentes suscepit ad reconciliationem, ut restituantur; alios jam bene agentes suscepit per approbationem, ut remunerentur; alios post bonam operationem suscipit per remunerationem, ut glorificentur; alios inter operandum fessos suscipit per internam aspirationem, ut refocillentur et consolentur.

**TIT. CXLVIII. De exercitationibus et profectibus hominum.**

Alii sunt laborantes et non proficientes, alii laborantes et proficientes, alii non laborantes et proficientes. Laborantes et non proficientes sunt miserandi. Laborantes et proficientes sunt laudandi. Proficientes et non laborantes sunt beatificandi. Qui pro mundi gloria laborant, laborem habent, profectum non habent. Qui pro vita æterna laborant, laborem quidem habent, sed in labore suo etiam fructum habent. Qui gratis dona virtutum suscipiunt, ii profectum habent ubi laborem non habent.

**TIT. CXLIX. De triplici fructu lectionis.**

Primus fructus lectionis est ut ad veritatem cognoscendam erudiaris; secundus, ut, ad virtutem amandam exciteris; tertius, ut intentione legendi occupatus, corde non vageris.

**TIT. CL. De duplici fructu jejunii, laboris et orationis.**

Primus fructus jejunii est mortificatio carnalis delectationis; secundus, ut per afflictionem carnis corde compungaris.

Primus fructus laboris est occupatio; secundus, exercitatio.

Primus fructus orationis est petitionis impetratio; secundus, devotionis exercitatio.

**TIT. CLI. Quare damnentur qui non peccaverunt.**

Quare, inquis, damnantur qui non peccaverunt? Ostende justitiam quare pœnam sustinet qui culpam non perpetravit. Quis ille? Puer, ais, qui recens natus moritur, et ideo damnari dicitur, quia renasci non potuit. Iste, inquis, culpam non fecit, et sustinet pœnam. Non ergo potuisti dicere: Culpam non habet. Habet enim culpam, quamvis non fecerit culpam; culpam enim nascendo contraxit quam faciendo non perpetravit. Itaque pro culpa punitur quam habet; quæ et ipsius est, quia eam habet; et aliena est, quia aliunde habet. Tamen omnino pro culpa sua punitur quam nasci contulit, renasci non abstulit. Sed anima, inquis, ipsa, quæ nec per conditionem, quia

mundata creata est, nec per nativitatem, quia ex trahere non est, nec per operationem, quia necdum bonum aut malum facere potens est, culpam habet, quare rea judicatur, et pro reatu condemnatur? Sic igitur instas ut probes pœnam esse sine culpa, ac per hoc ipsam pœnam justam non esse quæ sine culpa infertur. Hoc ergo dicis, quasi nulla pœna justa esse possit, nisi pro culpa illata fuerit. Dic ergo: Bruta animalia quare puniuntur quæ non peccaverunt? Cum solus homo peccaverit, quare cætera cruciantur? Omnia laborant ne solus ipse laboret qui potius solus laborare debuit, quia solus ipse peccavit. Si non potest Creator, secundum beneplacitum omnipotentis voluntatis suæ servitio creaturæ suæ uti, etiam cum labore et pœna illius ad implendam dispensationem suam, dic quomodo injustum non est ut ista puniat quæ non peccaverunt. Sed debet Creatori suo factura laborem suum etiam sine culpa, si illi placuerit, cum ratio expostulet ad implendam dispensationem ipsius. Nec injustum est, cum illi placet cui nihil injustum placet. Sicut enim totum illi debet quod est, sic etiam totum illi debet quod potest, ut, quantum ipse vult, ex eo illi serviat, et quomodo vult. Secundum hoc quoque justitiæ moderamen, utitur Deus labore creaturæ suæ ad servitium hominis, ut ex eo ipso intelligat homo quantum sibi collatum sit, et quantum ipse Deo debeat pro quo laborant omnia, ne solus ipse laboret. Sed aliud est, inquis, de pœna brutorum animalium agere, aliud de pœna rationalium, quibus solis sicut datum est benefacere, ut glorificentur, ita justum nullatenus est ut puniantur, nisi male fecerint. Quid ergo? Nunquam homo punitus est sine culpa? Dic igitur: Cæcus ille a nativitate quid fecit, ut cæcus nasceretur? De quo scriptum est: *Neque hic peccavit neque parentes ejus, sed ut manifestarentur opera Dei in illo (Joan. ix).* Job quæ culpa flagellum meruit, qui dicit: *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus? (Job xvii.)* Quia ergo et justus aliquando pœnam sustinet quam peccando non meruit, qui non meruit ut sustineat, sed sustinet potius ut mereatur; quare in his qui præter originale nihil commiserunt, tanto studio Deum injustitiæ arguere volumus, quia pœnam certimus, et culpam actualem non invenimus? Maxime quia dictum est mitissimam esse pœnam illorum qui, præter originale, nihil commiserunt. Si ergo Deus, ad demonstrandam gloriam suam, in vasa misericordiæ vult quosdam quidem qui actualiter peccaverunt, cruciari in pœna, alios autem qui originaliter tantum rei tenentur, excludi a gloria, ut electis suis in illis quidem, ostendat quantam miseriam evaserunt, in istis autem quantam gloriam consecuti sunt, quis ei dicere potest: Cur ita facis? Qui, cum vult, sine culpa juste pœnam ferre potest, sicut culpanti, ne pœnam inferat, juste ignoscere potest. Sed forte non illa sola putetur esse pœnis eorum qui pro originali tantum culpa damnati sunt, quod a gloria beatitudinis excluduntur, nisi etiam

tormentorum cruciatibus afficiantur. Sed si alia est, quæ, vel qualis sit, nescio; unum scio, quod hæc magna pœna et magna miseria est non habere bonum illud sine quo nulli bene esse potest, qui sic ab illo accepit esse, ut in illo haberet beatum esse.

**TIT. CLII. Quomodo sapientia vincit malitiam.**

*Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo, superveniens, vicerit eum, universa arma ejus in quibus confidebat, etc. (Luc. xi).* Atrium est cor; fortis armatus, malitia; fortior superveniens, sapientia; arma, membra. Sapientia primum malitiam capit, per cognitionem eam deprehendens; postea ligat, ab opere cohibens: deinde flagellat, quia pravus affectus quasi duris quibusdam flagellis cæditur, quando per studium disciplinæ ab eo quod appetit refrenatur; novissime quasi membris in crucem extensis et divisis a se elavis, configitur, quando, divisus a se vitiis, timore Dei animus penetratur, quando simul omnia vitia fortia sunt, quia mutuo se muniunt, ut gula luxuriam, pompa superbiam, et cætera. Divide ergo illa et ab invicem disjunge; et sic confige timore Dei carnes tuas, ut malitia in te moriatur. Non autem mireris si sapientia malitiæ facit quod a malitia prius ipsa sustinuit. Prius malitia crucifixit sapientiam; postea sapientia, prævalens, crucifigit malitiam.

**TIT. CLIII. De dispensatione.**

Quod sine culpa fieri non potest, faciendum non est; et si aliquando conceditur, ipsum malum non est. Indulgentia eget, quia non sine malo est. Propter hoc clamat Apostolus, post peccatum: *Bonum est homini mulierem non tangere (I Cor. vii)*, quod quidem peccatum non esset, si sine peccato fieri posset. Nunc ergo, quia sine culpa fieri non potest, si non sit, meritum est; si sit, indulgentia eget. Ita non correcto corrigendi potestas negatur. Arguere vis peccantem fratrem tuum, vide si potes sine culpa. Quid est sine culpa? pure, pacifice, sine malitia, sine ira. Alioquin, si irasceris, cum irascentem reprehendis, cadis in vitium quod damnas, et testis efficieris contra te. Si talis es, dimitte, noli tangere, ne tibi dicatur: *Medice, cura te ipsum (Luc. iv)*. Et, *Qui sine peccato est, mittat in eam lapidem (Joan. viii)*. Ille quidem increpandus est, si a te non est. Si adulteram lapidare vis, audi quod dictum est: *Si quis sine peccato est, mittat in eam lapidem*. Illam judicandam non nego, sed te iudicem nolo. Propterea semper time ne festines ad arguendum.

**TIT. CLIV. Quod Deus prius temporale esse dat, et postea æternum.**

Voluit Creator ante æternitatem tempus esse ut in tempore primum quasi aliquid esse inciperet, postea in æternitate melius perficeretur. Propterea prius creatura suæ temporale esse dedit, postea daturus æternum.

**TIT. CLV. Quod Scriptura aliquando ostendit, et aliquando tribuit mores bonos et virtutem.**

Quædam sunt Scripturæ quæ bonos mores ostendunt;

quædam vero sunt quæ bonos mores tribuunt. Illæ mentem ad cognitionem virtutis erudiant docendo; istæ ad effectum virtutis compungunt exhortando.

**TIT. CLVI. De duplici perfectione charitatis.**

Duobus modis charitas perfecta dicitur: constantia et devotione. Constantia perfecta est charitas, quando fortis est ad omnia adversa toleranda; devotione perfecta est, quando plene succensa est ad ea quæ recta sunt appetenda. Constantia perfecta est, quando sic viget ut non possit superari; devotione perfecta est, quando sic ardet ut amplius non debeat inflammari. Prima perfectio aliquando huic vitæ conceditur; secunda vero ad futuram reservatur. Constantia in Petro, ardor in Joanne. Constanti dicitur: *Confirma fratres tuos (Luc. xxii)*; tenero autem: *Sic eum volo manere, donec veniam (Joan. xxi)*.

**TIT. CLVII. De terrore et blandimento Dei.**

Sapientia Dei aliquando nobis in eloquio divino minatur ut timeamus majestatem; aliquando blanditur ut diligamus pietatem. Terror in Joanne, blandimentum in Christo. Timor per servum, amor per filium.

**TIT. CLVIII. Quid significet quod scriptum est: Melior est iniquitas viri quam mulier, etc.**

*Melior est iniquitas viri quam beneficiens mulier (Eccli. xlii)*. Si per sensualitatem mystice mulierem intelligere volumus et per rationem virum contrarium, fortassis erit quod dicit Scriptura quia primo homini, recens plasmato, cum adjutorium quæretur in omnibus animantibus, simile inveniri non potuit. Propter quod et mulier postea ei facta est in adjutorium illius, utique similitudinis, quæ in cæteris omnibus inventa non fuerat; ut autem eandem similitudinem haberet cum ipso, facta est de ipso, quia omnis similitudo aut æmulatio est, aut origo. Quapropter quæramus duo similia, prius unum in uno, postea duo ex uno. Quando solus vir erat et adhuc in viro mulier erat, quasi duo in uno erant, et duo unum erant. Quando autem mulier de viro facta est, unum quodammodo duo factum est, et divisit se unitas, ut una similitudo in duobus constaret. Itaque quæramus duo in uno, vel potius duo ex uno in similitudine una. In quo uno masculus et femina unum sunt in Christo Jesu. Quid ergo illud unum est in quo et ex quo duo sunt in similitudine una? Respiciamus ad interiorem hominem. Illic quiddam est ad cœlestia et superna intendens, et hoc sapientia dicitur; et rursum quiddam ad transitoria et caduca respiciens, et prudentia vocatur, et hæc duo ex ratione una sunt, et in ratione una consistunt, et dividit se ratio in duo, sursum et deorsum: sursum in sapientia, deorsum in prudentia; sursum in masculinum, deorsum in feminam: ut masculus superior sit et regat, femina inferior et regatur. *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus (I Cor. xi; Ephes. v)*. Prudentia sapientiam regit. Sapientia vero

verbum Dei. Verbum autem Dei ab ipso est cuius est, Prudentia, quasi mulier curam domus agens, circa ea quæ carnis sunt stringitur. Sapientia vero, quasi vir in longinqua sagacitatem suam extendens, per amplitudinem spiritualis contemplationis evagatur. Hinc est quod mulier illa fornicaria quæ propter absentiam disciplinæ simul et continentinæ modestiam postposuerat, virum suum peregre profectum asserit, domumque ac cubile amatoribus suis pictis tapetibus in blandimenta voluptatis se stravisse testatur (*Prov. vii*), quia nimirum prudentia in terrenis et transitoris pressa, cum per præsentiam sapientiæ superioris non regitur, desiderii carnis suæ quasi quibusdam amatoribus per illecebrosas species rerum visibilium ad illicitam delectationem famulatur. Fortis autem illa mulier, quam Sapientia commendat, quia bene domum suam disposuit, laudata est a viro suo, fructum capiens ex operibus manuum suarum (*Prov. xxxi*). Hæc est ergo benefaciens mulier, quæ tamen iniquitati viri comparari non potest ut in hoc manifeste demonstretur quantum distet ab æquitate illius malefaciens, si nec benefaciens iniquitati ejus potest cœquari. Considerate modo quando mulier benefacit, et in quo benefacit. Quando facit quod facere debet, benefacit. Quid facere debet? Prudentia dicitur, quia providere debet ea scilicet quæ necessaria sunt et commoda carnis suæ, quoniam ipsi commissa est cura illius. Vir autem quando benefacit, et in quo benefacit? Quando sapientia sursum intendit, appetens, et desiderans ea solum quæ beneplacita sunt Deo, tunc vir benefacit. Vir ergo benefacit, quando sapientia ad superius suum amore et desiderio intendit. Mulier autem benefacit, quando prudentia inferiori suo infirmanti curam ac sollicitudinem impendit. Vidistis hominem commoda carnis suæ studiose ac callide perquirentem, et pro ipsius delectatione complenda studio atque intentione assidua insistentem: hic mulier erat benefaciens. Vidistis rursus hominem gustu interni saporis roboratum, carnem suam affligentem et pro intuitu supernæ remunerationis non solum superflua, sed etiam necessaria subtrahentem: hic erat vir inique agens. Si enim æquitas est, cum carni quod suum est tribuis, non immerito iniquitas vocatur, quando quod debitum est illi non impendis. Sed tamen *melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier*: quia melior est qui, per cœlestis desiderium accensus, carnem suam necessaria etiam subtrahendo affligit, quam qui, per carnalem affectum resolutus, desiderii ipsius per omnia quæ commoda sunt illi satisfacere contendit. Mulier malefacit, quando, per imprudentiam vel per pigritiam ligata, carnem suam negligit, vel per sollicitudinem vanam distracta ad superflua quærenda se effundit. Quando ergo benefacit mulier, virtus non est; sed quando malefacit, culpa. Iniquitas autem viri desiderium est justitiæ; bonitas autem perceptio gloriæ. Si ergo vir iniquus est ad justitiam, mulier autem bona ad naturam, *melior profecto est iniquitas*

*A viri quam benefaciens mulier*, quia si natura bona est in conditione, justitia melior est in retributione.

Tit. CLIX. *De Filii Dei generatione æterna.*

Quando Pater cœterpum sibi Verbum genuit, tunc dixit, *Filius meus es tu* (*Psal. ii*). In verbo dixit, et *Filius meus es tu*, genuit. Quia vero generatio transitoria non est, dicitur *hodie*; et quia perfecta, *genui*. Ideo enim per præteritum dicitur, non putetur imperfecta; et ideo per *hodie* quod est præsens, ne transacta.

Tit. CLX. *De tribus quæ sunt in sermone Dei.*

Tria sunt in sermone Dei: Elementa, exordia et completiones. In elementis expressio vocis sed intelligentia non est: in exordio sermonis intelligentia est, sed perfecta non est; in completionem sermonis, perfecta intelligentia est. Figuræ Veteris Testamenti elementa fuerunt sermonis Dei. Præcepta Decalogi exordium fuerunt sermonis Dei. Præcepta novi Testamenti completio sunt sermonis Dei. Prohibitio porcinæ carnis elementum fuit sermonis Dei. Prohibitio mœchiæ carnalis, exordium; prohibitio spiritualis mœchiæ, completio. In Veteri Testamento iterum quando dictum est: *Carnem cum sanguine non comedetis* (*Gen. ix*), elementum fuit; quando dictum est: *Non occides* (*Exod. xii*), exordium; quando dictum est: *Si quis trascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio* (*Math. v*), completio. In Veteri Testamento vox fuit, in Novo intellectus, in vita æterna, res. In Veteri Testamento via fuit, in Novo, veritas, in æternitate, vita. Unde dicitur: *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan. xiv*). Idem enim et ibi via fuit, et hic veritas est, et illic vita erit.

Tit. CLXI. *De duplici cibo et potu Scripturarum.*

In refectione duo sunt: potus et cibus. Potus facile sumitur sicut est. Cibus sumi non potest nisi cum labore quodam masticetur. Ea quæ in Scripturis inveniuntur facilia ad intelligendum, potus sunt; quæ difficilia et obscura, cibus. Quæ facilia sunt ad intelligendum et suavia ad faciendum, lac sunt, id est potus dulcis. Quæ facilia sunt ad intelligendum et gravia ad faciendum, vinum sunt, id est potus austerus. Quæ difficilia sunt ad intelligendum et gravia sunt ad faciendum, sunt panis doloris. Quæ difficilia sunt ad intelligendum et dulcia ad faciendum, panis exultationis. Quatuor igitur sunt quæ reficiunt: potus dulcis et potus amarus, et cibus amarus et cibus dulcis. Item quatuor sunt genera reficiendorum: Alii, qui solo lacte nutriuntur; alii, quibus cibus frangitur et masticatur; alii, quibus non masticatur, sed frangitur; alii, quibus nec masticatur nec frangitur. Qui in præceptis Dei ea tantum quæ facilia sunt ad intelligendum libenter audiunt, et quæ levia sunt ad faciendum obedienter agunt, ii quasi lacte nutriuntur. Alii autem ad solidum cibum habiles sunt, quia in præceptis Dei et fortia agere et obscura intelligere possunt, si tamen obscura per expositionem fracta aperiantur, et dura per exhortationem et consolationem masticata emolliantur. Præcepta enim fortia per rationem

faciendi franguntur, et per blandimenta et consolationes masticantur, ut infirmiores quosque nutrire possint. Alii sunt qui non indigent cibo masticato, sed fracto, quia voluntate parati sunt, ubi rationem faciendi agnoscunt. Alii autem in præcepto obedientiæ rationem faciendi quærere indignum existimant, quia pro solo præcepto obedientiam debere se putant. Isti cibum verbum Dei et frangunt et masticant, quia fortes fide nec in occultis rationem importune exigunt, et charitate ferventes in difficilibus exhortationem non exposcunt. Infantibus lac datur. Pueris cibus frangitur et masticatur. Juvenibus non masticatur, sed frangitur. Viris nec masticatur nec frangitur, qui exercitatos habent sensus, ut possint uti solido cibo.

**TIT. CLXII. De duplici sensu animæ, de intelligentia et sapientia.**

Duplex est sensus animæ. Sensus enim animæ sunt intelligentia et sapientia. Sensus intelligentiæ ad cognitionem pertinet; sensus sapientiæ, ad virtutem. Sensus intelligentiæ foris exercetur per lectionem, intus per meditationem. Sensus sapientiæ foris exercetur per operationem, intus per tentationem. Sensus intelligentiæ est bonum cognoscere, sensus sapientiæ est bonum amare. Quidam interiori sensu intelligentiæ vivunt, et sensu sapientiæ mortui sunt. Quidam interiori sensu sapientiæ vivunt, et necdum sensu intelligentiæ plene vivificati sunt. Alii nec intelligentiæ nec sapientiæ sensum percipiunt. Alii et intelligentiæ et sapientiæ sensu vivunt. Sensus sapientiæ et intelligentiæ in quibusdam usu exercitatos acuitur, in quibusdam vero ipso exercitatos sui usu amplius hebetatur. Hinc est quod quibusdam ex frequenti auditu obtusis verbum Dei in fastidium vertitur. Alii, ex quotidiana auditione amplius ad amorem verbi inflammantur. Sic filii Israel in deserto usu manna fastidiunt, et duo discipuli in via loquentis Jesu sermonibus corde inardescunt. Ita machæra cotis confricatione acuitur, et culter assidua soli scissione hebetatur. Vomer sulco attritus splendescit, et cacabus assidua flammæ lambentis adustione offuscatur. Sed vix qui de bono deteriores fiunt!

**TIT. CLXIII. De duplici permissione et prohibitione divina.**

Duobus modis aliquid Deus permittere dicitur, vel obstaculum auferens, vel non opponens. Item duobus modis prohibere, scilicet vel obstaculum non auferendo vel opponendo.

**TIT. CLXIV. Quod Deus tribus modis cor emollit.**

Tribus modis Deus cor emollit: Primum, per inspirationem, bonam voluntatem creando; postea, per aspirationem, excitando; deinde, per occasionem foris adhibitam, quasi viam aperiens, ad perfectionem provocando. Per inspirationem, ponit, per aspirationem impellit, per occasionem trahit. Ponit autem volendum, impellit ad appetendum, trahit ad perficiendum. In cordibus autem malorum Deus pravas voluntates nec inspirando creat, nec aspirando

excitat. Tantummodo secundum dispensationem suam aliquando manifestam, aliquando occultam, semper autem justam, occasionem aliquando foris adhibendo justo iudicio præcipitat. Ergo in cordibus bonorum voluntates rectas primum intus ipse facit, et deinde easdem foras ubi voluerit et quantum voluerit, ad effectum dirigit. Pravas autem voluntates ipse intus non efficit, sed a semetipsis interiori corruptas secundum suæ voluntatis arbitrium ad dispensationis intimæ ordinem complendum inflectit. Bonas igitur voluntates Deus operatur; malas vero non operatur: tamen et per bonas et per malas voluntates non malum, sed bonum operatur. Igitur utrisque non præbet originem, ut sint; sed utrisque viam aperit, ut perfecti possint: et idcirco etiam si voluntas mala est, potestas mala esse non potest, quia, cum a nobis est quod volumus, ab ipso est ut voluntatem implere possimus. Ergo nec per inspirationem nec per aspirationem Deus corda malorum obdurat, sed solum per adhibitam foris occasionem. Sic Pharaonem et Ægyptios obdurasse dicitur, quemadmodum scriptum est: *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, etc. (Psal. civ.)* Non pervertendo voluntates eorum, ut malæ essent, sed, inclinatis ad pravitatem foris, viam aperiendo, ut ruerent. Nam cum populum suum, filios videlicet Israel, in oculis eorum et numero auxit et divitiis sublimavit, tunc nimirum corda adversariorum prosperitati suorum invidentium livoris tabe astrinxit. Unde ergo extulit, inde illos obduravit, non quidem intus aspirans augmentum malitiæ, sed foris provocans intuitu æmulationis perveræ. Adhuc etiam quotidie, cum mentibus humanis congrua internis motibus suis extrinsecus occasio opponitur, ut qui in sordibus sunt amplius sordescant, et justis amplius justificentur (*Apoc. xxii*).

**TIT. CLXV. De libertate et servitute charitatis.**

*Per charitatem Spiritus servite invicem (Gal. v).* Nota utrumque in charitate, et servitute et libertatem. Tunc quasi libera est charitas, cum sine acceptione mandati sponte se exercet in privatis quibusdam operibus charitatis; tunc autem quasi servilis, cum, propriis voluntatibus postpositis, omnimodo se accommodat voluntatibus proximorum implendis, et, cohibens se circa propria, dilatat et exercet se circa aliena. Sed multo magis hæc libera est, quia hoc ipsum facit eam liberam, quod se libere omnium subjicit servituti.

**TIT. CLXVI. De illo Pauli: « Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. »**

*Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (Gal. vi).* Alii sunt quibus mundus crucifixus est, ipsi vero non sunt mundo crucifixi. Alii qui mundo sunt crucifixi, sed mundus eis crucifixus non est. Alii qui et mundo crucifixi sunt, et mundus eis crucifixus est. Illis enim mundus crucifixus est, qui despecti habentur mundo, nec sequitur eos mundus. Illi sunt mundo crucifixi qui affixi tenentur nec sequuntur mundum, sed prorsus eum abjecerunt.

Apostolus autem prorsus abjecerat munus, et munus ipsum. Ideoque dicit. *Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo.*

TIT. CLXVII. *De essentia et forma animæ.*

Duo sunt in anima, essentia et justitia, quæ forma est illius. Secundum formam creatur, sed secundum essentiam innovatur. Forma enim omnino potest perire; essentia non omnino perit, sed deformatur amissa forma. Unum est illud: *Spiritum innova in visceribus meis (Psal. l).* Et de justitia creanda: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum, etc. (Ibid.)*

TIT. CLXVIII. *De triplici acceptione naturæ.*

Tribus modis accipitur natura in sancta Scriptura: Accipitur pro illo optimo statu primæ conditionis in quo primus homo conditus est: secundum quod dicuntur omnia naturaliter esse bona. Accipitur et pro reliquo illius statu, quod post lapsum superest, et viget in mente hominis: secundum quod habetur in Epistola ad Romanos: *Judicabit id quod ex natura est præputium legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator es legis (Rom. ii).* Quod est dicere: Gentiles qui implent legem per vim rationis sibi innatam, quæ est in appetitu boni, illi tales judicabunt Judæos. Accipitur in tertia acceptione pro corruptionis statu in quo omnes nascimur. Unde Apostolus: *Natura sumus filii iræ (Ephes. ii).*

TIT. CLXIX. *Quod Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.*

*Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (Joan. v).* Huic sententiæ contrarium esse videtur quod ipse Filius de se dicit: *Ego non judico quemquam (Joan. viii).* Sed nos oportet verba divina ita intelligere, ut non discrepent testimonia veritatis. Quapropter discernamus paulisper qualitatem judiciorum, ne forte interpretatio confusa intelligentiam nostram coarctet. Quatuor ergo sunt judicia: secundum præscientiam, secundum causam, secundum operationem, secundum retributionem. Secundum præscientiam judicati fuimus antequam essemus; secundum causam judicamur ex quo boni vel mali esse incipimus. Quid est enim judicium nisi discretio? Quos igitur prius discrevit præscientia, illos postmodum discernit causa. Sed nos de Filio dicere non possumus quod ipse vel solus sine Patre et Spiritu sancto præscientiam futurorum habeat, vel solus causas hominum occultas discernat. Et ideo cum dicitur: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio,* de his judiciis intelligere non possumus quæ Patri simul et Filio et Spiritui sancto communia esse scimus. In his ergo quæ supersunt duobus sententiam quarum. Hæc enim duo, id est judicium secundum operationem et judicium secundum retributionem, ad solum Filium referuntur. Quorum alterum, id est judicium secundum operationem, dispensat nunc per ministeria hominum; alterum vero, id est judicium secundum retributionem, postmodum ex-

hibebit per semetipsum. Judicium enim secundum operationem est quando judicantur opera hominum, non homines; judicium autem secundum retributionem, quando pro operibus suis judicabuntur homines. Alterum ad præsens tempus pertinet, alterum ad futurum. Alterum a Deo concessum est hominibus servis Dei, per eos et in eis judicante Deo; alterum per semetipsum implebit, præsentibus et attestantibus servis suis, homo Deus. Opera namque hominum sub Deo judicare homo potest; homines autem pro operibus suis judicare non hominis, sed Dei est. Potest enim homo pro modo suo et ordine opus proximi, si tamen manifestum est et iudicio subjacet, vel probare, si bonum, vel improbare, si malum est, sic tamen ut eos quorum opera vel probat vel improbat judicare non præsumat, quia et ii, quos aliquando perversa agere conspicimus, in bono consummari videmus; et sæpe qui bona multa in conspectu hominum faciunt, conversi tandem retrorsum infausto sine vitam claudunt.

Propterea, ut dixi, homines qui futura prævidere nequeunt, de præsentibus tantum judicare possunt, ut eos etiam quorum facta damnabilia reputant, damnare ausu tenerario non præsumant. Hoc est judicium quod Christus Petro, et cum Petro omnibus vice sua fungentibus concessit dicens: *Tibi dabo claves regni cælorum (Math. xvi); et: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis (ibid.).* De iudicio autem retributionis ait Apostolus:

**C** *Tu quis es qui alienum servum judicas? Suo Domino stat aut cadit (Rom. xiv),* videlicet ostendens quod ille solus potestatem habet, sive ad mortem sive ad vitam judicare homines, et suæ servituti subicere, qui pro eis pretium sui sanguinis dedit, et eos a servitute diaboli redemit. *Omne ergo judicium Pater dedit Filio,* ut ipse in præsentibus per servos suos vice sua fungentes judicet facta hominum; in futuro autem homines pro factis suis judicet per semetipsum. In iudicio itaque præscientiæ et causæ Pater simul et Filius et Spiritus sanctus judicant et examinant justitiam. In iudicio operationis et retributionis solus Filius sive per se sive per servos suos, quos ipse ad hoc ordinare voluit, iudicii profert sententiam. Solus ergo judicat Filius qui solus omne judicium dispensat, sive, ut diximus, in præsentibus quando per vicarios suos causas æquitatis peragit, sive in futuro, quando ipse ad judicandum secundum formam humanitatis visibiliter se manifestabit. Ex his satis colligi potest quomodo Filius omne judicium acceperit, et tamen neminem judicet, quia sicut in forma hominis accepit in omni iudicio solus proferre sententiam: ex forma hominis non habet, sed ex maiestate divinitatis ut non solus, sed simul cum Patre et Spiritu sancto dicet justitiam. Propterea in alio loco secundum formam susceptæ humanitatis loquens ait: *Ego sicut audio iudico (Joan. v).* Ipse enim sicut audit judicat, quia ex interna dispositione trahit omne judicium quod foris dispensat. Sed est adhuc aliud quod in his verbis considerare possu-

mus : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Habuit enim Deus Patris judicium cum homine quem creaverat ut contemptus sui poenam exigeret. Habuit judicium cum diabolo, ut invasionis et rapinae quam fecerat hominem seducendo, causam redderet; sed quia solus Filius per incarnationis mysterium et diabolum vicit et hominem a potestate ejus eripuit, quasi a Patre acceptum judicium solus explevit. Omne autem judicium a Patre accepisse dicitur, quia et primum pro homine, postea de homine, ac deinde hominem judicare mittebatur. Pro homine judicavit, quando eum a potestate diaboli eripuit. Unde ait : *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (Joan. xii). Nunc autem de homine judicat, quosdam per gratiam vocans, quosdam vero per justitiam reprobans, et in ipsis vocatis alios incremento virtutum promovens, alios autem a gratia decedentes relinquens. In futuro autem hominem judicabit, quoniam unicuique secundum opera sua reddens, ad gloriam alios destinabit, ad poenam alios.

TIT. CLXX. *De eo quod scriptum est : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. »*

*Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Matth. vi). Minus est debita dimittere quam inimicos diligere. Christiano autem ad perfectionem virtutis dicitur, ut non solum non odiat, sed etiam ut diligat inimicos. Sed quia ad hujus præcepti eminentiam non omnes ascendere possunt, ne fiduciam orandi imperfectiores perdant, quibus fortasse non odisse inimicos sufficere potest, ipsa orationis conditio sic temperata est. Sed cavendum summopere est iis qui in suis precibus exaudiri desiderant, ut si necdum affectum charitatis inimicis impendere prævalent, saltem fraterni odii nihil in corde residere permittant, ut fiduciale dicere possint : *Dimitte nobis debita nostra*, etc. Nam ex conditionis ratione si non perfecte dimittunt, ipsi se sua oratione magis constringunt. Sunt namque qui sic dimittunt ut vindictam quidem injuriæ non exigant, et tamen ab animo odium inimici non excludant. Quod si nos tali modo debita nostra dimitti petimus, quid aliud potere convincimur, nisi ut nos odiat, et nos puniat Deus? Omnis ergo amaritudo et rancor necesse est ab animo excludatur, ut pura conscientia precibus citius effectum tribuat, si in animo nostro nihil resederit quod eum, quem fallere non possumus, offendant.

TIT. CLXXI. *Quod amor Dei sit vita cordis.*

Vita cordis amor est, et idcirco omnino impossibile est ut sine amore sit cor quod vivere cupit. Quid hinc sequatur considera. Si enim humana mens sine amore esse non potest, aut seipsam aut certe aliud aliquid a se diligat necesse est. Quia vero in seipsa perfectum bonum non invenit; si se solam diligeret, felix amor non esset. Oportet ergo, si feliciter amare desiderat, ut aliud aliquid præter se quod amet inquirat. Si autem imperfectum aliquid

A extra se amare cœperit, amorem quidem suum irri-  
 tat, sed miseriam non excludit. Feliciter ergo non diligit, donec ad verum et summum bonum per amoris desiderium se convertit. Quia vero summum et verum bonum Deus est, solus ille feliciter amat qui Deum amat; et tanto feliciter quanto amplius. Hæc est igitur vera cordis nostri requies, cum in amore Dei per desiderium figitur; nec ultra quidquam appetit, sed in eo quod tenet, quadam felicitate securitate delectatur. Quia enim illud nec appetit ultra protrahit, nec timor repellit, quodammodo in idipsum jucunditatis sine vexatione requiescit. Sed quia humanæ mentis infirmitas, ut non dicam semper non, sed vix aliquando, in illam divinæ contemplationis dulcedinem figi potest, quodam interim studio ad illam ad quam necdum pertingere sufficit stabilitatem assuefacienda est : id est, si Deum semper cogitare non possumus, saltem cor nostrum ab illicitis et vanis cogitationibus restringendo in consideratione operum Dei et mirabilium ejus illud teneamus, ut dum semper minus instabiles esse satagimus, tamen aliquando donante Deo vere stabiles fieri valeamus. Ut autem promotionis hujus aliquod tibi exemplum subjiciam, universus iste mundus quasi quoddam diluvium est : quia omnia quæ in hoc mundo sunt ad similitudinem aquæ incertis eventibus fluctuando decurrunt. Vera autem fides, quæ non transitoria, sed æterna promittit, quasi a quibusdam fluctibus sic a mundi hujus cupiditate in superna animum attollit, et portari quidem ab aquis potest, sed mergi omnino non potest, quia ad necessitatem hoc mundo utitur, sed ejus desideriis per affectum non implicatur. Quisquis ergo æterna non credens, sola quæ transeunt appetit, hunc quasi sine navi laborantem in fluctibus impetus aquæ decurrentis secum trahit. Qui vero æterna credens transitoria diligit, hic juxta navem naufragium facit. Qui autem æterna bona et credit et diligit, hic in navi positus fluctuantis maris undas securus pertransit. Et quia per desiderium fidei navem non transgreditur, jam quodammodo in fluctibus terræ stabilitatem imitatur. Primum ergo si hoc mare magnum illasi pertransire volumus, fabricemus navem, ut fidem integram habeamus. Deinde navem fidei inhabitemus per charitatem, ut et credamus quod diligere debemus, et diligamus quod credimus. Sicque et lex Dei in corde nostro sit per rectæ fidei cognitionem, et cor nostrum in lege Dei sit per dilectionem. Sed ut facilius cognoscas quomodo vel unde hanc quam dixi navem sive arcam in corde tuo ædificare debeas, per quam hujus diluvii naufragio eductus, ad portum quietis pervenias, duo opera Dei considera : videlicet opus conditionis et opus restorationis. Opus autem conditionis est creatio cœli et terræ et omnium quæ in eis continentur, quæ sex diebus facta sunt; opus vero restorationis, incarnatio Verbi, et omnia quæ a principio mundi usque ad finem vel ad ipsam prænuntiandam præcesserunt, vel ad ipsam confirmandam secutura sunt. Quæ omnia sex ætatibus

flunt; sed opera restorationis magis pertinent ad A fidem Catholicam, quæ idcirco sancti amplius diligunt, quia in eis suæ salutis remedia agnoscunt. Hæc autem partim per homines, partim per angelos, partim per semetipsum operatus est Deus, ut in arca spir. ali prima sit mansio opera hominum, secunda opera angelorum, tertia opera Dei. Supremus cubitus auctor universorum Deus.

TR. CLXXII. *Duobus modis humilitatem impugnari.*

Duobus modis diabolus humilitatem in nobis impugnat, per injuriam videlicet, et per reverentiam. Aliquando enim instigat homines, ut injuriam nobis inferant; ac per hoc ad indignationem, et ad iram, et ad impatientiam nos pertrahere nititur. Aliquando facit illos nobis reverentiam exhibere, et sic ad vanam gloriam, et inanem lætitiâ nos inclinare conatur. Nos vero si contra hæc bella inimici humilitatem nostram illasam custodire volumus, mala nostra jugiter ante oculos habere studeamus. Mala autem dico non solum interiora, quæ ad iniquitatem et culpam pertinent, sed etiam exteriora, quæ pertinent ad utilitatem: sicut est ignobilitas generis, inopia, quæ est mater paupertatis; debilitas corporis, et si qua sunt talia quæ hominem humiliant. Nam si culpas nostras et miseras nostras bene et attente inspicere volumus, tunc fortassis nec indignum judicabimus, si nobis inferatur injuria; nec dignum, si reverentia exhibeatur. Sæpe autem diabolus, quos per injuriam quasi impingendo non valet prosternere, per reverentiam quasi occulte suffodiendo nititur supplantare. Mens etenim hominis citius in laude sui decipitur, quia quod libentius accipit, difficilius repellit; nam dum bona sua nonnunquam foris laudari audit, et quodam modo ad semetipsam reversa, iterum esse considerat id quod dicitur, libere jam et quasi sine culpa in adulatione sui delectari se posse arbitratur. Cumque se tantummodo testimonio veritatis consensum præbere existimat, non ipsa eam veritas, sed adulatio potius delectat. Ut autem prorsus ab elationis vitio innocens esse videatur, majori adhuc caliditate se palliat; et postquam id quod dictum est de se verum esse consenserit, ne illo modo sibi tribuere existimet, statim se ad gratiarum actionem convertit. Hæc autem confessio modo mirabili non ad humilitatem, sed ad elationis augmentum proficit, quoniam tanto jam fiducialius apud semetipsum extollitur, quanto manifestius bonum suum non a se, sed a Deo esse confitetur. Pharisei prorsus superbia dicentis: *Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo* (Luc. xviii). Et vide quomodo virus pestilentiæ paulatim se diffundit. Primum fortassis aliquod unum bonum in nobis laudatum fuerat, sed dum mens ex eo incaute extollitur, continuo cætera quoque in memoriam veniunt, ut amplius ad elationem accendatur. Replicat studiosè cuncta bona sua præterita, atque in unum omnia coacervans dum, quasi per præteritorum

memoriam, in præsentis beneficio gratiarum actionem amplificare fallaciter satagit, veraciter in suis oculis ex consideratione tantarum virtutum intumescit. Dumque in sui admiratione occupata desigitur, paulatim jam et eum a quo hoc habet oblivisci incipit; et quasi sibi jam sufficiat quod est, mala sua amplius ad memoriam reducere non dignatur. Tunc hostis postquam intus cor tumidum videt, et hominem in suis oculis magnum effectum, continuo opprobria foris et injurias admovet, quia scit quod decepta mens tanto jam eas impatientius susceptura sit, quanto magis in se nihil, nisi quod laude dignum est, agnoscit. Quapropter oportet, si humilitatem integram et perfectam servare cupimus, animum ab agnitione nostri avertamus, et, accepta contumelia, B discamus nocenti non irasci, sed cõpati, et id quod ab eo patimur existimemus non malitiæ illius, sed meritis nostris debere imputari. Tria denique sunt, per quæ humilitas adversus illatam contumeliam se defendit: Primum, ut consideremus culpam nostram, qua meruimus ut talia patiamur; deinde, ut cogitemus quod quoties ad nostri læsionem excitatur proximus, hoc quasi non ille, sed in illo justè judicio suo ad nostri probationem sive jubendo sive permittendo operetur Deus; postremo, ut consideremus quod malum agenti non irascendum, sed compatiendum sit, sicut corporaliter infirmanti, sive plagam aut vulnus habenti, nemo sana saperet qui non potius condolendum quam irascendum existimaret. Peccata enim quasi quædam sunt vulnera animarum; et omnis qui male agit, non quasi ex virtute agens, sed, quasi a virtute deficiens et veluti quadam phrenesis ægitudine laborans, pie tolerandus est. Prima ergo consideratio suadet nobis justitiam; secunda reverentiam, tertia misericordiam. Contra reverentiam autem et laudationem per eandem malorum suorum memoriam hoc modo se defendere debet humilitas. Quoties adulatione laudantium sive reverentiam exhibentium pulsari exterius atque tentari se senserit, non attendat neque cogitet utrum verum sit quod de se dicitur, aut dignum quod sibi exhibetur, sed statim ne decepta mens per inanem gloriam laudem qua foris pulsatur intro suscipiat, ex ipso suo vitio ei opponere curet unde potius erubescat, dicens cum Psalmista: *Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi: Euge, euge* (Psal. lxxv). Quisquis enim laudatus de veritate consulturus conscientiam adit, ex eo ipso jam consentire in adulationem vincitur, quia occasionem approbationis ejus non quæreret, nisi eam a principio retinere quam abjicere maluisset. Et ideo sit nonnunquam ut talem justo judicio Deus; quia intentionis ejus pravitatem considerat, veritatem discernere non permittat, et testimonium conscientiæ jam illi respondeat non ad id quod quærere se sinxit, sed quod invenire desiderabat. Sic Balaam cum a Balac rege Moabitarum ad maledicendum filiis Israel proposita mercede invitaretur, a Domino quærit an ira debeat, et cundi licentiam accipit; cui tamen post hæc eundem

angelus Domini in via occurrens obstitit (*Num. xxi*). Quid est hoc? Si bona fuit via, cur angelus ei obstitit? aut si mala fuit via, cur Deus ei licentiam eundi concessit? Sed nimirum pravitas menti illius hoc meruit, ut illud potius ei Deus responderet quod ipse magis audire desideravit. Nam qui avaritia cæcatus ire volebat, etiam priusquam inquireret an ire deberet, dum ei licentia eundi conceditur, ad perficiendum solummodo id quod concupierat relaxatur. Nec præcepto Domini ad id faciendum inducitur, sed permissione Domini facultas volenti condonatur, quia, etsi aliud Dominus quærenti respondisset, non ire cupientem doceret, sed remanere nolentem cogeret. Sic profecto animus delectatione laudis suæ corruptus conscientiam de veritatis testimonio consulit, non quod veritatem invenire diligat, sed quia id quod magis esse desiderat, majori attestatione firmare concupiscit.

**TIT. CLXXIII. De naturis ignis et speciebus.**

Tres sunt naturæ ignis, quod nascitur, quod pascitur, quod depascitur, hoc est quod oritur, quod nutritur, quod consumit. Et secundum istas tres naturas recipit undecim species. Prima est quæ sit per remotionem; quæ nec nascitur, nec pascitur, nec depascitur: qualis est ignis solis et gehennæ. Non nascitur quia extra originem non habet; non pascitur, quia nutrimento non indiget; non depascitur quia in subjectam materiam non ardet. Secunda species est quæ tantum nascitur, non pascitur, nec depascitur: qualis est fulgor expressus a nubibus, qui nec urit nec sinit, moxque exstinguitur. Tertia species est quæ tantum pascitur, non nascitur, nec depascitur: qualis est ignis oculorum, qui in viridi pascitur: non nascitur, quia naturalis est; nec depascitur, quia consumens non est. Quarta species est quæ tantum depascitur, non nascitur, nec pascitur: qualis est ignis solis. Extrinsecus enim depascitur. Unde nec sordes ei appropinquare possunt; quas non sibi incorporando, sed in nihilum redigendo consumit. Et hæc est differentia inter ignem solis et ignem gehennæ, quod ignis solis extrinsecus depascitur; ignis vero gehennæ nec extrinsecus illud in quod ardet, nec intrinsecus illud in quo ardet demolitur. Commune ergo habent non nasci, quia aliunde non oriuntur; habent commune non pasci, quia per aliquam materiam non nutriuntur, sed ex semetipsis vivunt; habent commune intrinsecus non depasci, quia substantiam suam non consumunt. Differunt autem quod ignis solis extrinsecus depascitur, non ignis gehennæ. Hæc sunt quatuor species simplices ignis. Sequuntur tres duabus proprietatibus compositæ per singulas. Quinta species ignis est quæ nascitur et pascitur, non depascitur: qualis est calor in ovo, qui et de corpore foventis oritur et nutritur, sed substantiam ovi non depascitur: talis est et radius solis in luna. De sole oritur et nutritur; et corpus lunare non depascitur: similiter radius solis lucens in arido. Sexta species est quæ nascitur et depascitur, non pascitur: quale est

fulgur expressum de nubibus, quod nascitur, quando de collis nubibus exit, et depascitur illud quod urendo consumit; sed non pascitur, quia subito evanescit. Septima species est quæ pascitur et depascitur, non nascitur: qualis est calor naturalis. In corpore non nascitur, quia naturalis; pascitur autem cibus et vestimentis, et depascitur humores corporis. Deinde sequuntur quatuor reliquæ ex tribus proprietatibus singulæ constantes. Octava est quæ seorsum nascitur, simul pascitur et depascitur. Qualis est ignis excussus de silice et in lignis receptus. De silice nascitur, et in lignis pascitur, et ligna depascitur. Nona est quæ seorsum pascitur simul nascitur et depascitur: qualis est ignis excessus de glacie et sulphure receptus. De glacie nascitur, et glaciem depascitur, et sulphure pascitur. Decima est quæ seorsum, depascitur simul nascitur et pascitur: qualis est radius solis lucens in humido. De sole nascitur et pascitur, et humorem depascitur. Undecima est quæ simul nascitur, pascitur et depascitur: qualis est ignis exiens de ligno et ardens in ligno.

Istæ sunt undecim species ignis quæ fortassis aliquid significare poterunt, unde utilitas proveniat, si fuerit qui sciat de visibili igne excutere ignem sapientiæ. Ignis solis qui nec nascitur, nec pascitur, nec depascitur, significat æternam charitatem Dei, quæ in ipso naturaliter existens, cum sit perfecta, augeri non potest, et, cum sit æterna, non potest exstingui. Hoc igne impii quia intus ardere noluerunt, foris ad ignem gehennæ comburendi pervenerunt, quodammodo simile pro simili suscipientes, ut talem ignem caro foris inveniret in pœna, qualem ignem mens intus perdidit in conscientia. Considera ergo tres ignes istos, ignem solis, ignem charitatis, ignem gehennæ. Ignis solis visibilis ostendit tibi invisibilem ignem charitatis, et monet ut eum quæras. Ignis autem gehennæ visibilis pœnam tibi minatur, si perdidideris invisibilem ignem charitatis. Uterque charitati similatur, uterque charitati famulatur. Iste demonstrando, ille vindicando. Illa species ignis, quæ tantum nascitur ut fulgor, significat propassiones vitiorum, quæ per cogitationem subito de corde exeunt; sed quia mens ratione obviante eas per consensum non recipit, continuo evanescent. Neque enim pascuntur, dum transeunt, neque depascuntur, dum per consensum animum non excurrunt. Illa species ignis quæ tantum pascitur, ut ignis oculorum, significare potest sapientiam creatam, id est intellectum cordis humani, quæ, quasi oculus in viridi, pascitur intus contemplatione incretæ sapientiæ, hoc est verbi Dei, quod nunquam marcescit, sed semper novum est et virens. Hæc est interior pascua, in qua saginamur per contemplationem, quemadmodum in exteriori pascua, hoc est sacra Scriptura reficimur per lectionem. Sive ergo ingrediamur per cogitationem, pascuam invenimus Catholicam doctrinam, in qua utraque, velut oculus in viridi, clarescit intelligentia cordis nostri. Illa

species ignis quæ tantum depascitur sicut ignis solis extrinsecus, significare potest virtutem divinæ naturæ, cui corruptio nulla appropinquare potest, quæ omnem creaturam innovat, et in nobis rubiginem vitiorum exurit, non sibi incorporando, sed nihil esse faciendo. Cujus virtus tanta est, ut ejus præsentiam sustinere non possit quidquid consumi dignum est. Unde dicitur: *Deus tuus ignis consumens est (Deut. iv)*. Ipsa species ignis quæ nascitur et pascitur non depascitur, sicut calor in ovo vel splendor in luna, significare potest charitatem in perfectis, quæ a Spiritu sancto oritur et nutritur, qui eos et per internum lumen illuminat sicut sol lunam, et per calorem charitatis fovendo, ad virtutem fecundat sicut gallina ovum. Sed, quia ii boni sunt, non invenit in eis quod exurat, et ideo non depascitur, id est non consumit, sed illuminat; nam sicut solis radius luceus in arido, sic Spiritus sanctus radians in corde mundo. In quo arido ideo malignus spiritus requiem non invenit (*Luc. ii*), quia *sub umbra in secreto calami, in locis humentibus dormit (Job. xl)*. Illa species ignis quæ nascitur et depascitur tantum, non pascitur, sicut fulgur, significare potest transitoriam compunctionem peccatricis animæ, quæ vel ex recordatione peccatorum, sive ex contemplatione tormentorum, vel quolibet alio modo nascitur, quæ per subitum fervorem prævam delectationem depascitur, sed quia mox, ut orta fuerit, pertransit, non pascitur, hoc est non nutritur. Significare etiam potest hic ignis propassiones quæ usque ad consensum veniunt, et sic quodammodo animum per illicitam delectationem exurunt; sed non nutriuntur, quia cito respiciente ipso animo per compunctionem expelluntur. Illa species ignis quæ pascitur, et depascitur, non nascitur, qualis est ignis naturalis in corpore, significat naturalem fervorem animi per quem homo peccato irascitur. Qui fervor, quia naturalis est, non nascitur. Pascitur autem zelo amoris Dei et lenocinationem mollis animi naturali depascitur virtute, quando vitii indignatur, et ea contemnit et respuit.

Sed antequam de reliquis quatuor speciebus disseram, præmittenda sunt quædam. Septem sunt vitia capitalia, vel principalia, a quibus omnia alia nascuntur vitia, hoc est superbia, invidia, ira, tristitia, avaritia, gula, luxuria, sive fornicatio. Quorum quædam aliunde habent nascendi originem et aliunde nascendi occasionem, sicut verbi gratia, luxuria ex carnis specie foris habet nascendi occasionem, intus in animo habet nascendi originem, quia intrinsecus concipitur, extrinsecus excitatur. Hæc igitur diversis modis foris et intus nascuntur; intus per originem, foris per occasionem. Sed in hoc tamen est differentia, quod vitia non semper sunt in occasione sua, cum semper ea necesse sit esse in origine sua. Sicut cum mulier speciosa et casta oculum luxuriosi ad concupiscentiam trahit nescia, in animo concupiscentis est vitium, sed non in animo occasionem concupiscenti præbens. Aliquando ta-

men et in origine simul et in occasione invenitur, ut cum adultera mœchum illicit. Igitur vitia in origine sua sunt, hoc est in animo, unde oriuntur, sicut ignis in eo quod depascitur, hoc est in eo quod ardet. In occasione autem sua sunt, sicut ignis est in eo unde pascitur, hoc est in eo de quo ardet. Igitur illa species ignis, quæ simul nascitur, pascitur et depascitur, significat superbiam, quæ intrinsecus nascitur, immoderata delectatione propriæ virtutis intus pascitur, quia quodammodo mirabili crescente virtute vitium hoc non minuitur, sed augetur; intus etiam depascitur, quia virtutem unde oritur demolitur. Illa species ignis, quæ seorsum depascitur, simul nascitur et pascitur, significat vanam gloriam, quæ intus animum depascitur, foris de ostentatione nascitur et pascitur. Talis est etiam invidia, quæ foris de aliena felicitate nascitur et pascitur, et intus animam depascitur. Talis est ira, quæ foris de illata injuria nascitur et pascitur, et intus animam depascitur. Talis est avaritia, quæ foris de intuitu pecuniæ nascitur et pascitur, et intus animam depascitur. Talis est luxuria, quæ foris ex carnis specie nascitur et pascitur, et intus animam depascitur. Talis est gula, quæ foris ex conspectis deliciis nascitur et pascitur, et intus animam depascitur. Potest etiam significare hæc species ignis charitatem Dei in pœnitentibus, quæ a Spiritu sancto nascitur et pascitur, et peccatum depascitur. Illa species ignis, quæ seorsum nascitur simul et pascitur et depascitur, significat tristitiam, quæ ex immoderata ira foris nascitur, intus silentio pascitur, et animam depascitur. Convenit hoc etiam aliquando luxuriæ quod foris ex specie carnis nascitur, intus pascitur cogitatione et animam depascitur. Nonnunquam etiam simul intus et ex cogitatione nascitur et per cogitationem pascitur, et animam depascitur. Illa species ignis quæ seorsum pascitur simul et nascitur, et depascitur, significat luxuriam, quando ex cogitatione intus nascitur et animam intus depascitur et foris visa pascitur. Significat etiam avaritiam, quando intus ex acedia, id est lædio et tristitia, nascitur, et intus animam depascitur, et foris ex contemplatione divitiarum pascitur. Quando autem dicimus avaritiam ex tristitia nasci, tale est quia postquam homo internum gaudium perdidit, foras mox animum in appetitu exteriorum immoderate diffundit, ut qui intus non habet unde gaudeat, foris gaudium quærat: et est avaritia immoderatus appetitus habendi. Nequaquam enim homo foris falsum gaudium quæreret, nisi prius intus verum gaudium amisisset. Unde constat quod quemadmodum de superbia nascitur vana gloria, et de vana gloria invidia, de invidia ira, de ira tristitia, ita quoque de tristitia nascitur avaritia, et de gula luxuria.

Ista breviter dicta sunt de natura ignis et de significationibus ejus. Sed est profundum ingenium quod investigat omnia. Spiritus sapientiæ penetrat universa. In omnibus autem quæ videntur, et a quibus rerum invisibilium similitudo trahitur, solus ig-

nisi sicut loco supremus est, ita quoque significatione est præcipuus. In eo enim invenitur similitudo virtutis et vitii, ita ut acies mentis foris tacta per imaginem, intro redeat ad contemplandam veritatem. Amor est enim ignis : et est amor bonus, ignis bonus, ignis videlicet charitatis; et est amor malus, ignis malus, ignis cupiditatis. Ignis bonus deponitur culpam; ignis malus demolitur naturam. Ignis bonus accenditur a Spiritu sancto; ignis malus inflammatur a diabolo. Ignis bonus charitas, fons virtutum; ignis malus cupiditas, radix vitiorum (*I Tim. vi*). Ignem bonum Dominus Jesus misit in terram, et voluit ut accenderetur (*Luc. xii*). Ignis malus est de quo propheta dicit : *Et adhuc ignis in domo impii* (*Mich. ix*). De quo Abraham et Lot liberantur; sic enim interpretatur Ur, hoc est ignis sive incendium, de quo Abraham eductus esse perhibetur.

Sed videamus nunc quomodo in nobis operentur, hi ut ita dicam, duo opifices, Spiritus sanctus per ignem suum, et diabolus per ignem suum. Sciendum itaque quod aliter nos accendit Spiritus sanctus, atque aliter diabolus. Nam Spiritus sanctus ipse ignis est, et afflando ignem in nobis creat; diabolus autem non ignis, sed frigidus est, et nos non afflando, sed, ut ita dicam, inflando ignem in nobis excitat. Ille creat virtutem quæ non erat, iste excitat corruptionem quæ sopita fuerat. Ideo in sacra Scriptura Spiritum sanctum per austrum, et per aquilonem diabolum significari invenimus, quia auster calidus est ventus, et aquilo frigidus. Et scimus quod ventus calidus afflando de suo calefacit. Ventus frigidus de se calefacere non potest; et tamen ignem accendit. Sic Spiritus sanctus in se habet amorem, quo nos inflammatur; diabolus autem in nobis invenit corruptionem, quam suscitatur. Ille intrinsecus suggerendo suaviter aspirat, iste extrinsecus tentationum flatibus impingendo quassat. Ille, intrinsecus ex occulto divinitatis suæ prodiens, invisibiliter visitat cor hominis et ineffabiliter consolatur; iste, extrinsecus circumiens et anfractibus suæ caliditatis se involvens, semper ad ruinam insidiatur. Iste est ille princeps mundi, quem in terra morte sua triumphatum de cordibus hominum Christus ejecit; iste est Paraclitus, quem in cælo ad dexteram paternæ Majestatis sedens, super apostolos in linguis igneis misit. Illic ergo Spiritus sanctus missus est, unde spiritus malignus ejectus est, ut ille intrinsecus habitando custodiat, iste extrinsecus impingendo exerceat. Isto foris flante concutimur; sed illo intrinsecus aspirante non aperimur. Sed ecce dum duorum fabricum flatus de contrario spirantes aspiciamus, quatuor inde opera exire videmus : duo opera diaboli, et duo opera Spiritus sancti. Primum opus diaboli est quando illicita delectatione animum urit, et ad similitudinem flammæ foris lambendo quodammodo nigram reddit. Secundum opus diaboli est quando per consensum peccati animum medullitus accendit, et noxia flamma non jam foris lambendo denigrat, sed intus cremando incinerat. Primum

opus sancti Spiritus est quando invenit peccatricem animam, et per compunctionem rubiginem peccati exurit : secundum, quo, examinata et mundata anima, mox eam desiderio æternorum bonorum accendit, et quodammodo per amoris ignem liquefacit, ut jam per desiderium currere incipiat, quæ prius frigida existens male torpebat. Et sicut massa liquefacta per fistulam in monetam funditur et formam accipit, ita mens, amoris igne soluta per radium contemplationis usque in imaginem divinæ similitudinis currit. Amen.

TIT. CLXXIV. *De ratione et sensualitate animæ.*

Contemplantis anima Jerusalem dicitur, quia ipsa interiori oculo mundi cordis veram pacem, id est Deum contemplatur. In hac Jerusalem duæ piscinæ sunt, una superior, et una inferior : quæ utraque in Isaia commemorantur. *Vade*, inquit Dominus ad Isaiaem, *in occursum Achaz, tu et qui relictus est filius tuus Isabub, ad aquæductum piscinæ superioris in agro fullonis* (*Isa. vii*). De inferiori piscina postea sic ait : *Congregastis*, inquit, *aquas piscinæ inferioris, et domos Jerusalem numerastis, et fecistis locum inter murum et murum, et aquas piscinæ veteris collegistis, et non respexistis ad eum qui fecit eam* (*Isa. xlii*). Si ergo Jerusalem est anima, duæ naturæ animæ sunt duæ piscinæ : Superior piscina est ratio, per quam comprehendit cælestia. Inferior piscina est sensualitas, per quam affectat terrena. Superior piscina aquæductum habet in agro fullonis. Fullo est Christus, qui pannos suos calcatur, quia electos suos per tribulationem emundat, ut eos super nivem dealbatos sibi vestimentum faciat. Civibus fullonis est ista convallis lacrymarum, præsens scilicet mundus in quem ad conculcandum projecti sumus; sed, dum calcamur, unimur et mundamur, quia pressura tribulationis et charitate accendit et culpam abluit. Iste est fullo qui illa evangelica vestimenta fecerat, de quibus dictum est quod *candida erant sicut nix, qualia non potest fullo facere super terram* (*Marc. ix*). Sed hoc fullo cælestis prævalet quod fullo terrenus facere non potest. Igitur fullo iste agrum habet, ubi flores inveniantur optimi ad colorandos pannos. Ager est sacra Scriptura, ubi pascuntur animalia Dei, in qua inveniantur diversarum præcepta virtutum, quasi flores quidam ad decorandas animas, et cardui quoque corruptionum ad depectenda superflua. In hoc agro currimus, quando divinam Scripturam legimus; flores colligimus, quando præcepta discimus; pannos coloramus, quando præcepta implendo virtutibus animas nostras decoramus. Patientia est in rosa, castitas in lilio, charitas in croco, humilitas in viola, puritas in sapphiro. Bene autem per agrum fullonis transit aquæductus piscinæ superioris; piscina enim superior, sicut jam dictum est, eminentior vis est mentis nostræ id est ratio. Aquæductus piscinæ superioris radius est contemplationis. Per studium autem divinæ lectionis aperitur via cordi nostro usque ad contemplandum lumen divinitatis, ut illinc, quasi de

fonte, aquæ vinæ spiritualium donorum descendant per radium contemplationis ad irrigandum et implendum sinum mentis nostræ. Piscina inferior est inferior vis animæ, hoc est sensualitas. Hæc habet quinque aquæductus, quinque sensus corporis, per quos oblectamenta hujus mundi influunt, quasi aquæ quædam ad replendum appetitum nostræ carnalitat. Mundus enim fons est, aquæ oblectamenta mundi, aquæductus sensus nostri, piscina sensualitas nostra. Isti quinque ductus aquæ quinque porticus sunt, in quibus multitudo languentium jacet, quia, dum per quinque sensus corporis corruptionem peccati contrahimus, quasi in quinque porticulis languidi jacemus. Sed angelus Domini secundum tempus in piscinam descendit et movetur aqua (Joan. v), quia dum divina aspiratio peccatorem B intus tangit, illico terrore judicii conturbatur carnalis conscientia. Et quicumque post motionem aquæ in piscinam descenderit, sanus sit a quacunque tenetur infirmitate, quia divina gratia præventus peccator, si vere se ad pœnitentiam humiliat, et conscientiam puram conveniens anteacta mala districte puniendo dijudicat, de quolibet delicto veniam consequi meretur.

Sed jam ipsa verba quæ de hac piscina supra posuimus inspiciamus. *Congregastis*, inquit, *aquas piscinæ inferioris* (Isa. xxii). Non est vitium aquas inferioris piscinæ bibere, sed vitium est congregare, quia licet nobis bonis transitoriis uti ad necessitatem, sed non diligere ad superfluitatem; aquas enim piscinæ inferioris congregat qui temporalia bona non ad usum necessitatis, sed ad expletionem cupiditatis accumulât. Deinceps *domus*, ait, *Jerusalem numerastis*. (ibid.) Si Jerusalem animas dicimus, domus Jerusalem non incongrue corpora appellamus. Domus ergo Jerusalem numerare est, considerata multitudine hominum, timere de defectu rerum, computare sumptus corporis, et non confidere in munificentia largitoris. Unde et postmodum subjunxit: *Aquas piscinæ veteris collegistis, et non respexistis ad eum qui fecit eam* (ibid.). Quasi diceret: Temporalia bona quæ transeunt et veterascunt, avare colligitis, et Datorem eorum æternum respicere non vultis; sed animas ad perpetuam vitam creatas temporaliter deficere timetis. Quod autem ait, *fecistis lacum inter murum et murum* (ibid.), ad eandem cupiditatem referendum est. Habet enim anima et exteriorem et interiorem murum. Murus exterior est corpus, quo anima clauditur, et quodammodo incarcerata tenetur. Murus interior est ira naturalis virtus animæ, qua vitiis irascitur, et contra tentamenta munitur, quia ad hoc data est hæc virtus animæ, ut per eam contra vitia se muniat, et cuncta tentamenta, quasi jacula quædam, inimici propellat. Interiorem muro munita, anima omnia quæ carnis sunt, si possibile esset, respicere cupit; exteriori autem muro pressa, nonnunquam etiam ad sordes carna-

lium illecebrarum descendit. Sed tunc inter murum et murum est, quando carnem nec in necessitate respuit, nec in voluptate diligit. Non ergo culpa est inter murum et murum ad colligendas aquas lacum facere, quia culpa non est temporalibus bonis in necessitatibus naturam confovere; sed culpa est necessitatis loco cupiditates admittere.

TIT. CLXXV. *Descriptiones temporis et liberi arbitrii.*

Tempus est numerus mortuorum ordine sibi succedentium. Liberum arbitrium est habitus rationalis voluntatis, qua potest, vel adjuvante gratia, ad bonum quod non habet, aut minus habet proficere; vel sinente gratia [justitia] a bono quod vel habet vel habere debet, per semetipsam deficere. Item liberum arbitrium est in rationali voluntate spontaneus appetitus boni, qui nec coacto dari, nec invito auferri potest.

TIT. CLXXVI. *Quod is solus laudabiliter in alio peccatum ulciscitur qui ad consensum peccati non inclinatur.*

Nemo potest ejusdem culpæ socius esse et vindex. Indignum est enim ut ille de peccato arguere præsumat alium, qui necdum a peccato castigare voluit semetipsum. Scriptum quippe est: *Stetit Phinees et placavit* (Psal. cv). Stans etenim prostratos in turpitudine fornicationis transigit, et Deum placat, quia, sicut dictum est, ille solus laudabiliter in alio peccatum ulciscitur qui, in semetipso, per amorem justitiæ erectus, ad consensum peccati non inclinatur. C Hinc est econtrario quod filii Israel, cum scelus Gabaonitarum vindicaturi contra filios Benjamin, magis confidentia multitudinis quam zelo virtutis excitati, in prælio convenissent, tam magna plaga prostrati sunt, ut prima die usque ad viginti duo milia, secunda vero octodecim milia cornuisse legantur (Judic. xx). Sunt enim nonnulli qui potestate qua cæteris præeminent libere subjectorum culpas arguere volunt; et tamen easdem in se culpas improba præsumptione fovere non desistunt. Sed hos tales alienæ culpæ vindices ipsi iidem qui puniendi sunt perimunt; quia cum ab eis superbe arguuntur, illa manifeste exprobrantes vitia, ipsos sui accusatores reos ostendunt. Sed filii Israel victoriam, quam multitudine non possunt, sœtibus tandem obtinent, quia sæpe prælati subjectorum improperiis humiliati, discunt peccantium animos superba et tumida invectione non irritare, sed blanda potius et humili admonitione corrigere. Facile enim illius increpationi a peccantibus reverentia tribuitur qui et sua humiliter plangere et aliena peccata misericorditer reprehendere non dubitatur; neque tunc audent peccator se contra verba arguentis erigere, cum in vita ejus nihil invenit quod merito possit culpæ (52).

TIT. CLXXVII. *Mystica descriptio naturæ cervæ.*

Dicitur de cervæ quod cum vulnerata fuerit a

(52) De septem peccatis mortalibus, et de effectibus eorumdem. vide tomum primum in Matthæum, De Oratione Domini.

venatore, si quidem tanta exstiterit plagæ violentia ut currere non queat, debilitata ac retardata capitur et occiditur. Si vero dolor vulneris adhuc vires omnino non abstulerit, cursu elabitur et fugiens per deserta secum sagittam infixam portat. Tunc circuit gemens et dolens, nec inveniens manum quæ mortiferum telum de corpore suo evellat, tandem vadit, et quærit dictamum, et comedit ipsum: cuius succus, cum ad interiora receptus fuerit, penetrat omnia sua virtute, et perveniens usque ad vulnus potenter ejicit ferrum, atque de imis etiam visceribus emergere facit. Cerva est casta et munda anima. Sagittæ sunt desideria mala. Venatores sunt dæmones; qui quoties cordibus nostris, sive per visum, sive per auditum, sive per gustum, sive per odoratum, sive per tactum, de exterioribus prava desideria injiciunt, quasi venatores de longe animæ sagittas mortiferas inmittunt. Anima vero si per delectationem pravi desiderii usque ad consensum operis debilitatur, tunc quasi capitur et occiditur. Sin autem fugit et declinat perperationem pravi operis, et nihilominus tamen delectationis illicitæ ferrum infixum ejicere non valet, quasi auctorem mortis effugit. Sed tamen adhuc plene mortis periculum non evasit. Sed et quod facere possit ne moriatur, in solitudinem eat et quærat dictamum, hoc est Verbum Dei. Et cum illud sive per lectionem sacram, sive per colloquium sanctorum invenerit, sumat avidè et comedat, atque illius dulcedine omnem mortiferæ delectationis corruptionem expellat, et se ad integritatem pristinæ sanitatis, omni periculo effugato, restituat, quia nihil citius malam quam bona delectatio excludit; et cum mens illam gustare cœperit, statim istam sponte derelinquit.

**TIT. CLXXVIII. De quadruplici sanorum et ægroto-  
rum differentia.**

Medici qui morbos corporum curare solent quatuor qualitates humanæ vitæ definiunt: Sanativum, sanum, ægrotativum, ægrotum. Ex his quatuor species constituuntur. Sanativi et sani, ægrotativi et ægroti, sanativi et ægroti, ægrotativi et sani. Sanativi sunt quorum natura nullo intrinsecus latenti vitio corrupta est. Sani sunt quos nulla manifesti doloris molestia vexat. **Ægrotativi** sunt qui intrinsecus latentem habent corruptionem. **Ægroti** sunt quos manifestus dolor excruciat. Sanativi et sani sunt quorum natura intrinsecus a corruptione est solida, et extrinsecus a doloris vexatione quietæ. **Ægrotativi** et **ægroti** sunt qui et intrinsecus latentis vitii corruptionem et foris molestiam doloris sustinent, sive ipse dolor ab interiori corruptione sit ortus, sive ab exterioris alicujus molestiæ occasione illatus. Sanativi et ægroti sunt quorum natura interior corruptionem non habet, sed exterioris alicujus læstionis dolorem sustinet. **Ægrotativi** et **sani** sunt qui quidem manifestum dolorem non sentiunt, interiorius tamen tanto periculosius, quanto occultius

A latentis corruptelæ vulnus gerunt. Ex his quatuor gradibus hominum optimi sunt sanativi et sani. Pessimi ægrotativi et ægroti. Medii sanativi et ægroti, et ægrotativi et sani. Meliores sunt tamen sanativi et ægroti quam ægrotativi et sani, quia et in illis natura integra sanitatem violenter turbatam facile recipit, et in istis natura corrupta sanitatem tenuiter et dubie concessam facile amittit. In illis sanitas non extincta, sed violenter exasperata est; in istis ægrotatio non ablata, sed leviter sopita est. Et idcirco sicut hoc facile quamlibet levi occasione ad antiquam corruptionem revertitur, ita et illa facili remedio ad pristinam integritatem reparatur. Hæc idcirco distinxi, quoniam ex statu corporum perpendi potest qualitas mentium. Sunt etenim similiter in animo differentiæ quatuor, id est virtus, justitia, vitium, peccatum. Quod autem sanativum est in corpore, hoc est virtus in mente. Et quod est sanum in corpore, hoc est justitia in mente. Quod vero ægrotativum in corpore, hoc est vitium in mente. Et quod est ægrotum in corpore, hoc est peccatum in mente. Non ergo omnis qui virtutem aliquam habet, sed qui justitiam facit justus est, neque omnis, qui vitium aliquod habet, sed qui peccatum facit, peccator est. Nam justus etiam, quamvis nolentes, aliquando punitiones vitiorum sentiunt ex infirmitate carnis quam corruptibilem portat: sed quia se eis per consensum non inclinant, movus ipse, qui ex vitio corruptionis oritur, pro peccato sentientibus nec consentientibus non imputatur. Est ergo illic vitium, et tamen peccatum non est. Sunt iterum multi quorum natura non adeo passionibus vitiorum affecta est, qui tamen sæpe per negligentiam in peccata incidunt. Quos quidem tanto major peccantes reatus obligat quanto minor ad peccandum eos necessitas impellebat. Illi ergo quorum vitiorum affectibus magis corrupta est natura, facilius cadunt, laboriosius resurgunt; et tamen, si se a peccato custodierint, plus merentur; si peccaverint, citius veniam consequuntur. Qui autem fortioris sunt naturæ tardius cadunt, citiusque resurgunt; et idcirco, si in virtute persistierint, minus merentur; si in peccatum ceciderint, amplius rei habentur.

**TIT. CLXXIX. De eo quod scriptum est: « Sequuntur  
Agnum quocunque ierit. »**

*Sequuntur Agnum quocunque ierit (Apoc. xiv).* Agnus per humilitatem et virginitatem venit ad nos; per humilitatem et virginitatem præcessit nos. De humili enim et Virgine natus est virgo ipse et humilis. Humilitas Virginis et virginitas humilis via est qua venit. Nos ergo venire non possumus qua venit; sequi tamen possumus quo ivit, quia si habere non possumus parentes virgines, virgines permanere non prohibemur. Qui virgo est et humilis non est, sive qui humilis est et virgo non est, sequitur Agnum, sed non quocunque ierit. Solus ille Agnum sequitur quocunque ierit, qui cum humilitate virginitatem, et cum virginitate humilitatem custodit. Sane ex duobus imperfectis melius est

Agnum sola humilitate quam sola virginitate sequi, A quia humilitas sine virginitate salvare hominem potest, virginitas sine humilitate non potest.

Tit. CLXXX. *De triplici compassione.*

Triplex compassionis modus est. Siquidem compassionum alia est ex vitio, alia ex natura, alia ex virtute. Compassio ex vitio est, quando affectus aliquo reprehensibili dolore tangitur, ubi illicito prius amore tenebatur. Compassio ex natura est, quando ex insito sibi pietatis affectu, animus alienis ærumnis condolet, quoties contra pietatis vel humanitatis mensuram eos opprimi sive affligi videt. Compassio ex virtute est, quando propter Deum alienis doloribus compatimur, cum scilicet vel justitiam premi, vel innocentiam affligi videmus. Compassio ex vitio est culpabilis; compassio ex natura est irreprehensibilis; compassio ex virtute laudabilis. Prima reprehenditur, tertia laudatur, secunda autem nec culpam habet, quia ex natura est, nec præmium, quia ex virtute non est. In hac ergo vita quandiu caro mortalis lædi potest passione, tandiu etiam animus mutabilis tangi potest compassione. Ubi autem utrumque veraciter impassibile erit, tunc profecto neque passio carni, neque compassio menti ulla inesse poterit. Nunc ergo mutabilitate sua bene utrumque utitur, si et caro in passione patientiam non deserit et animus in compassione justitiæ mensuram non transcendit. Si igitur tempus compassionis quæris, quandiu pati possumus, compati debemus. Si locum quæris, illic compassionis misericordia exhibenda est ubi adhuc passionis miseria desperanda non est. David, ægrotante filio, lacrymas fudit; mortuo, faciem lavit (*II Reg. xi*), ut ostenderet quia tandiu compassionis misericordia portanda est quandiu passionis miseria desperanda non est. Est tamen quidam compassionis affectus qui naturam etiam perditam miseratione prosequitur, secundum quem in nostri generis similitudine sicut culpæ non corrigendæ irascimur, ita naturæ non exstinguendæ miseremur. Nunc autem vita mortalis et mutabilitati subdita, nunc interim pro parte miseriæ sustinet, sed postea ad incorruptionem translata deponet. Nunc interim in utroque ægrotat, et passione videlicet in carne, et compassione in mente. Tunc in utroque sanabitur, ut et per immortalitatem carnis contra passionem carnis, per immutabilitatem mentis contra compassionem mentis confirmetur. Sicut enim ægritudo carnis est pati, ita ægritudo mentis est compati. Propterea Deus homo qui utrumque tollere venit, utrumque toleravit. Suscepit passionem in carne, suscepit compassionem in mente. In utroque ægrotare voluit propter nos, ut in utroque nos ægrotantes sanaret. Infirmatus est passione in prena sua; infirmatus est compassione in miseria aliena. Eo usque passionem sustinuit, ut pro morituris moreretur. Eo usque compassionem suscepit, ut pro perituris lacrymaretur. Propter miseriam carnem suam tradidit ad passio-

nem; propter misericordiam animam suam turbavit ad compassionem. In carne sua doluit pro nobis patiendo; in mente sua condoluit nobis compatiendo. Et quemadmodum carnis infirmitas in ipso secundum affectum naturæ noluit prænam suam, sic mentis pietas secundum affectum misericordiæ noluit miseriam alienam. Sicut enim calicem passionis secundum carnis voluntatem a se transferri postulabat, quem non transferendum esse præsciebat, sic sententia condemnationis secundum pietatem aliis mitigari exorabat, quam immutabilem prævidebat. Pietas enim quod suum erat operabatur miserando, et ratio quod suum erat sequebatur divinæ dispositioni obediendo. Propterea nihil contrarietatis erat si Christus homo secundum affectum pietatis quam in humanitate sua assumpserat aliquid volebat, quod tamen secundum voluntatem divinam in qua cum patre omnia disponebat, futurum non esse præsciebat, quia hoc ad veram humanitatem pertinebat ut pietate moveretur et hoc ad veram divinitatem pertinebat, ut a sua dispositione non moveretur. Itaque secundum utrumque fecit quod debuit. Neque ideo sibi contrarius fuit, si secundum pietatem humanitati congruam voluit, quod secundum justitiam Divinitati debitum noluit, quia et hoc velle et illud nolle, utrumque voluit. Scriptum est enim: *Jesus autem infremuit spiritu, et turbavit semetipsum (Joan. xi)*. Hic intendite. *Turbavit semetipsum*. Quomodo turbavit? Quæ fuit ista turbatio qua semetipsum turbavit Jesus? Pietas ipsa, miseratio ipsa fuit turbatio. Bona turbatio. Bene turbabatur qui pietate movebatur. *Turbavit semetipsum*. Miseratio turbavit eum, et ipse semetipsum turbavit, qui miserationem sponte suscepit. Sicut tradidit semetipsum quando Judas tradidit ipsum, sic turbavit semetipsum quando miseratio turbavit eum. Notum est hoc et frequenti usu probatum, dicitur homini quando aliquid patitur: Tu temetipsum turbasti; tu tibi fecisti malum hoc. Sic turbavit Jesus semetipsum, quando miseratio turbavit eum, quam sponte suscepit. Et semetipsum tradidit, quando ille tradidit cui ad tradendum potestatem concesserat. Sic itaque Jesus in humanitate assumpta, quandiu eam passibilem portare voluit, secundum proprietatem humanitatis, et passionem in carne, et compassionem in mente portavit. In qua tamen modo ad immutabilitatem translatus, nec pati potest ad corruptionem, nec compati ad turbationem, quando Christum secundum hominem novimus, et patientem et compatientem novimus. *Defecerunt*, inquit, *sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremam aruerunt (Psal. ci)*. Dies defecerunt propter passionem, ossa aruerunt propter compassionem. Propter passionem mortua est caro; propter compassionem arefacta est anima. Dolor compassionis quasi fritura quædam animæ fuit, qua urebatur miseratione, premebatur compassione, siccabatur desperatione: desperatione dico, non propter se, sed propter illos qui nec in malo corrigendi, neque a malo erant libe-

rēndi. In his omnibus Christum secundum carnem novimus, quando veram humanitatem et in vera humanitate veram portavit mortalitatem. *Nunc autem jam secundum carnem non novimus* (II Cor. v), postquam resurgens a mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur, quod enim vivit, vivit Deo (Rom. vi).

TIT. CLXXXI. *Mysterium de numero procedentium ad pugnam cum Gedeone.*

Et factus est numerus eorum qui lambuerunt lingua sua trecenti viri (Judic. vii). Plerique Latini codices non habent manu sua, sed tantummodo lingua sua, quoniam sic intellexerunt quod supradictum est, sicut canes. Græcus autem utrumque habet manu sua et lingua sua, nisi intelligatur quod manu aquam raptam in os projiciebant; et hoc erat simile canibus bibentibus qui non ore apposito sicut boves aquam adducunt quam bibunt, sed lingua in os rapiunt, sicut etiam isti fecisse intelliguntur, ut scilicet manu aquam in os projicerent, quam lingua exciperent. Nam et interpretatio ex Hebræo planius habet his verbis: *Fuit itaque numerus eorum qui, manu in os projiciente, aquam lambuerunt, trecenti viri.* Neque enim solent homines ita bibere ut, sine opere manus, lingua sicut canes aquam hauriant. At vero istis præceptum erat ut hoc facerent; sed cum ad bibendum descendissent ad aquam, multi genu flexo biberunt: quod facilius et minore labore fieret. Pauci vero quia non genu flexo se incurvaverunt, ut canes biberunt, sed aquam in os jactam, quorum numerus, quia trecenti erant, signum insinuat crucis propter litteram Thau græcam. Quo numero etiam gentes magis in crucifixum credituras esse præfiguratum est; quod littera Græca est, unde Græcorum nomine Apostolus omnes gentes significat cum dicit: *Judæo primum et Græco* (Rom. ii); et: *Judæis et Græcis* (ibid.), sæpe ita commemorans circumcissionem et præputium, quod in linguis gentium Græca ita excellat ut per hanc omnes decenter significentur. Iste numerus et in vernaculis Abraham animadvertendus est per quos fratrem ab hostibus liberavit, quando eum Melchisedech in magno mysterio benedixit (Gen. xiv). Quod enim exuberant illis octodecim (nam trecenti et octodecim fuisse referuntur [ibid.]), videtur mihi fuisse significatum quo etiam tempore fieret, id est tertio, quod futurum erat sub gratia. Nam primum est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Singula vero tempora senario numero significata sunt propter perfectionem. Nam ter sex octodecim sunt. Unde et illa mulier octodecim annos habebat in infirmitate, quam curvam Salvator cum invenisset, erexit atque a diaboli alligamento, ut Evangelium indicat, solvit (Luc. xv). Quod vero ita isti probati sunt per quos vinceret Gedeon, ut similes in bibendo canibus dicerentur, significat quod *contemptibilia et ignobilia ele-*

*git Deus* (I Cor. i). Pro contemptu enim habentur canes. Unde dicit: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus* (Matth. xv).

TIT. CLXXXII. *Quid est quod quieverit terra quadraginta annis post peccatum Gedeonis.*

Non præmittenda videtur quæstio quomodo quieverit terra quadraginta annis post peccatum Gedeonis (Judic. viii), cum post victoriam qua liberavit Hebræos ex auro spoliatorum fecerit abominationem; et post illam fornicatus fuerit omnis Israel, et fuerit illi et domui ejus in scandalum. Quomodo ergo post hoc tantum nefas quod et Gedeon et populus commisit, requieverit terra quadraginta annis, cum hoc Scriptura soleat ostendere, cum a Domino Deo populus fornicaretur, tunc potius pacem illos perdere, non acquirere, et hostibus subjugari, non ab hostium infestatione muniti? Sed intelligendum est, sicut solet Scriptura, per prolepsin, id est per occupationem dixisse quod fecerit ephod contra Dei legem Gedeon ex illo auro quod fuerat hostibus devictis ablatum, quia uno loco dicere voluit et unde erat aurum et quid de illo factum sit; sed postea factum est in fine dierum Gedeon hoc peccatum quando consecuta sunt etiam mala quæ deinde Scriptura contexuit; posteaquam commemoravit quot annis in diebus Gedeon terra conquieverit; quos annos recapitulando commemoravit, id est ad ordinem quem perverterat prius dicendo de illo scandalo quod novissime factum est (53).

TIT. CLXXXIII. *Quid propter præscientiam et prædestinationem Dei clamant quotidie perversi.*

Non prudentiam diligentia, sed stolidorum querela est: *Sine me, ita vivam.* Qui ad vitam prædestinatus est, perire non potest. Quare conabor? quod futurum est, fiet. Et tamen nemo vulneratus aut æger dicit: *Sine me; si victurus sum, non moriar.* Quid medicus faciet? quod futurum est, fiet. Et non timent animæ suæ legem dare, quam corpori suo præscribere nolunt. Clamant hoc quotidie perversi: *Nolite admonere, nolite corrigere; si vult Deus, justificabit nos.* Et nemo dicit: *Nolite cibum præparare, nolite vestimentum dare.* Si vult Deus pascet et vestiet nos, et dicit: *Non possumus boni esse, nisi Deus hoc faciat.* Ergo bona illa sine Deo habere non potestis; et ista potestis? imo Deus potius in istis studium vestrum quærit, quæ nisi volentes habere non potestis: non in illis quæ in tantum arbitrio vestro non subduntur, ut sæpe ea habere non possitis cum desideratis, et habeatis cum despicitis.

TIT. CLXXXIV. *De sapientia Dei et hominis, et quod sit duplex, superior et inferior.*

Sapientia a corde procedit et exit per os, et intrat per aurem, et in corde requiescit. Nec discedit unde exit, et accedit ubi non fuit. Estque velanda atque ornanda sapientia cum exit ad nos. Dei sapientia cum primum in rerum creatione ad nos egressa fuit,

(53) De duabus scholis vide tom. primum circa principium. — Quod præcepta Dei multis nominibus signi-

ficantur. Ibid. — De his qui in lege ambulant vel stant vel declinant. Ibid. — De tribus viis. Ibid.

non nuda exiit, sed specie rerum creaturam induta nobis apparuit. Secundo eadem sapientia, id est Filius Dei cum se nobis manifestavit, indumentum carnis assumpsit, et sic visibilis apparuit. Tertio sacro velamine verborum induta eadem sapientia intellectui nostro se præsental. Oportet namque propter nostram fragilitatem ex visibilibus ad invisibilia conscendere. Sic quoque nostra sapientia semper egreditur velata; habet enim legem formosæ mulieris, quæ, si in veste pretiosa incedat, pulchrior apparet; si vero in veste vili, quasi extrita vilescit forma. Sic etiam sapientia pulchro schemate verborum induta nitescit; vili vero induta vilescit, unde dicitur: *Lingua prudentium ornat sapientiam* (Prov. xv). Cor est ager, sensus radix, cogitatio palme, verbum botrus, auris torcular, sapientia vinum, memoria apotheca. Sensus est habitas intelligendi, id est cognoscendi, et procedit a corde; et ab ipso cogitatio, a cogitatione vero verbum, et a verbo sapientia quæ intrat per aurem, quæ, sicut torcular, separat significationem a voce per ipsam ingressa. Duplex sapientia est, una inferior, altera superior. Inferior sapientia in naturis rerum habetur, superior in invisibilibus essentiis. Philosophi autem gentilium in inferiori sapientia illuminati fuerunt; nam verum in rebus visibilibus secundum elementa hujus mundi efficaciter comprehenderunt; verum autem summum apprehendere nequiverunt. Unde est quod dicitur. *Et evanuerunt in cogitationibus suis* (Rom. i). Nam cum ex visibilibus ad divinam essentiam conscenderent, volentes quædam in ea asserere, similitudine rerum creaturarum, secundum humanæ rationis comprehensionem, in ea assertionem evanuerunt, ut quando dixerunt, *περι ἀγαθοῦ καὶ νοῦ*, id est de bono et mente et de anima mundi, asserentes ea esse tria principia et tamen inæqualia: cum νοῦν [νοῦν] inferiorem ἰσοἀγατο [ἰσοἀγατο] esse dixerunt, et animam mundi utroque. Nec tamen negatur recte eos dixisse in quibusdam, ut cum dixerunt originales rerum causas in mente consistere divina, et cætera talia.

TIT. CLXXXV. *De obedientia, quibus sit præstanda.*

Quædam sunt ita mala ut nunquam licite fieri possint; quædam ita bona ut nunquam possint sine culpa intermitteri. In illis nunquam obedientia exhibenda est ut fiant, neque in his ut non fiant. Sunt autem quædam media, quæ, pro tempore, loco et causa, nunc bona sunt, quia bene fiunt, nunc vero mala, quia male fiunt. In his ergo præceptum obedientiæ locum habet, sive ut non fiant, cum bene fieri potest ut fiant vel non fiant. Ex his autem quædam ex ratione præcipiuntur, quædam secundum rationem, quædam præter rationem. Ex ratione præcipiuntur quorum causa manifesta, cur præcipi debeant et fieri. Secundum rationem præcipiuntur quæ, etsi causam manifestam non habent cur præcipi debeant, habent tamen manifestam causam cur bona et rationabilia sint, si fiant. Præter rationem præcipiuntur in quibus nec causa apparet aliqua cur præcipi debeant, nec ratio existat cur fieri debeant;

quæ tamen si fiant, nec ratio læditur, nec justitia violatur. Præceptum ex ratione est, ut cum criminosi et publice peccantes ab ecclesiæ liminibus abstinere jubentur. Præceptum secundum rationem est, ut si quis quæ in hoc mundo licite possidet, cuncta pauperibus erogare præciperetur. Præceptum præter rationem, sicut quosdam sanctorum Patrum legimus multa ridicula, et a ratione humana aliena, ad experiendam obedientiæ virtutem subjectis præcepisse, ut est videlicet siccos stipites donec germina producerent irrigare, dura saxa aqua superfusa mollire, feroces verbi imperio domare, et cætera hujusmodi. In his ergo quæ ex ratione præcipiuntur obedire debitum est; non obedire pœnalis culpa. In his quæ secundum rationem præcipiuntur, obedire meritum est; non obedire venialis infirmitas. In his quæ præter rationem præcipiuntur obedire perfectum est; non obedire minus laudabilis bonitas. In his quæ ex ratione præcipiuntur, non obedire obedientiam destruit; in his vero quæ secundum rationem et præter rationem præcipiuntur, non obedire obedientiam lædit. Et idcirco in his duobus ultimis non obedienti meritum minuitur; in illo vero primo non obedienti pœna debetur.

TIT. CLXXXVI. *De bono summo et non summo, et de multiplici malo, peccato et delicto.*

Solus Deus est cujus bonum est idem quod ipso est. Ideoque solus malus ipse esse non potest, quia bono suo privari non potest. Cætera vero omnia aliud sunt quam bona sua. Ideoque cætera omnia vel mala sunt, vel mala esse possunt, quia bonis suis vel amissis carent, vel habitis privari possunt, et quæ privari non possunt, gratia privari non possunt. Sic ergo alia res omnis aliud est quam bonum suum; et esse naturaliter potest præter bonum suum, et cum habet bonum suum, bona est; et cum non habet, mala. Sciendum item quod sursum bonum unum quidem est, sed omne bonum in ipso est, et omne bonum ipsum est. Ideoque nec augeri potest, quia perfectum est, nec minui quoniam æternum est. Ideoque semper est quod est. Cætera autem bona omnia, quia ex parte sunt, augeri possunt; et quia mutabilia sunt, minui possunt; quia vero aliud sunt ab eo cujus sunt, possunt amitti. Quia vero in universitate rerum duæ tantum sunt naturæ, corporea scilicet et incorporea natura; quæ sicut adinvicem ipsæ diversæ sunt, sic et bona earum omnino eadem esse non possunt. Aliud est igitur bonum incorporeæ naturæ, atque aliud bonum corporeæ naturæ. Et utraque, cum bonum suum habet, bona est; cum vero bonum suum non habet, hoc malum ejus est; et ipsa mala est. Bonum incorporeæ naturæ est cognitio veritatis et amor virtutis, bonum vero corporeæ naturæ est decor pulchritudinis et integritas sanitatis. Est et similitudo hinc inde inter bona ipsa; et quæ a se alia sunt, inter se dissimilia non sunt. Est enim quasi pulchritudo quædam spiritualis naturæ ipsa cognitio veritatis, et quasi sanitas quædam est amor virtutis, et est pulchritudo foris et

pulchritudo intus, et sanitas foris et sanitas intus. Et cum pulchritudo tollitur, succedit fœditas et turpitudine; et malum est hoc, sed nondum dolorem facit, non ingerit cruciatum. Cum vero sanitas tollitur, succedit corruptio et dolor, et sit malum magnum, ut majus constet malum non amare bonum quam non cognoscere verum. Privatio bonorum corporaliū malum est, et tantum malum; privatio vero spiritalium honorum malum est; nec solum malum sed etiam peccatum. Ista igitur culpa est, et illa pœna. Privationem cognitionis veri ignorantia consequitur; privationem vero amoris boni concupiscentia mali. Et sunt duo mala ista a quibus omnia mala oriuntur. Ignorantia facit, ut facienda non faciamus; concupiscentia vero facit ut non facienda faciamus. Non facere facienda delictum est; facere non facienda peccatum. Sciendum autem est quod malum substantive dictum ipsam tantum boni privationem significat; denominative vero acceptum, actum mali, sive effectum, sive explicationem ejus demonstrat. Nam et malitia malum dicitur, et actio mali malum vocatur; sed aliud substantive, aliud denominative. Omne peccatum penes voluntatem et in sola voluntate peccatum est; et tamen actio peccati peccatum vocatur, quia in ea peccatum perficitur et expletur et explicatur. Nec duo peccata sunt peccatum et actio peccati, sed unum peccatum quod motu mentis includatur, ac deinde motu corporis perficitur. Omne enim peccatum a motu mentis initium sumit, et inde excresecit in consummationem, dum vel actione corporali expletur, vel, si effectum corporalem habere non potest, pleno consensu confirmatur. Consensus autem duplex est, alius non resistendi malo, alius faciendi malum. Omnis quippe motus mentis vel ad Deum est per conversionem, cum bonus est; vel cum malus est per aversionem a Deo, ipsa aversio malum est, et peccatum. Et quia multis modis mens a Deo avertitur, multa genera mali, et multa peccati genera esse dicuntur. Semper tamen principium aversionis, principium peccati est, et ipsa aversio peccatum. Et crescit ille pravus aversionis motus, et exundat in pejus, et venit primum in delectationem, deinde in consensum non resistendi malo: quod per passionem facit; deinde in consensum faciendi malum, quod plenam generat passionem: et tunc peccatum in se consummatum est. Exit tamen aliquando usque ad expletionem corporalis actionis. Quæ videlicet actio cum in se essentialiter peccatum non sit, tantum tamen peccato adjicit, quantum ipsum qui in mente est peccati motum accendit. Neque enim motus corporis motui mentis additur ut in ipso crescat, sed ex ipso motu corporali illi mentis spiritali motui causa sumitur, ut in se argumentum accipiat, sicut follis cum accendit ignem auget non ignem igni apponendo, sed ex igne ignem ut amplius ferveat et calefiat, cum unus et idem sit ignis excitando. Itaque etiam prava volentibus motus mentis peccatum est; motus vero corporis, explicatio peccati: quia in eo quod mens motu suo a Deo

Avertitur culpam agnoscimus, in eo autem quod motus corporis motum mentis sequitur naturam solam invenimus. Motus voluntatis per se est primum in cogitatione, deinde exit per motum corporis in operationem. Malus motus per se deorsum fluit, sicut massa plumbi liquefacta qua via aperitur, ille per se præcipitatur. Motus bonus, quia sursum est, per se ire non potest.

TIT. CLXXXVII. *De duobus denariis.*

*Altera die protulit duos denarios et dedit stabulario, etc. (Luc. x.)* Duo denarii qui in procuratione vulnerati expenduntur sunt debitum præcepti, in quo doctrina, et debitum voti, in quo exemplum, vel duo Testamenta, vel duo gladii, vel duo judicia. Vetus Testamentum quasi vindex judicat crimina, et corporali gladio percutit ad puniendum: Novum Testamentum quasi medicus judicat morbos, et spiritali gladio percutit ad sanandum. Si quid rigore vel lenitate supererogatur, redditur; si nihil, non exigitur.

TIT. CLXXXVIII. *De eo qui malum vel bonum male facit, et postea pœnitentiam agit.*

Qui malum facit et male facit, postea pœnitenti utrumque dimittitur, et quod facit malum, et quod sic facit male. Qui bonum facit et male facit postea pœnitenti quod male facit dimittitur; quod bonum facit reservatur, et adjuncta intentio bona nominat opus bonum.

TIT. CLXXXIX. *De naturæ hominis comprobatione.*

Homo nudus nascitur, pecus vestitum. Plus ergo C illis confert natura quibus non est providentia. Homo sic dimittitur, ut naturæ ejus dignitas comprobetur et ratio exercitetur.

TIT. CXC. *De egressu et regressu Sapientiæ.*

*Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem (Joan. xvi).* Primum exitus Sapientiæ est a sinu Patris ad cor hominis. Secundus induta voce per os egreditur, et venit ad aurem, ibique se exspoliens per auditum cordi illabitur, ut iterum mundum relinquens per cordis contemplationem ad Patrem revertatur. In corde radicat, in ore pullulat, in aure torculatur, et iterum a cordis apotheca recipitur. Vox vestimentum est sapientiæ, sicut scriptum est: *Lingua sapientium ornat scientiam (Prov. xv).* Et sapientia non egreditur nisi induta, nec regreditur nisi exuta. Similiter species creaturæ vestimentum est sapientiæ, quo operta egreditur et videtur, sicut scriptum est: *Confessionem et decorem induisti, amictus luminis sicut vestimento: Extendens cælum sicut pellem, etc. (Psal. ciii.)*

TIT. CXCI. *Cur Deus dictus Pater luminum.*

*Omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, etc. (Jac. i.)* Dona Dei lumina sunt; et ipse auctor donorum Pater est luminum: *Apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio (ibid.),* quia nec illuminans transmutator, neque non illuminans obscuratur. Generans enim non degenerat, et non generans non caligat, quia

nec inferior est exiens, nec obscurior latens. Lu-  
mina ejus, quando ad nos veniunt, ab ipso non  
recedunt; et quando a nobis redeunt, apud ipsum non  
clarescunt; quando ad nos descendunt, in nobis  
non deficiunt; et quando a nobis recedunt minora-  
tionem pro nobis non recipiunt. Itaque non transmu-  
tantur in nos quando participanda veniunt ad nos;  
nec obumbrantur in se, quando ab illuminatis et  
ebumbrandis redeunt, et remanent in se.

**TIT. CXCII. Quomodo Sapientia parturiebatur.**

*Nondum erant abyssi et ego parturiebar (Prov. viii).* Conceperat Deus Sapientiam in præscientia futuri, parturiebat in voluntate creandi, peperit in procreatione effecti.

**TIT. CXCIII. De quatuor timoribus.**

Quatuor sunt timores, mundanus, servilis, initialis, filialis. Mundanus pro evitaanda imminente pœna bonum dissimulat, retenta voluntate boni; servilis pro evitaanda pœna imminente bonum simulat, retenta voluntate mali; initialis pro evitaanda pœna ventura etiam malam voluntatem mutat; filialis pro reverentia Creatoris sponte bonam voluntatem confirmat. Initialis necessitatem boni habet, filialis voluntatem. Tres primi respectu pœnæ sunt, et pœnam habent; quartus nec respectu pœnæ est, nec pœnam habet.

**TIT. CXCIV. De tribus generibus hominum circa conflictum cum vitiis**

Hominum cum vitiis conflictantium, alii sunt stantes, alii nutantes, alii vagantes. Stantes sunt confirmati, nutantes nondum radicati, vagantes dissipati. Stantes sunt qui vicerunt, nutantes qui pugnant, vagantes qui victi sunt. Stantes sunt in pace, de quibus dictum est: *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te (Psal. cxlvii)*; nutantes, in luctamine; vagantes, in abalienatione. Stantes possident, nutantes appetunt et sequuntur, vagantes fugiunt et abstrahuntur, primum ad illicita opera, post ad turpia.

Altercatio inter Deum et diabolum. Tomo primo, fol. xxxix. D.

**TIT. CXCIV. De tribus tyrannis.**

Tres sunt tyranni qui contra nos acies suas produ-  
cunt: diabolus, mundus, et caro. In exercitu diabo-  
li militant vitia; in castris mundi prospera et  
adversa; in societate carnis desideria terrena. Ex  
his tribus duo tertio conjuraverunt ad subversionem  
nostram. Mundus enim et caro diabolo auxilium  
ferunt contra nos: unus est vicinus, alter do-  
mesticus. Mundus enim juxta nos est, caro nobis-  
cum. Idcirco confidit diabolus magis in auxilio car-  
nis, quia plus nocet domesticus hostis. Diabolus  
vincimus, quando suggestionibus ejus resistimus;  
mundum vincimus, quando nec appetimus pro-  
spera, nec timemus adversa; carnem vincimus,  
quando ejus desideria nec exstinguimus in necessa-  
riis, nec ad licita relaxamus.

**TIT. CCXVI. De cordis et delectatione, et cogitationibus.**

Corolla est, delectatio sagimen, cogitationes  
muscæ. Propterea ubi desideria abundant, abun-  
dant et cogitationes. Fit tamen nonnunquam ut  
postquam cor a malis desideriis emundatum fuerit,  
adhuc cogitationes pravæ redeant, tam inopportune  
nunc quam prius immundæ. Ibi maculantes, hic in-  
quietantes; ibi lutum, hic pulvis.

**TIT. CXCVII. De sapientia Dei et mundi.**

Scriptum est: *Quia mundus in Dei sapientia, per sapientiam Deum non cognovit; placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes (I Cor. i).* Mundus sapientiam habuit, per quam Deum non potuit cognoscere positum in sapientia sua. Sapientia mundi fuit ratio humana, secundum visibilium rerum naturam et elementa hujus mundi formata. Sapientia Dei fuit ejus ineffabilis majestas, et incomprehensibilis bonitas. Erat et prudentia mundi circa commoda carnis diligens circumspectio. Sapientia ergo mundi quæ humana ratione incedit, negat fidem; prudentia autem mundi quæ carnis tantum commoda quærere docet, et vitare incommoda, destruit bonam operationem. Propterea sapientiam mundi stultam reputat Deus, et prudentiam judicat inimicam, quoniam illa veritati adversatur, ista dilectioni. Propterea utramque destruxit Deus: sapientiam, per stultitiam; prudentiam, per insaniam. Quasi enim, stultitia quædam Dei fuit secundum humanum sensum, quod ad abjecta et indigna sibi se humiliavit. Insania autem reputata, quod sine necessitate tam dura sustinuit. Et tamen qui in sapientia sua cognosci non potuit, quasi in stultitia agnitus est, quoniam qui in sua celsitudine manens non potuit comprehendere, in sua humilitione coepit agnoscere. Quasi enim in sua sapientia Deus fuit, quando in eo quod ipsum decere videbatur, permansit; sed ibi agnitus non est, donec quasi desipuit et indigna suscepit. Ibi autem sapientiam mundi destruxit, ubi se in eo quod stultum mundo videtur, demonstravit, ut disceret homo supra rationem mundi esse quod videbat in natura hominis Deum apparere. Deinde autem quasi per insaniam Deus prudentiam carnis evacuavit, quando contra ejus existimationem agens carnem suam, sine retractione ad pœnas et tormenta exposuit, et sic eam ad incorruptionem resurrectionis eduxit, ostendens quod non parcendo, sed castigando et persequendo carnem servare oportet. Sic ergo quia in sapientia sua per sapientiam mundus non cognovit Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes (I Cor. i). Stulta enim videbantur quæ dicebantur, sed tamen per hæc demonstrata magis sunt stulta quæ probabantur et amabantur. Quæ probabantur ratione stulta, et quæ amabantur dilectione insana; illa sine veritate, ista sine utilitate. Stultum enim fuit supra carnis sensum veritatem Dei pertinaciter non recipere, et insaniam fuit propter

carnis commolumentum detrimentum animæ patienter A sustinere. sobrietate et castitate et corde pervigili in tempore psalmodum. Sicut pondus solis premens virum infirmum, sic somnus in oculis est monachi. Sicut spinæ et tribuli in agro optimo, sic cogitationes turpes in corde monachi. Sicut linea exterminat vestimentum, sic detractio animam monachi. Noli ire ad colloquium mulieris, ne sis separatus a regno Dei. Et ne velis dicere: Loquor cum muliere, et mundus sum. Monachus sapiens manibus suis operatur, victum sibi acquirens quotidianum, et lucratus est orationes et jejunia sua. Si autem ab alio acceperit victum, quid prodest quod orat et vigilat sicut mercenarius malus et durus? Quia scriptum est: *Melius et beatius est dare quam accipere (Act. xx)*. Lignorum copia ingentem suscitavit flammam; multitudo autem B escarum inobedientiam parturit et mortem. Indigena ventrem in orationibus vigilem præstat, et coronam animæ acquirit. Repletus autem somni inducet gravitatem. Oculus gloriosus convivia perscrutatur; oculus autem sapientium meditabitur continentiam martyrum. Formidolosus miles horrescit tubam, quæ bellum significat; et gulosus monachus, si abstinentiam audierit, prædicantem non auscultat. Flamma cum marcescit iterum elucescit, si accipiat lignum, et libido sopita rursus ignescit in saturitate escarum. Non miserearis corporis, si lassitudine defecerit. Equus consentiens indigena corpus, nec ascensorem deficit unquam. Concupiscentia mater libidinis; oleum nutrit lampadem lucentem, et ignem luxuriæ accendit confabulationem mulierum. Facies C enim mulieris sagitta est truculenta; infligit vulnus in animam et venenum. Fuge confabulationem mulieris, si castus esse volueris. Absconsum est in eis venenum. Magis accedas ad ignem ardentem quam ad mulierem. Noli velle, cum sis juvenis, impetus libidinis sentire per concupiscentiam in confabulatione mulieris. Qui repleverit ventrem et promiserit castitatem, ipse sibi mentietur. Forma pulchritudinis pejus quam procella submergit. Speciem mulieris si semel mente conceperis, et ipsam vitam contemnere persuadet. Ut enim si in paleis moretur ignis, excitat flammam, sic memoria mulieris permanens succendit concupiscentiam. Aculeus peccati facta est femina. Omnis societas mulierum gluten est delictorum, et tanquam visco necit cantu suo de quo diabolus satiatur, aut si risu dissolvatur, aut cantare delectetur. Utilius est audire lasiliscumbilantem quam mulierem cantantem. Et tu quid dicturus es nihil? Quomodo Elias commoratus est cum vidua? Ipse qui discipulum te dicis Eliæ, fac quod ipse Elias fecit. Accipe tibi tantorum dierum spatium jejuniorum, ut possis in cælo regnare in sæcula sæculorum.

Tit. CXCVIII. *De trina refectioe animæ.*

Trina refectioe Deus animam fidelem pascit: per verbum, per sacramentum, per spiritum. Quando nos per verba sua et sacramenta reficit, favum nobis edendum proponit; quando vero intus per spiritum suum nos reficit, mel nobis gustandum effundit.

Tit. CXCIX. *De contemptu mundi inducendo.*

Primum ad contemptum mundi adminiculum est, si cœperit homo semetipsum agnoscere cur creatus sit, et exquirat factorem suum Deum, tunc incipiet penitere de iis quæ commisit in tempore negligentie suæ. Et sic demum benignus Deus dat illi tristitiam pro peccatis. Et post hæc iterum per suam benignitatem dat illi afflictionem corporis; in jejuniis, in vigiliis, et orationis instantia, et contemptu mundi, et ut libens illatas injurias sufferat, et odio habeat omne refrigerium corporale, et ut diligat planctum magis quam risum. Post hæc Deus tribuet illi desiderium et fletum et planctum et humiliationem et humilitatem, ut trabem oculi sui consideret; non alterius festucam nitatur eruere, et dicat semper: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum contra me est semper (Psal. l)*. Et ut dei exitus sui memor sit, et quomodo in conspectu Dei occursurus sit, et judicia et pœnas describat in conspectu mentis suæ: necnon et meritis honores qui dandi sunt sanctis. Qui autem cognoverit quod cor suum firmum est in timore Domini; et non titubaverit ad locum suum, sed fortiter restiterit adversario suo, ille perfectus monachus et miles Christi vocabitur. Ut enim nimio onere cumulata navis undarum ictu obruitur, sic multa possidens monachus in via impeditur, nihil possidens, quasi aquila ad celsitudinem pervolat, tuncque solum descendit ad escas, quando compellit necessitas. Prudens monachus non adulabitur, propter voluptatem ventris, divitiibus. Nihilque possidens, ut cursor levis, velociter ad D bravium supernæ vocationis Dei perveniet. Verus monachus post opus moderatum orationibus et lectionibus vacat. Nihil possidens monachus thesaurizat in cælo; et canit Deo laudes die et nocte, in timore Dei. Gloriatio monachi, cum nullas res præsentis vitæ possidere desiderat. Gloriatio monachi, vigiliæ et fletus in orationibus suis. Gloriatio monachi, mansuetudo et fides. Gloriatio monachi, quando Deum ex toto corde dilexerit et proximum suum tanquam seipsum. Gloriatio monachi, abstinentia escarum, et multiloqui lingue. Gloriatio monachi, quando verba ejus operibus consonant. Gloriatio monachi, quando in loco suo permanet, et huc illucque non vagatur. Gloriatio monachi longanimitas cum humilitate et gratia. Sicut lampas splendida in loco tenebroso, sicut sol radians splendidus est, sic monachus perfectus in

Tit. CC. *De solutione quatuor questionum per Ranulphum de Mauriaco propositarum.*

HUGO RANULPHO de Mauriaco, etc. Vide supra inter epistolas Hugonis, Operum tom. II.

## LIBER SECUNDUS.

## ADNOTATIONES ELUCIDATORIÆ IN QUOSDAM PSALMOS DAVID.

## PROLOGUS.

Quosdam tibi, frater charissime, Psalmistæ versiculos prælibavi; de profunda abyssu stillam modicam hauriens.

CAP. I. *De fabrica cathedræ pestilentiae, et quæ eam concernunt.*

*Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum: et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentie non sedit (Psal. 1).* Quandiu anima per contemplationem Deo adhæret, manet in patria, quando cogitationem suam ad terrena, et transitoria inflectit, a patria in exilium vadit. Primum per vanitatem abit. Deinde per delectationem stat. Deinde per consensum sedet: per opus ædificat, per desperationem habitat. Qui malum operatur cathedram fabricat; in cathedra sedet qui in malo perseverat. Instrumenta operis mali, sunt quinque sensus corporis; materia est illud in quo quisque explet propositum prævæ voluntatis. Modus fabricandi talis est: visus eligit, sermo præcidit, officium coaptat, experientia componit. Visus pertinet ad oculum, sermo ad auditum, officium ad manum, experientia ad olfactum et gustum. Quem in pravo opere ipsa propter se actio delectat, is in agendo gustat, quales sunt gula et luxuria. Cum autem ipse actus prædicandi per se non placet, sed per id quod agitur, aliud quod desiderat homo consequi cupit; iste de longe olfacit: qualia sunt latrocinium et furtum. Neque enim latronem delectat hominem occidere, sed delectat spolia possidere. Neque furem linnen suffodere, sed pecuniam obtinere. Ista quinque instrumenta non operantur in omni peccato; quædam tamen sunt peccata, ubi omnia simul inveniuntur, ut est verbi gratia, luxuria. Cum enim primum ardorem libidinis per cogitationem quis mente conceperit, ad impleendam deinde pravam voluntatem per oculos materiam eligit, quando consortem turpitudinis, eam, quæ magis placere possit, inquirat. Deinde per sermonem materiam præcidit, quia inventam noxiis persuasionibus a statu rectitudinis ad consensum perversitatis trahit. Deinde officio coaptat, quia jugi obsequio, quasi palpanda, in pravo consensu confirmat. Adaptata materia, fabricam construit, quia, consensu communi habito, ad actum turpitudinis venit. Quatuor ergo ista, hoc est eligere, præcidere, coaptare, D  
construere, quatuor sunt pistylla cathedræ, quæ videlicet cathedra tunc cathedra pestilentie sit, quando pravum opus in apertum veniens plures corrumpit.

A CAP. II. *De habentibus legem in corde, non cor in lege.*

*Sed in lege Domini voluntas ejus: et in lege ejus meditabitur die ac nocte (Psal. 1).* Multi habent legem in corde, sed non habent cor in lege. Legem in corde habent qui cognoscunt veritatem; cor in lege habent qui diligunt veritatem. Qui vero legem in corde habent, non cor in lege, hi portant legem, non portantur a lege; onerati sunt, non adjuti, quia scientia, ubi non est charitas, gravat, non allevat.

CAP. III. *De quatuor generibus hominum judicio Dei obnoxiorum.*

*Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum (Psal. 1).* Quatuor sunt materiæ hominum, judicati et damnati, judicandi et damnandi, judicati et salvati, judicandi et salvandi. Judicati et damnati sunt quorum damnatio jam certa est; judicandi et damnandi, quorum damnatio adhuc certa non est; judicati et salvati sunt, quorum salvatio jam certa est; judicandi et salvandi, quorum salvatio adhuc certa non est.

CAP. IV. *De æterna Christi generatione.*

*Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te (Psal. 11).* Quando Pater Verbum cœterminum sibi genuit, tunc dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* In verbo dixit quia genuit, *Filius meus es tu*, et quia non transit genitura, *hodie.*

CAP. V. *Quod ex natura homo ad imaginem Dei creatus sit: ex sola autem gratia in Domino lætari possit.*

*Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (Psal. 14); hæc est ratio. Dediti lætitiã in corde meo (ibid.): hæc est aspiratio.* Signatum est lumen per naturam; dediti lætitiã per gratiam. Ideo ait *super nos*, non super me, quia communis est natura, et postea *in corde meo*, non nostro, quoniam singularis est gratia.

CAP. VI. *Quod duobus modis Deus hominem perdit.*

*Perdes omnes qui loquuntur mendacium (Psal. 5).* Duobus modis perdit Deus hominem: primum, quando homo peccando a Deo recedit; secundo, quando Deus judicando hominem alijcit.

CAP. VII. *Quod hic expelli debet peccatum per confessionem; ne in judicium compellatur ad confusionem.*

*Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos (Psal. 5).* Intus est peccator, quandiu iniquitatem suam abscondit; quando autem confitetur iniquitatem suam, foras venit. Nunc ergo vocat Deus Lazarum, et præcipit ut foras veniat, quia movet pecca-

tozem, ut peccatum suum revelare non erubescat. Sed quisquis in hac vita sponte exire noluerit, in futuro expelletur invitus, quia qui hic peccatum suum revelare neglexerit ad salutem, ejus peccatum ibi, velit nolit, revelabitur ad confusionem, sicut dicitur in alio psalmo : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam (Psal. XLIX).*

CAP. VIII. *De causa litis inter Deum hominem et diabolum.*

*Quoniam fecisti judicium, et causam meam (Psal. IX).* Tres in causam veniunt : Diabolus, homo, et Deus. Diabolus Deo injuriam fecisse convincitur, quia servum ejus, hoc est hominem, et fraudulentè abduxit, et violenter tenuit. Homo injuriam Deo fecisse convincitur, quia, et præceptum ejus contempsit, et se sub manum alienam ponens sæ servitutis damnum illi intulit. Item diabolus homini injuriam fecisse convincitur, quia illum, et prius bona promittendo decepit, et postea mala inferendo læsit. Injuste ergo diabolus tenet hominem, sed homo juste tenetur, quia diabolus nunquam meruit ut hominem sibi subjectum premeret, sed homo meruit per culpam suam ut ab eo premeretur. Licet enim ignoraret falsum esse quod diabolus promisit, non tamen ignoravit quod illud etiam, si verum esset, contra Creatoris voluntatem concupiscere, non debuit. Juste ergo subjectus est homo diabolo, quantum pertinet ad culpam ejus; injuste autem, quantum pertinet ad diaboli fraudulentiam. Si igitur homo talem patronum habet, cujus potentia diabolus in causam compelli posset, juste dominio ejus homo contradiceret, quia nullam diabolus justam causam habuit, quare sibi jus in homine vindicare debuisset. Patronus autem talis nullus inveniri poterat nisi Deus. Sed Deus causam hominis suscipere noluit, quia homini adhuc pro culpa sua iratus fuit. Oportuit ergo ut prius homo Deum placaret, et sic deinde fiducialiter Deo patrocinante cum diabolo litem iniret. Sed Deum rationabiliter placare non poterat, nisi et damnum quod intulerat restitueret, et de contemptu satisfaceret. Homo vero nihil habuit quod digne Deo pro illato damno recompensaret, quia si quid de irrationabili creatura redderet, pro rationali sublata minus esset. Sed nec hominem, pro homine reddere potuit, quia justum et innocentem abstulerat, et neminem nisi peccatorem invenit. Nihil ergo homo invenit. Unde Deum sibi placare posset, quia sive sua, sive seipsum daret, digna recompensatio non esset. Videns ergo Deus hominem sua virtute jugum damnationis evadere non posse, misertus est ejus; et primum gratuito prævenit eum per solam misericordiam, ut deinde liberaret per justitiam. Hoc est, quia ex se homo justitiam evadendi non habuit, Deus homini per misericordiam justitiam dedit. Neque enim ereptio hominis perfecte rationalis esset, nisi ex utraque parte justa fieret, hoc est, sicut Deus justitiam habuit hominem requirendi, ita et homo justitiam haberet evadendi. Sed hanc justitiam homo nunquam

A habere potuisset, nisi Deus ei per misericordiam suam illam tribueret. Ut ergo Deus ab homine placari posset, Deus dedit gratis homini quod homo ex debito Deo redderet. Dedit homini hominem, quem homo pro homine redderet; qui ut digna recompensatio fieret, priori non solum æqualis, sed et major esset. Ut ergo pro homine redderetur, homo major homine factus est Deus homo pro homine; et dedit se homo homini, ut se acciperet ab homine. Incarnatus est Deus Dei Filius, et datus est hominibus Deus homo Christus, sicut Isaias dicit : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis. Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus fortis, etc. (Isa. IX.)* Quod ergo homini datus est Christus, Dei fuit misericordia; quod ab homine redditus est Christus, hominis fuit justitia. In nativitate enim Christi juste placatus est Deus homini, quia talis homo inventus pro homine, qui non solum, ut dictum est par, sed et major esset homine. Ideo in nativitate Christi angeli mundo pacem nuntiant dicentes : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (Luc. II).* Sed adhuc spererat homini, ut sicut restaurando damnum placaverat iram, ita quoque pro contemptu satisfaciendo, dignus fieret evadere pœnam. Sed hoc convenientius fieri non poterat nisi ut pœnam, quam non debebat, sponte et obedienter susciperet, ut de pœna, quam per inobedientiam meruerat, eripi dignus fieret. Hanc autem pœnam homo peccator solvere non poterat, qui, quamcunque pœnam susciperet, non nisi digne et juste propter primi contemptus reatum sustineret. Ut ergo homo juste debitam pœnam evaderet, necesse fuit ut talis pro homine pœnam susciperet qui nil pœnæ debuisset. Sed talis nullus inveniri poterat nisi Christus. Christus ergo et nascendo debitum hominis Patri solvit, et moriendo reatum hominis expiavit, ut cum ipse pro homine mortem quam non debuit sustineret, juste homo pro ipso mortem quam debebat evaderet, et jam locum calumniandi diabolus non inveniret, quia, et ipse homini dominari non debuit; et homo liberari dignus fuit. Idem itaque et judicium nostrum et causam nostram fecit : causam, quia nascendo debitum Patri pro nobis solvit, et moriendo reatum expiavit; judicium vero, quia descendens ad inferos et portas mortis frangens, captivitatem quæ ibidem tenebatur liberavit.

CAP. IX. *Quomodo Deus dextrum, et sinistrum oculos habere dicatur.*

*Oculi ejus in pauperem respiciunt; palpebræ ejus interrogant filios hominum (Psal. IX).* Deus oculos habere dicitur, quia bonorum et malorum vias jugiter contemplatur. Et quasi sinistrum oculum habet, quando malos ad damnationem prævidet. Dextro autem aspicit, quando in præsentia sua bonus ad salutem disponit. Isti oculi palpebras habent, quæ aliquando aperiuntur. Quando in hac vita Deus bonis prospera et malis adversa tribuit, quasi palpebras levat, quia se videre opera hominum bona et mala, etiam præsentis retributione, manifestat. Quando

vero bonis adversa et malis prospera evenire permittit, quasi palpebras claudit quia, dum merita singulorum quodammodo dissimiliter recompensat, quasi quid factum sit se vidisse dissimulat. Istæ palpebræ interrogant filios hominum, quia inde Deus cor humanum tentat, unde aliquando similia, aliquando dissimilia, semper tamen justa meritis hominum recompensat. Item oculi ejus in pauperem respiciunt. Duo sunt, pastor est lupus; ambo in ovem respiciunt, alter ut rapiat, alter ut custodiat. Item: *Oculi ejus in pauperem respiciunt; insidiatur lupus in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem (ibid.)*. Oculi ejus, id est pastoris in pauperem respiciunt, ut servent eum. Hinc est lupus, hinc est pastor. Ovis in medio est pauper, pastor Deus, lupus diabolus. Hinc pastor illinc lupus. Nunquam ex uno latere occurrunt. Si pastor a dextris, lupus a sinistris. *A dextris est mihi ne commovear (Psal. xv)*. Si pastor a sinistris, et diabolus stet a dextris ejus, et observat lupus, et cum pastor elongat, lupus appropinquat; cum pastor redit, lupus recedit. Egredietur diabolus ante pedes ejus. Omne autem iudicium procedit ab ove. Timida [tumida] describitur, timida visitatur; deseritur, ne præsumat; visitatur, ne desperet. Ideo: *Ne declines in ira a servo tuo (Psal. xxvi)*. Et: *Velociter exaudi me, Domine (Psal. ci)*; *Defecit spiritus meus (Psal. lxxvi)*.

CAP. X. *Quod locutio sit in voce et opere; et quis vanitatem in corde habeat, quis loquatur; et quis loquatur eam ad proximum.*

*Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum (Psal. xi)*. Locutio non incongrue intelligi potest, non solum in voce, sed etiam in operatione, quia iudicium cordis non solum vox est, sed etiam exhibitio operis. Scimus autem quod vanum est omne quod transit. Ille vanitatem in corde habet qui transitoria diligit. Vanitatem loquitur, qui pro hac vita transitoria immoderate laborans ipso suo studio, et opere eam se diligere ostendit. Vanitatem autem ad proximum suum loquitur qui exemplo suo enim ad petenda transitoria cohortatur.

CAP. XI. *Qui sint timorem Dei habentes, et Christo credentes et quomodo via pacis Christus cognoscatur.*

*Viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum (Psal. i)*. Qui timorem Dei ante oculos habere noluerint, viam pacis agnoscere non possunt. Sed si timorem Dei ante oculos haberent, procul dubio viam pacis agnoscerent. Sicut ipse Dominus in Evangelio Judæis loquens: *Si crederetis inquit, Moysi, crederetis forsitan et mihi (Joan. v)*. Quid enim in Moyse nisi legem, et quid in lege nisi timorem Dei intelligere debemus? Et quid in Christo nisi gratiam et veritatem accipimus? Quid est ergo Moysi credere, nisi acceptæ legis mandata fideliter observare? Observare autem mandatum, hoc est vere timere Deum sicut scriptum est: *Qui timet Deum, nihil negligit (Eccl. vii)*. Et sicut in

A Psalmo dicitur. *Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis*. Quid est autem Christo credere? nisi confiteri, et agnoscere gratiam, et veritatem Dei, hoc est redemptionem humani generis, et salutem omnium per Christum compleri, et in Christo consistere, eamque cum amore et devotione suscipere. In qua videlicet gratia via pacis agnoscitur, quia homini aditus ad Deum reconciliationis aperitur. Dicatur ergo contumacibus et transgressoribus legis qui timorem Dei ante oculos non habebant, et ideo viam pacis, hoc est Christum, non agnoscebant, dicatur: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi*. Ac si diceret: *Si servassetis legem, intelligeretis veritatem*. Si audivissetis præceptorem, cognosceretis Salvatorem. Scio quidem quod me Deum cognoscere non potest, qui a me illuminatus non est. Et ideo vos non creditis, quia a me illuminati non estis. Ego autem idcirco vos ad me cognoscendum non illuminio, quia vestram contumaciam et prævaricationem scio; et dignum est ut me præsentem jam non cognoscatis cujus præcepta, prius ad vos per Moysen missa, servare nolueritis. Audiant hoc illi qui præcepta Dei non custodiunt, et tamen secreta Dei se comprehendere posse præsumunt. Audiant quod dicitur: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi*. Hoc est enim aperte dicere: *Haecote experimentum virtutis, si habere vultis agnitionem veritatis*. Neque enim potest perfecte cognoscere bonum qui boni adhuc non attingit experimentum. Idem est quod alibi dicitur: *Scrutamini Scripturas (Joan. v)*. Quasi unicuique diceretur: *Experire, et disco; fac, et intellige, id est faciendo melius quam loquendo investigas; cum expertus fueris, tunc fideliter iudicas*. Necessè est ergo ut, si nondum agnita cognoscere cupimus, in iis quæ jam cognovimus torpentes non simus, quia quisquis timorem Dei non custodit, ut bonum quod potest faciat, ille non solum majora dona percipere dignus non est, sed eo ipso etiam privari quod jam perceperat. Si igitur Judæi idcirco viam pacis, hoc est Christum cognoscere non potuerunt, quia timorem Dei, in custodiendo mandata ante oculos habere noluerunt, patenter nobis ostenditur, quod per experimentum boni operis apertissime pervenitur ad agnitionem veritatis.

Sed adhuc testimonium Psalmistæ, quod supra positum est, ad moralem intelligentiam adaptandum volumus, ut in eo non solum doctrinæ, sed et disciplinæ ordinem esse ostendamus. *Viam, inquit, pacis non cognoverunt. Non est timor Dei ante oculos eorum (Psal. xiiii)*. Anima duas vias habet: Unam bonam, et alteram malam, per quas ambulat non passibus pedum, sed desideriorum. Una via est: *charitas, altera cupiditas*. Cupiditas est amor hujus mundi. Charitas est amor Dei. Anima, quæ Deum diligit quibusdam amoris passibus per charitatem: ad Deum currit. Animam quæ mundum hunc diligit

affectus carnis ad ea quæ amat per cupiditatem abducit. Charitas autem via pacis est, quia in amore Conditoris currens animus, nihil quod lædat, invenit. Cupiditas via pacis non est, quia mentem per multos labores, et dolores distrahit. Hujus viæ portæ sunt sensus corporis, quia per eos animam concupiscentia educit. Sed inter has portas prima est visus, quia oculi aliorum sensuum duces sunt, et eos fere in omni actione ad concupiscentiam præcedunt; dum enim gustare desideras, prius manum porrigis, ut accipias. Sed priusquam accipis, visum dirigis ut eligas: Hoc ordine, et primum peccatum perpetratum est: *Vidit mulier lignum, quod esset pulchrum visu, et ad vescendum suave, et tulit de fructu ejus, et comedit* (Ger. III). Primum vidit, deinde attingit et tulit, demum gustavit. Si non vidisset, nec tetigisset, nec gustasset. Ecce quomodo visus ante alios sensus in concupiscentia etiam in ipso visu fuit. Cum enim dicitur, *vidit quod esset pulchrum visu*, ecce in visu concupiscentia videndi. Cum dicitur, *et suave*, ecce in visu concupiscentia tangendi. Cum dicitur *ad vescendum*, ecce in visu concupiscentia gustandi. Non solum igitur visus in concupiscentia præcedit sensus alios, verum etiam omnes alii sensus in concupiscentia videndi præcedunt semet ipsos; et totum quodammodo in visu prius per delectationem agitur quidquid postmodum a cæteris sensibus in operatione perpetratur. Ideo dixit Dominus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mæchatus est in corde suo* (Matth. v), quia profecto animus videndo totum delectabiliter cogitat quidquid eum postmodum in agendo delectat. Si igitur porta oculorum bene munita fuerit, tota illa interior civitas cordis nostri ab insultu vitiorum quieta erit. Sed huic portæ nullus custos esse potest melior quam timor Domini, ut ille videlicet carnalem mentem, quæ lubrica est, ne ad antiquas delectationes redeat, semper in proposito disciplinæ configat atque coerceat. Hanc custodiam Psalmista desiderabat, cum diceret: *Confige timore tuo carnes meas* (Psal. cxviii). Et Sapientia hanc custodiam nos habere monuit, quando virtutis studium aggredienti formam disciplinæ præscripsit, dicens: *Fili, accedens ad servitum Dei sta in timore, et præpara cor tuum ad tentationes* (Eccli. I). *Sta in timore*, ne te blandimenta carnis seducant. *Præpara cor tuum ad tentationes*, ne adversa supervenientia frangant. Lasciviam carnis per timorem comprime; pressuram tribulationis per patientiam vince. Duo quippe ista sunt, quæ præcipue inchoantium propositum labefactare solent, incumbentium scilicet tentationum molestia, et præteritarum delectationum memoria. Illæ namque dum solito graviores superveniunt, sæpe pusillanimes per impatientiam dejiciunt. Istæ vero dum solito male dulces redeunt, per incontinentiam incautos se ducunt. Ponamus ergo custodem optimum ante oculos nostros timorem Domini, ut dum scilicet ipse reliquorum sensuum duces custodit, omne sequentium

A actionum corpus sanum, et integrum esse possit. Hanc custodiam Isboseth, quia domui suæ præficere noluit, in inguine vulnus mortis accepit (II Reg. iv), quia quisquis sensus suos timore Domini munire negligit, huic subito irrepens delectatio carnis vitam animæ exstinguit. Recte ergo dicitur: *Viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum*, quia quisquis foris sensus suos per timorem Dei a delectatione carnis non restringit, quæ sit interni amoris dulcedo gustare non poterit.

CAP. XII. *Quid Deus homo factus invenerit in mundo quod suum esset; et quid, quod diaboli; et quomodo uterque pro suo jure certaverit.*

*Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi* (Psal. xv). Deus per hominem mundum redempturus in mundum venit, et toti mundo diabolum dominantem invenit. Deus per hominem mundum visitans *in propria venit* (Joan. I), et homo per Deum, mundum non amans, ubi caput reclinarum non habuit. Deus homo in hoc mundo elementis imperavit, et homo Deus de hoc mundo regnum se non habere dixit. Ergo ad aliquid totum Dei erat, et ad aliquid totum diaboli. Totum Dei erat, quod ipse fecerat, et totum diaboli, quod ipse possidebat. Deus in principio mundum creaverat, et diabolus a principio mundum possidebat. Ergo certamen factum est Deo, et certamen factum est diabolo. Deus dixit se quod suum erat debere recipere; diabolus dixit se post tam longam negligentiam sua possessione non privandum. Deus dixit aliena eum fraudulenter abstulisse et violenter tenuisse; diabolus dixit eum nec, cum abstulit, contradixisse, nec; cum tenuit, aliquando repelisse. Deus dixit potentem se ad sua recipienda, si vellet, viribus uti; diabolus dixit contra justitiam non debere viribus abuti. Deus dixit justum non esse, si quod pie creaverat perire permetteret; diabolus dixit injustum non esse, si quod sponte perierat non restauraret. Deus dixit se velle misereri per benignitatem propriam; diabolus dixit se nolle pati damnum per potestatem alienam. Deus dixit justum esse ut de peccato penitentes ad salutem reciperentur; diabolus dixit justum non esse ut in peccato persistentes ad salutem cogerentur. Deus dixit se venisse non ut nolentes cogeret, sed ut volentes adjuvaret; diabolus dixit interim pro tempore æquanimiter se passurum volentes perdere, si nolentes retineret. Deus dixit se in aliena ad gehennam manum non mittere, si sua redderentur; diabolus dixit se aliena paratum reddere, si sua non auferrentur. Deus dixit nullum se a misericordia posse repellere; diabolus dixit, si omnes perderet, non se posse æquanimiter tolerare. Deus dixit se suadere ut in toto ab alieno jure secederet; diabolus dixit se postulare ut saltem pro reverentia pristinae dominationis aliqua in parte requiem sibi non negaret. Deus dixit se, cum prius potiora elegeret post illi abjectiora concessurum; diabolus dixit jure se si electionem habere non posset, saltem partitionem facturum.

Deus dixit se privilegio dominationis utriusque potestatem vindicare ; diabolus dixit se quia jam amplius non posset, nihil ex jure, sed ex permissione postulare. Deus dixit se tantum ei permissurum, quantum etiam avari famem satiare possit ; diabolus dixit se non tantum accepturum, quin amplius cupiat, si fieri possit. His dictis, jussit Deus tendi funiculos in partitionem, et invenit virentia, et irrigua in vallibus imis, minora spatio, majora pretio ; et hæc præcepit seponi ad partem alteram ; deserta autem, et arida in ruribus, et montibus altis, lata, et aspectu patentia, magna spatio, vilia pretio, et hæc jussit ad alteram partem discerni. Tunc mandavit diabolum adesse; et assistenti sic ait : Ne forte aut violentiam judicantis, aut avaritiam dantis causari valeas, *quidquid oculus tuus videt, tibi dabo.* B Tunc diabolus, qui omne sublime considerat, et humilia non valet intueri, levans oculos aspexit montes altos, et saxa prominentia in rupibus ac deserta patentia, et quasi totum sibi cessisse glorians, despexit quod Deus elegerat. Tum Deus increpitans ac cæcitatem elati deridens ait : *Funes ceciderunt mihi in præclaris* (Psal. xv). Tu laudas quod vides, et ego te laudo quod video. Tu in imo es, et propterea oculis tuis nisi in alta, et exstantia non patent. Ego desuper contemplor, quam habeant amœnitatem humilia. *Etenim hæreditas mea præclara est mihi* (ibid.).

CAP. XIII. *Quid sit providere Dominum in conspectu suo semper.*

*Providebam Dominum in conspectu meo semper* (Psal. v). Dominum providet, qui in tribulatione positus, spem in Domino habet. Quasi enim providere est de præsentis tribulatione futurum auxilium expectare. Sed si quando diuturna expectatione fatigatus animus spem cœptam deserit, quasi conspectum a Domino avertit. Semper autem in conspectu suo Dominum providet qui, in pressura constitutus, et divinum auxilium quandoque sibi adfuturum confidit, et spem cœptam usque in finem non deserit

CAP. XIV. *Quibus et quando Dominus et diabolus a dextris et a sinistris sint.*

*Quoniam a dextris est mihi, ne commovear* (Psal. xv). Dominus a sinistris est, quando exterius salutem temporalem tribuit. Dominus a dextris est, quando interius virtutes animæ custodit. Diabolus a sinistris est, quando foris per adversa impugnat. Diabolus a dextris est, quando intus per vitia tentat. Hinc est quod de reprobo Scriptura loquitur, dicens : *Diabolus stet a dextris ejus* (Psal. cviii). Diabolus quippe interpretatur *deorsum fluens*, quia de illa primæ conditionis suæ gloria per superbiam cecidit. Tunc ergo diabolus nobis a dextris stat, quando ille qui de cælo cecidit, nos sibi per consensum peccati subjiciens, in nobis ascendit. Quando enim nos cadimus, diabolus erigitur ; quando nos surgimus, ipse prosternitur. Hinc Jeremias plangit, dicens : *Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam*

*erectus est inimicus meus* (Thren. i). De hac etiam sinistra in Evangelio dicitur : *Si quis te percusserit in sinistram maxillam, præbe ei et alteram* (Matth. v). Sinistram quippe maxillam percussit qui exterius nocet. Cui nos dexteram maxillam præbemus, si contra exteriora damna, animæ virtutes opponimus, ut scilicet tanto minus foris periculum timeamus, quanto certius præsidium intus est in quo confidimus

CAP. XV. *Lætitia impleri ubi detur.*

*Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (Psal. xv). In hac vita mortali aliquando lætari possumus ; impleri lætitia non possumus, quia et si quædam sunt quæ lætificant, multa sunt quæ contristant.

CAP. XVI. *Dextera et sinistra Dei quæ sint, et ubi delectatio usque in finem.*

*Delectationes in dextera tua usque in finem* (Psal. xv). Sinistra Dei bona sunt temporalia ; dextera Dei bona æterna. In temporalibus autem bonis delectationes quædam sunt ; sed usque in finem non sunt, quia in hac vita semper gaudium dolor sequitur, et omnis delectatio amaro fine terminatur. In dextera autem Dei delectationes usque in finem sunt, quia in vita æterna nec gaudia in mœrorem, nec delectationes in dolore mutari possunt.

CAP. XVII. *De tribus orantium generibus.*

*Auribus percipe orationem meam ; non in labiis dolosis* (Psal. xvi). Ideo exaudiri postulat, quia non solum labiis, sed corde orat. Tria sunt genera orantium : alii qui solis labiis, alii qui solo corde, alii qui et labiis et corde orant. Qui solis labiis orant dolosi sunt, quia non habent in corde quod ore proferunt. Qui corde et labiis orant, veraces sunt, quia sicut loquuntur, ita sentiunt. Qui solo corde orant, devoti sunt, quia orationem suam a Deo tantum audiri volunt. Quando ergo in oratione verba proferimus, si cogitamus quod loquimur, facimus quod debemus. Si autem verba orationis fundimus, aliud quodcumque in corde versamus, etiam si illud bonum sit, quia tamen ordinatum non est, proorsus a culpa liberi non sumus, ita tamen si id quod dicimus intelligere valemus. Si quis autem non intelligens verba orationis proferat, et si non intelligere valet quod dicit, si tamen bona intentione dicit, sine fructu non erit. Si autem orantes vana cogitamus, etiam, si veritatem loquimur, cogitando vanitatem vani efficimur. Si autem dum os veritatem loquitur in corde turpitudine versatur, jam non solum vani, sed etiam abominabiles in conspectu Dei reputamur. Aliud tamen est, quando homo hæc invitus patitur atque aliud, quando in eis per deliberationem delectatur.

CAP. XVIII. *De examine bonorum et malorum, sed non mediocrium.*

*Ignem me exammasti, et non est inventa in me iniquitas* (Psal. xvi). Examen in libra est illud desuper in quo perpenditur ad quam partem pondus eorsum inclinet. Igne ergo tribulationis justus examinatur, quia perfecta virtus in adversitate cognoscitur. Valde

mali jam examinati sunt, quia per iniquitatis pondus ad sinistram partem se inclinaverunt. Valde boni examinati sunt, quia per gravitatem constantiæ et perseverantiam virtutis ad dextram se converterunt. Mediocres adhuc examinati non sunt quia ad quam partem pertineant humana judicia necdum discernere possunt.

**CAP. XIX. De viis duris hujus vitæ, et qui eas custodiunt propter verba labiorum Dei.**

*Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras (Psal. xvi).* In hac præsentī vita in via sumus: quia per hanc ad aliam vitam transimus. Sed quia humana infirmitas diu in eodem persistere non potest, tot quasi vias ingredimur, per quot actiones variamur. Quia vero in hac vita nihil sine labore facere possumus, quasi gradientes duras vias habemus. Sed has duras vias illi non custodiunt qui in hac vita delectari quærent. Qui autem sponte hic se humiliant et affligunt, ii duras vias custodiunt. Sed quis est qui Deo dicere potest: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras?* Quæ sunt verba labiorum ejus? Verba labiorum nostrorum peccata nostra sunt. Sicut dicitur in Psalmo: *Longe a salute mea verba delictorum meorum (ibid).* Verba labiorum Dei præcepta ejus sunt. Quisquis ergo præteritorum delictorum conscius, sponte per pœnitentiam se affligit, is propter verba labiorum suorum vias duras custodit. Qui autem laborat ne præcepta Dei transgrediatur, et ut voluntatem ejus impleat, suis voluntatibus vim facit, is propter verba labiorum ejus vias duras custodit. Ille solvit debitum; hic implet præceptum. Deus enim homini præcipit ne cadat. Sed cum ceciderit, jam non præcipit, sed monet ut resurgat; præceptum namque non pertinet nisi ad obediētes: sed qui in peccato adhuc permanet, obediēns non est. Cum autem pœnitendo ad obediētiā redit, dignus efficitur ut præceptum accipere possit.

**CAP. XX. De viis, et semitis Dei.**

*Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea (Psal. xvi).* Viæ Dei sunt præcepta levia. Semitæ Dei sunt strictiora mandata, in quibus pauci ambulare possunt. In via Dei ambulat qui proximo suo malum non facit. In semita Dei ambulat qui etiam malum inferentem diligit. Qui vero adhuc ambulare nescit in semita, sæpe movetur a via, quia sæpe charitatem deserere cogitur qui non didicit adhuc diligere, nisi eum a quo amatur.

**CAP. XXI. Dextera Dei, quæ sit et qui ei resistant; et quomodo ab eis custodiri cupiat justus.**

*A resistentibus dexteræ tuæ custodi me ut pupillam oculi (Psal. xvi).* Dextera Dei est Christus, quia per eum Deus pater operatus est propitiationem nostram. Vel dextera Dei potiora sunt opera ejus, id est æterna bona. Illi ergo dexteræ Dei resistant qui vel male credendo, vel male vivendo Christo contradicunt. Dexteræ Dei resistant qui terrena amantes æterna bona quærere contemnunt. Ab his omnibus

A custodiri justus desiderat, ne videlicet malo exemplo illorum provocatus ad iniquitatem cadat. Sed quomodo se vult custodiri? Audite quomodo: *ut pupillam*, inquit, *oculi.* Multum diligenter vult custodiri is qui vult custodiri ut pupilla oculi. Pupilla quidem pars oculi modica est et tenera, sed tamen pretiosa. Diligenter custoditur, quia multum custoditur. Mystice oculus Dei est Ecclesia sanctorum; pupilla oculi est humanitas Christi. Per pupillam animal aciem dirigit, ut ea quæ foris sunt discernat; et Deus Pater omne judicium Filio dedit; et neminem nisi per Filium judicat, quasi lumen a tenebris, sic justos discernens ab injustis. Quid est ergo quod justus se custodiri vult ut pupillam oculi? Christus multa adversa in hoc mundo passus est; sed per pressuram tribulationis ad gloriam resurrectionis pervenit. Hoc igitur nos debemus orare ut custodiamur sicut pupilla oculi, videlicet non ut nihil mali patiamur in hoc mundo, sed ut per mala præsentia transeamus ad gaudia æterna.

**CAP. XXII. Quæ sint alæ Dei, sub quibus protegamur.**

*Sub umbra alarum tuarum protege me (Psal. xvi).*

Duas alas habet Deus, misericordiam et charitatem. Per misericordiam peccatores protegit; per charitatem justos. Ille ergo non sub umbra alæ, sed umbra alarum protegi se postulat qui et in quibusdam misericordia se indigere agnoscit, et in quibusdam dignum amore sperat.

**CAP. XXIII. Faciem et latus currenti opponere, quid sit.**

*A facie impiorum qui me afflixerunt (Psal. xvi).* Inimicus quasi faciem nobis opponit, quando currenti in desiderio Dei animo prava delectatio obsistit. A latere est inimicus, quando currentem fatigat tentatio, sed a cursu prava delectatio non retardat.

**CAP. XXIV. Prævenire, et supplantare quid sint.**

*Exsurge, Domine, præveni eum, et supplantare eum (Psal. xvi).* Prævenire currentis est, supplantare luctantis. Nam qui ad finem propositi operis tendit, quamvis non passibus pedum, promotione tamen actionum currit. Diabolus ergo in passione Christi cucurrit, quia eum quem purum hominem existimabat, per traditionem ad passionem, per passionem ad mortem, per mortem ad damnationem ducere voluit. Similiter cucurrit Deus, quia eum per traditionem ad passionem, per passionem ad mortem, per mortem ad resurrectionem promovere disposuit. Utrique ergo cucurrerunt, et Deus, et diabolus; sed diabolus præventus est, quia, ne ad finem propositi sui pervenire posset, divina virtute est impeditus. *Et supplantare*, inquit, *eum.* In passione Christi diabolus cum Deo luctabatur; diabolus foris luctabatur ut dejiceret; Deus intus luctabatur ut sustineret. Sed diabolus supplantatus est, quia occulta quadam virtute et sapientia Dei subito et ex improvviso est dejectus.

**CAP. XXV.** *Quod framea sit Christi anima; quæ partem ab inferno abscidit.* **CAP. XXVIII.** *Salus humana et divina quomodo homini impertiat.*

*Eripi animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ (Psal. xvi).* Anima Christi framea est, id est gladius Dei, quia per Christum dum Deus electos suos redemit, quasi quædam membra præcidit a corpore diaboli. Unde alibi dicitur: *Ero mors tua, mors; morsus tuus, inferne (Ose. xiii).* Deus enim quasi infernum momordit, quando descendens ad inferos, quosdam inde abstulit, quosdam ibi reliquit. Dicit ergo, *eripi animam meam ab impio per frameam tuam.* Ac si diceret: Si prius gladium, quo pugnaturus es non custodis, quomodo eos, qui per gladium salvandi sunt, liberare poteris?

**CAP. XXVI.** *Quomodo Deus noster est liberator noster, refugium nostrum, firmamentum, fortitudo, Deus, adjutor, spes, protector, cornu salutis, susceptor, etc.*

*Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum, protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus (Psal. xvii).* Humanitas Christi in resurrectione loquitur: *Diligam te, Domine.* In periculis timor; post pericula amor. *Diligam te, Domine.* Causas dilectionis subjungit, quia *fortitudo mea*, quia *firmamentum*, quia *refugium meum*, quia *liberator meus.* Converso ordine narrat usque ad ipsum divinæ gratiæ principium mente recurrens. Primum *liberator*, quia hominem a potestate diaboli eripuit; deinde *refugium*, quia de propriis viribus diffidentem, benigne ad patrocinandum excipit. Deinde *firmamentum*, stanti ne cadat. Deinde *fortitudo* pugnanti ut vincat. *Liberator* per baptismum, *refugium* per poenitentiam, *firmamentum* per patientiam, *fortitudo* per victoriam. Ecce quo ordine evasit malum. Deinde secundus versiculus. Quomodo consecutus sit bonum. *Deus meus*, quia per fidem illuminat. *Adjutor meus*, quia ad bene operandum adjuvat. *Sperabo in eum*, quia cor ad amorem sui inflamat. *Protector meus*, quia supra id quod ferre possumus, tentari non perimit. *Cornu salutis meæ*, quia etiam persequentem diabolum nos continere facit. Postremo *susceptor meus*, quia finito cursu pervenientibus cœlum aperit. In cornu fortitudo signatur. Cornua confusionis est superbia; cornua salutis est fiducia bona.

**CAP. XXVII.** *Dolores, et laquei mortis, et inferni, et torrentes iniquitatis, qui sint.*

*Circumdederunt me dolores mortis et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis (Psal. xvii).* *Dolores mortis*, passibilitas, et mortalitas. *Torrentes iniquitatis*, hujus mundi vanitas. *Dolores inferni*, pœna æterna. *Laquei mortis*, originalis culpa. *Dolores mortis, et dolores inferni circumdederunt*, quia illos homo ante Christum evadere non potuit. *Torrentes iniquitatis conturbaverunt*, quia hujus mundi vanitas ad actualia peccata hominem impulit. *Laquei mortis præoccupaverunt*, quia antequam homo actualiter peccatum perpetrare potuit, culpa originalis in eo fuit.

*Et dedisti protectionem salutis meæ (Psal. xvii)* Salus humana est sanitas carnis, salus divina integritas mentis. Hanc homo diligit; illam Deus tribuit. Hanc homo conservat molestias fugiendo; illam Deus confirmat, molestias inferendo. Sic tamen si mens intus custoditur, ut nec per aspera carnis ad impatientiam proruat, nec per blanda ad lasciviam emollescat. Tunc ergo Deus salutis suæ protectionem nobis tribuit, quando animam nostram dum caro foris patitur, intus illæsam custodit, ut pressura quam caro foris tolerat, intus ad mentis corruptionem non pertingat.

**CAP. XXIX.** *Dextera et sinistra Dei quos suscipiat.*

*Dextera tua suscepit me (Psal. xvii).* Sinistra Dei bona sunt temporalia; dextera Dei bona æterna. Et sæpe contingit ut illos Deus spiritualibus bonis abundantius repleat quos inopia rerum temporalium exterius coangustat. Istos ergo, qui quasi foris per egestatem corruunt et intus virtutum divitiis solidati sunt, quasi sinistra Dei deseruit, et dextera suscepit.

**CAP. XXX.** *De fine bono et malo, et de disciplina Domini in finem corrigente.*

*Et disciplina tua correxit me in finem (Psal. xvii).* Est quidam finis bonus; et est quidam finis malus. Finis malus est profundum peccatorum; finis bonus consummatio virtutum. Disciplina autem Dei in finem corrigit, quia eos etiam, qui in profundum peccatorum lapsi sunt ad consummationem virtutum perducit. O bona, o dulcis disciplina Dei! utinam cognoscamus eam! utinam suscipiamus eam! utinam sustineamus eam! Quæ tamen est ut videamus, ut concupiscamus, ut apprehendamus, ut teneamus eam. In tribus consistit: in præceptis, in tentamentis, in flagellis. In præceptis experitur Deus obedientiam tuam, in tentamentis constantiam, in flagellis patientiam. Præcepta obedienter suscipe, tentamentis constanter resiste, flagella patienter sustine. Hæc tamen tria, id est obedientia, constantia, patientia, sibi invicem deesse non possunt, quia in singulis omnia necessaria sunt. In præceptis quidem, ut ea primum obedienter suscipias, deinde constanter perficias, postremo tempus retributionis patienter sustineas. In tentamentis autem obediens esse debes, ut si forte Deus vitiorum incurso te sollicitari et ad tempus voluerit fatigari, per elationem non contradicas; constans, ne per delectationem ad consensum defluas; patiens, ne importunitate, vel instantia tentationis tandem aliquando emollescas. Hoc autem præcipue dicimus propter quosdam minus discretos qui, spiritualis studii mundum ignorantes, post prima initia bonæ conversationis, ita a tentatione vitiorum liberi esse volunt, ut si se vel te tenuiter delectatione illicita pulsari persenserint, statim tumido corde infirmitatis suæ oblitii contra Deum murmurent; et si vel modicum fatigentur, per inconstantiam et impatientiam

vitium enervati, ad consensum iniquitatis declinent. Sed nesciunt isti quam pia sit dispensatio Dei. Ut mala quæ jam voluntate dimisimus quamvis invitati adhuc in tentatione sentiamus, quatenus in eis nunc expiatur, cum cruciant, quod prius in eis commissum est, cum delectabant; et nostræ infirmitatis memores dum semper cogimur reminisci quod fuimus, non nos extollat quod sumus. Præterea etiam cum mala nostra cum tanta difficultate vincimus, am; l'us peccare timeamus. Cum itaque tot utilitates ex tentatione proveniant, oportet, quoties tentamur, dispensationem Dei inobedienter excipere, et constanter prævæ delectationi contraire, et patienter violentiam tentationis sustinere, quatenus, et fatigatio nostra nobis placeat, et tamen delectatio præva ad consensum non accedat. In flagello autem obedientiam servat qui, et si causam percussiois sui ignoret, tamen contra Deum non murmurat. Constans autem, et patiens est quem nec pondus tribulationis opprimit, nec diuturnitas frangit. Primus ergo gradus disciplinæ Dei est custodia mandatorum. Secundus gradus est pugna tentationum. Unde manifestum est quod ii qui mandata Dei non cu to iunt, adhuc in disciplina Dei esse non cœperunt. Qui autem sub disciplina Dei non est, ad hæreditatem filiorum Dei pertingere non potest. Nemo ergo contemnat disciplinam Dei, quia, si peccator est, necessaria est illi, ut corrigatur; si justus est, necessaria est illi ut erudiat. Propterea iste qui eam ad correctionem acceperat, adhuc eam ad eruditionem necessariam sibi esse confirmat: ut sicut correctus expiavit culpas præteritas: ita eruditus cautelam habeat contra culpas futuras. Dicit ergo: *Disciplina tua correxit me in finem; disciplina tua ipsa me docebit (ibid.)*.

CAP. XXXI. *Quid subtile, et quid supra nos; et cujus vestigia non infirmantur.*

*Dilatasti gressus meos subtilis me; et non sunt infirmata vestigia mea (Psal. xvii)*. Subtile nos est quidquid transitorium est, et caducum; quod autem æternum est, supra nos est. Mens ergo justus supra se dilatatus gressus habet, quia quanto altius per contemplationem in amorem æternorum dirigitur, tanto amplius desiderio gustatæ dulcedinis dilatatur. Cum autem in rebus transitoriis subtile se per cogitationem ambulat; ipsa eam quodammodo suæ occupationis molestia coangustat; et toties intra semetipsam stringitur, quoties foris adversis occurrentibus præpeditur. Sed fit nonnunquam ut etiam subtile se mens divino amore succensa, dilatatos gressus habeat, quia dum totam se intus per desiderium retinet, et si foris per operationem occupata sit, nullius tamen molestiæ adversitas libertatem ejus coangustat. Unde recte cum dixisset: *Dilatasti gressus meos subtilis me*, statim subjunxit dicens: *Et non sunt infirmata vestigia mea*. Quando enim gressus in lubrico figitur, et si pes fortis permaneat, vestigia tamen ejus infirmantur. Ita quoque necesse est ut qui vel modicam in rebus perituris

A fiduciam posuerit, etsi per turpia desideria non languat, tamen, quia transitorium est quod amat, stabilis non fit; et cum labi cœperit cui innititur, mox innitentis vestigia ab ipsa sua stabilitate infirmantur. Cum autem totum animi desiderium in æternis figitur: quasi pede in soliditate constituto, vestigia non infirmantur.

CAP. XXXII. *Quid sint inimici spirituales, et quomodo eos persequamur.*

*Persequar inimicos meos, et comprehendam illos: et non convertar donec deficiant (Psal. xvii)*. Quosdam spirituales inimicos habemus, qui nobis insidiantur, qui quanto magis occulti sunt, tanto amplius nocere possunt. Illi sunt motus carnales, qui in corde nostro oriuntur, et quia de latentibus desideriiis prodeunt, incautos saepe sub specie virtutum fallunt. Quos tunc nimirum persequimur, quando ipsam originis eorum radicem subtiliter investigamus, quatenus, dum illos illicito motu oriente pulsare senserimus: statim de qua affectione ille natus sit, et ad quem finem ejus appetitus tendat, perspicere studeamus. Hoc fortassis qualiter fieri possit citius agnosceretur, si ejus aliquod exemplum in medium proponatur. Verbi gratia: Est aliquis, qui, de seipso plusquam oportet sentiens, occulta superbia laborat. Hic ergo si forte inter cæteros, vel ad colloquendum, sive ad consulendum condescenderit, quia se singulariter sapientem existimat, singulariter se audiri debere putat. Si vero alios ad verbum suum minus attentos fortassis viderit, suumque consilium repudiari aliquando perapexerit, statim per impatientiæ vitium tumens, totum, quod contra voluntatem suam agitur, ad injuriam suam fieri arbitratur. Et quia ens non ratione, sed odio potius aut invidia ad contemptum sui excitatos credit, jam omnino utpote a malevolis suum colloquium subtrahere disponit. Cumque se immoderate lingua a locutione stringit, a charitate animus refrigerescit. Oportet ergo ut, dum nos vel loquentes, vel consulentes minus audiri, et exinde cor nostrum aliquo fortassis subito dolore tangi senserimus, impetum animi nostri refrenemus, et hunc dolorem quasi inimicum a latere de insidiis prosilientem instanter persequamur, et latebram ejus occultam, de qua prodiit, id est superbiam, et occursum ejus ad quem tendit, id est odium fraternum, perscrutantes, dum laqueos conspicimus, periculum caveamus. Comprehenus est inimicus, quia cum finem pravi desiderii providemus, animum a consensu retrahimus. Sicut enim vitia investigando persequimur, sic comprehendimus inveniendos; et donec deficiant, non revertimur, si ab instantia boni operis ante subjugationem vitiorum non relaxamur.

CAP. XXXIII. *De timore servili et custodia legis divinæ et delectatione vana. De terra, firmamento, oculo, et necessitate variis, deque humilitate.*

*Dulcis et rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via (Psal. xxiv)*. Non est servilis timor, ubi constitutio legis fit in electione voluntatis. Primum timemus, deinde viam eligimus, deinde

lex nobis proponitur qua in via ambulemus. Legem A custodientes, præmium accipimus, in præsentis animæ iucunditatem, in futuro animæ pariter et corporis beatitudinem : hoc est quod sequitur : *Anima ejus in bonis demorabitur*, hoc est de præsentis, *et semen ejus hæreditabit terram (ibid.)*, hoc est de futuro. Et satis eleganter spirituales delectationes exprimit, cum dicit : *Anima ejus in bonis demorabitur*. Quidquid enim carnaliter dulce est suæ quidem delectationis experientiam fruentibus præstat, sed diu cum eis morari non potest, quia dum gustu appetitum provocat, transitu desiderium fraudat. Spirituales autem deliciae quæ nec gustatæ transeunt, nec reficientes decrescunt, nec satiantes tedium gignunt, diu cum fruentibus permanere possunt. Sequitur :

*Semen ejus hæreditabit terram*. Terram, viventium in futuro in hæreditatem accipiet pro bonis operibus suis, quæ per semen significantur. Vel per terram caro accipi potest, quam in futuro immortalem et impassibilem accipiet, quisquis eam in præsentis in opere virtutum exercet. Sed quomodo illuc perveniet? *Firmamentum est Dominus timentibus eum, et testamentum ipsius tu manifestetur illis (ibid.)*. Qui vincuntibus promittit præmium, pugnantibus præstat adiutorium. Præmium tale est, quia scilicet Dei testamentum, id est contestata promissio est ut ipse manifestetur illi videlicet videnti se. Adjutorium tale est, quia *firmamentum est Dominus*, id est protectio timentibus se. Ideo securus de promisso fiducialiter curro. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos (ibid.)*. Oculum actionum intentio est. Oculos ad Dominum semper habet qui per intentionem ad amorem Dei dirigit omne quod agit. Cujus nimirum pedes a laqueo evelluntur, quia actio mala esse non potest, cujus amor Dei origo est. Sine periculo namque via actionum curritur, cum intento animi charitate duce gubernatur. Sed quis potest semper respicere Deum, nisi quem semper Deus respicit? Quia nimirum dilectionem hominis semper dilectio Dei sicut præveniendo excitat, sic subsequendo conservat. Hoc est enim quod sequitur :

*Respice in me (ibid.)*; ac si diceret : Ut te diligere possim, tu dilige me, et ut amore tuo dignus sim, *miserere mei (ibid.)* relaxando peccata mea. *Quia unicus et pauper sum ego (ibid.)*. Ideo respice, quia sum unicus : ideo miserere, quia pauper. Unicus enim plus diligitur, pauper plus doletur. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt; de necessitatibus meis erue me (ibid.)*. Quæ est paupertas tua. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*. Non est periculosa afflictio carnis; quæ non frangitur constantia mentis. Cum autem dolor intima tangit; majus periculum est etiam si foris tribulatio desit. *De necessitatibus meis erue me (ibid.)*. Multæ sunt necessitates bonorum in quibus periclitantur; quas fortassis melius cognoscemus, si eas distinguendo proponamus. Gemina siquidem est necessitas sancto-

rum; altera quam intus, altera quam foris sustinent. Altera a proximis; altera a semetipsis. Quandiu enim in hac corruptibili carne vivunt, molestias et tentationes, quæ ex carne corruptibili oriuntur, omnino declinare non possunt. In quibus tantum cum labore periculum est, ut eas quotidie sentire necesse sit; et tamen consentire eis nemo unquam sine gravi detrimento possit. Altera necessitas est bonorum, quia cum inter malos quos declinare non possunt, conversantur, ex illorum prava conversatione quotidiana quadam persecutione vita eorum affligitur. Quos ita tolerare necesse est, ut nec propter iniquitatem eorum odio habeamus homines, nec propter amorem hominum, iniquitatis efficiamur consortes. Sed hoc sine humilitate et labore nemo facere potest. Humilitate videlicet, ne se per superbiam a consortio vanitatis dividat; et dum malorum societatem habere contemnit, quasi de singulari justitia perniciosius intumescat. Labore autem opus est, ut quorum societatem non deserit, semper fugere, quantum potest, studeat conversationem. Hoc est quod sequitur : *Vide humilitatem meam et laborem meum (ibid.)*.

CAP. XXXIV. *Misericordiam et veritatem Dei penitentibus esse necessariam.*

*Quoniam misericordia tua ante oculos meos est; et complacui in veritate tua (Psal. xxv)*. Misericordia Dei est qua parcit, veritas qua corrigit. Per misericordiam penitentes ab indulgentia non repellit; per veritatem peccata puniens, causam, non personam respicit. Quisquis ergo ad salutem pervenire desiderat, hæc duo necesse est medicinæ Dei remedia non contemnat. Sine misericordia enim veniam non consequitur; sine veritate non emendatur. Sunt vero nonnulli, qui, dum culpas suas per misericordiam temeraria quadam præsumptione a Deo relaxari expetunt, divinæ correctionis flagella patienter sustinere nolunt. Et si fortassis aliqua se pro peccatis suis adversa pertulisse cognoverunt, statim typo superbix eriguntur, coque minus misericordiam Dei necessariam existimant, quo sua se factione apud divinum examen plenius purgatos putant. Contra quos quod iste dicat, audiamus. *Misericordia, inquit, tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua (ibid.)*. Ac si diceret : Misericordiam tuam ubique mihi necessariam esse video; et tamen correctionis tuæ verbera, quibus peccata mea districte punis, non solum non repello, sed et gaudens suscipio. imo etiam in ipsis misericordiam tuam non deesse cognosco. *Complacui, inquit, in veritate tua (ibid.)*. Eleganter dictum, laudabiliter dictum, dictum imitation dignissimum, *complacui in veritate tua*. Quasi dicat : Non mihi nisi in tua veritate mihi complaceo, quia quod tibi in me displicet, hoc etiam ipse reprehendo. In tua veritate mihi complaceo, quia dum mea peccata persequeris flagellando, lætificas me amore correctionis. Cur enim mihi in tua veritate non placeam, qui in mea prius falsitate male mihi complacebam? Quo-

*nium misericordia tua ante oculos meos est; et complacui in veritate tua.*

CAP. XXXV. *De agnitione, et dilectione veritatis.*

*Ut rideam voluptatem Domini, et visitem templum ejus (Psal. xxvi).* Videre voluptatem Domini est veritatem agnoscere; visitare templum ejus est veritatem diligere.

CAP. XXXVI. *De tabernaculo Dei.*

*Quoniam abscondit me in tabernaculo suo (Psal. xxvi).* Tabernaculum Dei est Ecclesia catholica, in qua fideles laborant; et in procinctu cujusdam spiritualis militiæ contra aeras potestates pugnaturi excubant. In hoc autem tabernaculo illos Deus abscondit, quibus amorem quietis inspirando, eas a strepitu hujus mundi secretum expetere facit. Sed in abscondito tabernaculi protecti non sunt qui, in loco quietis, quiete vivere nolunt.

CAP. XXXVII. *Deum fortitudinem, et refugium esse pugnantium.*

*Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu (Psal. xxx).* Contraria loqui videtur. Si enim timet, quomodo fortitudinem se habere dicit? Et si non timet, quare refugium quærit? Sed mens humana, inter spem et timorem constituta, dum fortitudinem adjutoris sui considerat, de victoria præsumens sponte provocat inimicum. Cum vero propriam infirmitatem ad memoriam revocat, superari metuens, quærit refugium.

CAP. XXXVIII. *De vanitate rerum temporalium.*

*Odisti observantes vanitates supervacuæ (Psal. xxx).* Vox justi est, præsentem felicitatem despicientis. Superius commendaverat spiritum suum Deo; et quasi nunc quæreret quid de carne fieri vellet, respondet se carnis curam non habere, quia vanitas est omnis caro. Quia ii etiam qui eam illicite et superflue amando omni studio et diligentia custodiunt, eandem a corruptione servare non possunt. Quos nimirum odit Deus, quia dum nimis rem corruptibilem diligunt, ad amorem Dei incorruptibilem non assurgunt. *Odisti, inquit, observantes vanitates supervacuæ. Bene supervacuæ.* Quia, etsi transitoria ad necessitatem appetimus, nunquam tamen ad superfluitatem diligere debemus carneique morituram non in deliciis fovere, sed ab incommodis his præcipue, quæ ad salutem animæ minus conducere videntur defendere.

CAP. XXXIX. *Reprobatio luxuriæ, avaritiæ, et superbiæ.*

*Dominus dissipat consilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum (Psal. xxxii).* Gentes intelliguntur peccatores, populi stulti, principes superbi. Consilium gentium est concupiscentia carnis, cogitatio populorum est concupiscentia oculorum. Consilium principum est superbia vitæ. Quæ omnia ideo Deus reprobat, quia mundus transit, et concupiscentia ejus. Bene tamen populi cogitationes habent, non consilium, quia stulti in populis significantur.

CAP. XL. *Occultos justorum inimicos in judicium reservari, manifestos in hac vita etiam aliquando puniri.*

*Judica, Domine, nocentes me; expugna impugnantes me (Psal. xxxiv).* Nocentes sunt qui voto malignitatis insidiantur. Impugnantes sunt qui aperte persequuntur. Justus ergo occultos inimicos suos judicari tantum, id est ad futurum judicium reservari, manifestos expugnari, id est in hac vita etiam puniri postulat ut eorum poena manifesta alios ab iniquitate retrahat; quos prius eorum malitia per exemplum ad iniquitatem animabat. Ideo Deus omnipotens manifestas injurias servorum suorum sæpius etiam in hac vita ulciscitur, ut quanti meriti sit apud eum justitia, aperte demonstraretur, quatenus hoc alios ad amorem justitiæ accendat: quod ipse auctor justitiæ se eam tantum diligere manifestat.

CAP. XLI. *De armis sapientiæ et scuto patientiæ.*

*Apprehende arma, et scutum; et exsurge in adjutorium mihi (Psal. xxxiv).* Armis pugnamus; scuto tegimur. Mundus enim contra electos duobus modis pugnat, verbo et gladio. Verbum falsitatis expugnamus per sapientiam; gladio adversitatis resistimus per patientiam. In sapientia igitur accipimus arma, et scutum in patientia. Sed cur Deo dicitur: *Apprehende arma, et scutum, nisi quia ille in nobis dimicans, adversarios armat?* Quia sicut ab ipso dona ejus accepimus, ita sine ipso donis ejus uti ad salutem non valeamus.

CAP. XLII. *De manifestis et occultis diaboli insidiis. Eripiens inopem de manu fortiorum ejus; egenum*

*et pauperem a diripientibus eum (Psal. xxxiv).* Quosdam diabolus aperta tentatione opprimit; quosdam occultis insidiis seducit. Unde in Scriptura sacra diabolus aliquando per leonem, aliquando per draconem exprimitur. Per leonem aperta ejus fiducia, per draconem vero occulta ejus versutia significatur. Unde Psalmista hæc duo tentationum genera exprimens, dicit: *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus; egenum, et pauperem a diripientibus eum.* Quis est enim inops, nisi qui virtutum divitiis non habet? Et quis est pauper, nisi qui jam aliqua virtutum dona accipere meruit, sed tamen adhuc ad perfectionem virtutis non pervenit? Inopem ergo manus fortiorum opprimit; pauperem vero manus diripientium affligit, quia nimirum antiquus hostis eos qui nulla virtute roborati sunt violenter sibi per consensum iniquitatis subjicit. Ab his vero, qui jam aliqua spiritualis lucri bona colligere incipiunt, occulta direptione dona virtutum tollit. His ergo quos aperta sævitia perimit, latro est; sur vero illis quos occulta fraude seducit. Unde, et his fortitudo necessaria est, ut possint aperte impugnantem vincere; illis vero circumspectio, ut possint occulte insidiantem cavere. Cum igitur divina pietas quosdam contra apertam sævitiam inimici corroborando, quosdam autem contra occultas ejus insidias per circumspeditionem illuminando custodit, quid aliud facit quam inopem de manu fortiorum et a diripientibus

pauperem eripit, ut et illi evadant dominium, et isti caveant damnum?

CAP. XI.III. *Quod temporalis malorum prosperitas, electis testimonium est æternæ felicitatis.*

*Surgentes testes iniqui quæ ignorabam interrogabant me (Psal. xxxiv).* Omnes iniqui qui temporalia bona æternis præferunt, cum in hac vita prosperantur, quasi in testimonium contra electos surgunt, quia dum ipsa sua felicitate de visibilibus non loquendo, sed prosperando, testimonium perhibent, iudicium bonorum, quod de æternis, et invisibilibus bonis dant, convincere student. Unde recte, *quæ ignorabam, inquit, interrogabant me.* Mali enim bonos de præsentis felicitate interrogant, quia, cum eis dulcis sit, mirantur, quod illi se ad appetitum ejus non inclinant. Sed qui hæc non dulcis, sed amara bonis est, quidquid de ejus laude in medium proferunt, hoc boni per experientiam non cognoscunt.

CAP. XLIV. *Quod occulta est interim bonorum justitia donec educatur judicanda de præmio.*

*Et educet quasi lumen justitiam tuam; et iudicium tuum tanquam meridiem (Psal. xxxiv).* Justitia bonorum nunc occulta est quia ibi se justificari satagunt, ubi ab hominibus videri non possunt. Et quamvis in eis jam luceat exemplum boni operis, tamen in abscondito est virtus intentionis. In futuro autem quasi lumen justitiae eorum educitur, quia qui modo bona opera sua ab humana laude abscondunt, veniente iudice jam æcure pro eis in æterna claritate gloriabuntur. Unde et in alio psalmo dicitur: *Vanum est vobis ante lucem surgere (Psal. cxxvi),* id est ante futuri iudicii claritatem exaltari; sed *urgite postquam sederitis (ibid.),* quia tunc fructuosa ibi erit vestra exaltatio, si prius in hujus vitæ exilio sponte propter Deum vos humiliaveritis. Sequitur: *Et iudicium tuum tanquam meridiem (Psal. xxxiv).* Justitia bonorum est opus virtutis, quod faciunt; iudicium eorum est præmium virtutis, quod eligunt. Deus ergo educet justitiam sanctorum quando manifestabit opera virtutum, quæ fecerunt; educet iudicium, quando manifestabit quale boni operis præmium elegerunt. Et ideo iustitia tanquam lumen; iudicium vero tanquam meridies, id est clarum lumen educitur, quia minor est omnis claritas boni operis claritate æternæ retributionis.

CAP. XLV. *De utili subjectione erga Deum, et ipsius recta expectatione.*

*Subditus esto Domino, et ora eum (Psal. xxxvi).* Perfecta hic nobis forma vivendi præscribitur. Audi ergo, homo, quid dicitur tibi. *Subditus esto Domino, et ora eum.* Primum *subditus esto,* ne male agendo præcepta ejus despicias. Deinde *subditus esto,* ut ad bona agenda de viribus tuis non presumas. Nam, et ille quoque Deo subjectus esse renuit qui aliquid de sua virtute posse præsumit. Sed, inquis mihi, si hoc ad obedientiam pertinet, ut nihil ex me esse intelligam, quid ergo frustra conor? Quiescam potius, et expectabo Dominum ut faciat quod suum est. Optime dixisti. Expecta Dominum

Sed vide quomodo expectes. Nam, et montes expectant, et homines expectant; sed montes aliter, et aliter homines. Montes expectant durando; homines expectare debent desiderando. Montes pluviam, homines gratiam. Montes ne arescant, homines ne pereant, sicut in psalmo legitur: *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi (Psal. xxxix).* Qui enim durando expectat, sed desiderando non expectat, non expectans expectat. Qui vero perseverat, et desiderat, hic expectans expectat. Expecta ergo, et non solum expecta, sed expectans expecta, id est perseverans desidera, et desiderans persevera, et non fraudaberis a desiderio tuo, sicut et ille fraudatus non fuit, qui Dominum expectans expectavit. Ait enim: *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi. Et exaudivit preces meas, eduxit me de lacu miseriæ et de luto faciis (ibid.).* Vide ergo quomodo ille expectavit. Cum precibus expectavit, cum desiderio expectavit. Et quod ipse tunc fecerit, hoc tibi nunc præcipit. Nam cum dixisset, *subditus es'o Domino,* statim adjunxit, *et ora eum,* ut et subditus Deo sis, de te non præsumendo; et ores, ejus auxilium expectando. Nam quid est aliud Deum orare, nisi mente humili atque devota ad ejus misericordiam semper respicere? Propterea enim non dixit tibi, ora eum hoc, sive illud, sed tantum, *ora eum,* quia nil aliud a te quam affectum bonum exigit qui tuam necessitatem, etiam te non loquente, cognoscit. Cum ergo oras, quem petas potius quam quid petas cogitare tibi dulce sit; et ipse quem petis, quidquid tibi petendum fuerat providebit. Sicut in alio psalmo Psalmista idem testatur, dicens: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos (Psal. xxiv).*

CAP. XLVI. *De quatuor hominum generibus, quantum ad vulnera, et cicatrices; de vera sapientia, et præteritorum memoria*

*Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ (Psal. xxxvii).* Consideranti mihi hujus versiculi virtutem, non potest jam legenti esse incognitum quod toties est patienti expertum. Sed utinam mihi, vel experientia cognitionem non dederit, vel si aliter cognoscere non debueram, ipsa potius cognitio data non sit. Quod si sic necesse fuit, et sine manu valida erudiri non poteram, utinam jam nunc vel ipsa mea cognitio mihi sic saperet, quatenus præteritorum dolorum experientia a futura me iniquitate coerceret. Sed quia toties post experientiam malorum desipuisse me video, ipsos adhuc amaritudinis gustus pertimesco. Dicam tamen, et non sine dolore dicam: *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ.* Et licet horum verborum expositio non sit mihi necessaria, quia tamen multi feliciter eam non noverunt, propter eorum instructionem, non est omnino tacenda. *Putruerunt, inquit, et corruptæ sunt cicatrices meæ.* Diligentius consideranti quatuor hic genera hominum occurr-

runt. Primum est eorum qui nunquam vulnerati sunt. Secundum est eorum qui post vulnera perfecte sunt sanati. Tertium est eorum quibus obducta quidem sunt vulnera, et tamen adhuc permanserunt cicatrices, id est vulnerum signa. Quartum est eorum in quibus ipsa adhuc vulnera hiantia sunt, et necdum obduci cœperunt. Si igitur per vulnera peccata intelligimus, ii qui in peccati desiderio permanent, quasi vulnera aperta habent. Qui vero peccatum deserunt, et tamen adhuc reatu peccati per satisfactionem plene purgati non sunt; in his quasi quædam signa vulnerum permanserunt. Qui autem post perpetrata scelera, et peccandi affectum deserunt, et reatum peccati plena satisfactione obducunt, ab iis etiam ipsa vulnerum vestigia discesserunt. Sic sanctus erat Paulus, qui post tanta mala dicebat: *Nihil mihi conscius sum* (I Cor. iv). Quia nimirum præteritorum vulnerum in se ne signa quidem invenire poterat, quem de anteacta pravitate conscientia non accusabat.

Hos sequuntur ii qui, etsi vitam sine peccato ducere nequeunt, nunquam tamen culpæ criminalis vulnus perceperunt. Primum genus est peccantium, secundum pœnitentium, tertium eorum qui per pœnitentiam sunt correcti, quartum eorum qui per iniquitatem non sunt corrupti. Primi sunt ægri, secundi sunt ad sanitatem conversi, tertii sunt sanati, quarti sunt sani. Ex his satis colligi potest de quo genere hominum iste sit qui cicatrices suas ad corruptionem reversas plangit. Pœnitere enim jam cœperat, et peccatum jam voluntate deseruerat, sed reatus peccati nondum adhuc in eo plene sanatus erat, et priusquam pervenisset ad integram sanitatem vulneris, corruptus est per iterationem iniquitatis. Unde recte prius dicitur, *putruerunt*, ac deinde adjungitur, *corruptæ sunt cicatrices meæ*. Prius enim prava desideria ad mentem redeunt, et sic quodammodo cicatrices obductæ interius computrescunt. Deinde vero cum voluntas mala usque ad operationem ire permittitur, jam ipsæ cicatrices quasi ex superabundanti sanie corrumpuntur. Causa quoque corruptionis explanatur cum dicitur: *A facie insipientiæ meæ*. Sapiens a sapiendo dicitur, non ille qui sapes palato oris percipit, sed ille, qui veritatem iudicio mentis comprehendit; unde etiam cor, quod veritatis expertus est, non absurde insipiens dici potest. Notandum vero est quod non quælibet veritatis cognitio proprie sapientia dicitur, nisi illa quæ non solo auditu, sed per ipsam experientiam rerum comparatur. Familiaris enim quodammodo atque perfectius experta, quam audita cognoscimus, et cognitionem veritatis quam in nobis doctrina inchoat experientia consummat. Ipsa etiam rerum docente natura didicimus, quod cujuslibet rei qualitatem perfectius per sui contrarii experientiam judicamus, quia et bona quælibet tunc jucundius, et delectabilius amplectimur, cum post longam miseriam fatigati respiramus. Hinc quoque est quod Dei misericordiam tanto amplius in nostra liberatione diligimus: quanto magis

A nobis e vicino sapit ipsa miseria de qua erepti sumus. Et derelicti aliquando melius per tribulationem cognoscimus, quam stricte tenenda fuerat gratia, quam tempore quietis minus fortassis amabamus. Propterea in quodam loco Scriptura admonens nos dicit: *Fili, in tempore malorum ne inmemor sis bonorum; et in tempore bonorum ne inmemor sis malorum* (Eccli. xi.). Memoria namque bonorum in tempore tribulationis animam per spem erigit; et memoria malorum in tempore prosperitatis ad custodiam sui cautionem facit. Cumque alterno sapore se utrumque contempserat, nec adversitas per desperationem dejicit, nec prosperitas per inanem lætitiâ mentem dissolvit. Hinc populo Israel a Moysse per increpationem dicitur: *Gens absque consilio, et sine prudentia*. B *Uinam saperent, et intelligerent ac novissima prouiderent!* (Deut. xxxii.). Quia enim nec præsentia Dei beneficia cognoscere, nec sua pericula futura prævidere poterant, quasi prudentiæ saporem in menis palato non habebant.

Duo igitur sunt, quæ nobis semper sapere debent, et mala videlicet nostra quæ evasimus, et gratia Dei quam consecuti sumus. Mens etenim stulta cum malarum delectationum laborem non meminit, easdem delectationes, si quando pulsata fuerit tentatione, iterare non pertimescit; et quemadmodum mulier cum angustia pariendi premitur, concupiscentiæ carnalis delectationem abominatur, sed cum memoria doloris a mente recesserit, iterum carnis illecebras concupiscit, totaque aviditate ad earum experientiam rapitur, quia eis quantus admistus sit dolor, non recordatur. Nam si bene memoriæ saperet dolor ipse, qui malam delectationem sequitur, nequaquam ita infrenis mens ad ejus appetitum traheretur. Ipsa quoque gratia accepta, si animus ab ejus recollectione non desiperet, ab injuria conditoris vel solo pudore nos coercere potuisset. Quia igitur cicatrices peccatorum nostrorum nequaquam aperirentur ad actum, nisi prius putrefactæ essent per desiderium, neque ullo modo per prava desideria mens intus putresceret, si non prius a memoria præteritarum miserationum suarum, et præsentis beneficii Dei consideratione desipuisset; plangat iste insipientiam suam et dicat: *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ*. Sed libet adhuc considerare quare non simpliciter dixit ad insipientiam meam, vel propter insipientiam meam, sed *a facie insipientiæ meæ*, utrumne aliquid nobis ista adjectione signare voluerit. Primum ipse modus loquendi considerandus est; quia sæpe in divino eloquio similis positio invenitur, cum dicitur, *a facie Domini*, vel *a facie inimici* (Psal. xliii): sive etiam, quod magis obscurum est, cum de rebus humana figuratione carentibus, corporeis nonnunquam etiam incorporeis agitur, facies memoratur quæ in usu loquendi nunc minime esse cognoscitur; tunc tamen fuisse dubium non est, quod satis ex tam frequenti Scripturarum positione colligi potest. Quia enim ubique occurrentis faciem declinare non possumus, congrue in Scriptura per

faciem, præsentiam sive instantiam atque importunitatem significamus. Quid est ergo quod cicatrices non solum ab insipientia, sed a facie insipientiæ putruisse et corruptæ esse dicuntur, nisi quod Dei gratia nequaquam nos usque ad lapsum peccati desereret, si non prius nostra insipientia Deo in nobis habitanti diu importuna fuisset? Qui cum per longam negligentiam nostram a nobis recedere invitus cogitur, statim cicatrices vulnerum nostrorum non solum per prava desideria putrescunt, sed usque ad operationem pravam corrumpuntur.

**CAP. XVII. De duplici hominum vanitate.**

*Universa vanitas omnis homo vivens (Psal. xxxviii)*, alia est vanitas quam in rebus istis visibilibus cernimus; alia est vanitas quam in nobis invisibiliter sentimus. Ista exteriora vana sunt, quia cum in corruptionem labuntur, speciem suam perdunt. Anima autem quæ per iniquitatem deluit, magis miserabili vanitate justitiæ decorem amittit. *Universa ergo vanitas omnis homo vivens*, quia et foris per mortalitatem præterit, et intus per iniquitatem; qui si saltem in altero persisteret, universa vanitas non fuisset.

**CAP. XLVIII. Quia dies hominis brevis, mala, et incerta est, quid dicendum Deo.**

*Notum fac mihi, Domine, finem meum (Psal. xxxviii)*. Vita ista præsens brevis est, mala est, incerta est. Quia incerta est, dic Deo: *Notum fac mihi, Domine, finem meum*. Quia brevis est, dic Deo: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos*. Quia mala est, dic Deo: *Substantia mea tanquam nihilum ante te est*.

**CAP. XLIX. De mirabilium Dei multitudine et profunditate.**

*Multa fecisti, Domine Deus meus, mirabilia tua; et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi (Psal. xxxix)*. Omnium quæ sunt, fecit Deus; et tamen illa specialiter Deus fecisse dicitur per quæ homo ad Deum revocatur. Illa ergo mirabilia Deus quasi non sua fecit, quorum admiratio humanam mentem ab amore ipsius avertit. Illa autem mirabilia quæ hominem ad amorem Dei revocant, quia nos illius faciunt, quodam singulari privilegio ejus dici possunt. Quia igitur superius Psalmista beatum dixerat qui ad hujus mundi vanitatem non respicit, ubi fructuosa esse possit admiratio, consequenter adjungit: *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua*, scilicet opera restorationis nostræ; quæ ne in eis fastidium nictuas, multa sunt numero; et ne facilitatem contentas, profunda in sacramento. Hoc est enim quod cum dixisset: *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua*, statim ipsam eorum profunditatem demonstrare volens, adjunxit, *et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi*, ut et multitudo mirabilium varietate delectationem afferat, et profunditas exercitationem.

**CAP. L. De curiosi et suspiciosi malo.**

*Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi (Psal. xl)*. Ma-

gnum malum est curiositas, sequæ a vitio alienum non esse indicat quisquis animum suum ad suspicionem facile inclinat. Neque enim alieni peccati suspectus cor ejus ureret, si non prius ejusdem peccati affectus in eo radicasset. Justo ergo judicio dum ex sui cordis pravitate falsam de alio existimationem colligit, per eamdem se existimationem in affectum pravitatis amplius accendit; et inde veraciter mens ejus corrumpitur, unde fallaciter aliena actio insimulatur. Propter quod Psalmista contra ejusmodi loquens dicit: *Et si ingrediebatur ut videret vana loquebatur*. Curiosus etenim quisque tunc quasi ad videndum ingreditur, quando alienum secretum sagaci studio perscrutatur. Vana loquitur, quia ut minus suspectus esse possit, eos a quibus cavere non vult, se diligere fingit. Deinde iniquitatem congregat, quia cum libere admissus fuerit, quidquid reprehensibile invenire potest, fraudulentè in corde suo coacervat. Congregat autem paulatim minima, ut post longum silentium cuncta simul objecta plus noceant, quæ minus opinionem læderent, si per se singula prolata fuissent. Sed quia hoc non correctionis, sed læsionis affectu iniquus operatur, sibi potius nocitura colligit, quia sicut dictum est, unde aliena actio fallaciter per infamiam ofuscatur, inde veraciter mens ejus per nequitiam contahescit.

**CAP. LI. Quod fontium nomine summum bonum significetur; idque maxime sit desiderabile, et quæ toto psalmo tractentur.**

*Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus (Psal. xli)*. Aquæ sunt dona Dei, fons aquarum auctor est donorum, fontem aquæ desiderat, cujus desiderium non impletur, donec ad Deum perveniat. Qui dona Dei propter Deum non amant, ii quasi aquas, et non fontem desiderant. Summum autem bonum ideo plurali nomine fontium exprimitur, quia licet in se unum sit, omnium tamen origo honorum in ipso continetur. Vivus fons, quia vivificat. Vivus fons, quia indeficiens perseverat. Ideo sicut cervus desiderat, quia vetustatis defectum reparare exoptat. Sed differtur desiderium, ut crescat. Sed quia omnis mora desideranti longa est, exclamat, *quando veniam, quando perveniam, quando apparebo ante faciem Domini*, non ut videri, sed ut videre incipiam, quem prius visus non videbam. Sed hoc nunc desiderari potest, haberi non potest. Quid ergo interim? *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*. Pascor doloribus, requiram fletibus, vocabo suspiriis, lacrymæ nutriunt desiderium, donec præsentia satiet affectum. Flebo, quia adest quod desidero; flebo, quia adest quod non amo. Non amo præsentem infelicitatem, desidero futuram beatitudinem. Irriguum superius, quia *desiderat anima mea ad fontem vivum*. Irriguum inferius, quia dicitur mihi, *ubi est Deus tuus?* hoc ad præsentem miseriam pertinet, quod opprobria malorum sustineo, quia terrenam felicitatem non amo. Et quia me in præsentem felicitate derelictum

aspiciunt, me Deum non habere insultantes dicunt.

His igitur insultationibus fractus lædere cœperat, sed mox ad semetipsum reversus, et qualis sit præsentis vitæ conditio considerans, a tali se mœrore castigat, dicens : *Hæc recordatus sum, quoniam transibo per tabernaculum ad domum*, id est per laborem ad requiem. Quasi dicat : Cum de præsentis vitæ molestia contristatus sum, qualis sit præsentis vitæ conditio recordatus non sum. Nunc autem recordatus sum, quia nemo potest pervenire ad requiem, qui prius noluerit æquanimitè sustinere laborem. Quia *transibo per tabernaculum ad domum*. Tabernaculum est præsens Ecclesia, domus est cœlestis patria. In tabernaculo locus est, quia extra fidem tuta mansio esse non potest. Nec solum transibo per locum tabernaculi, sed *in locum tabernaculi*, id est de infidelitate ad fidem; de fide ad beatitudinem. Ideo *in locum*, ut fidem rectam non solum tenere incipiam, sed usque in finem in eo permaneam. Nec terrere debet labor certaminis, quia mirabile est tabernaculum, et multa jam in eo fulgent exempla virtutis. Et quia per tabernaculum ad domum, id est per laborem ad requiem transitum esse agnovi, ideo animam meam jam amplius extra me non effudi, sed in me effudi. Sicut angustia animum constringit, sic lætitia diffundit. Quisquis ergo in rebus transitoris lætari appetit, extra se animam suam effundit. Qui vero terrena omnia vana esse considerans, securius in conscientia bona gaudium quærit, hic intra se animam suam effundit. <sup>C</sup>Supra se autem anima effunditur, quando per contemplationis gaudium in amore conditoris dilatatur. Sed cum anima intra se effunditur, statim animalitas, quæ exteriorem delectationem amat, contristatur : quam unusquisque fidelis nutu rationis corrigere debet, dicens : *Quare tristis es, anima mea? quare doles te perdere quod non potes retinere? Quare conturbas me?* quia tibi per naturalem affectum conjunctus sum, in tui turbatione ego inturbatus esse non possum. *Spera in Deo*, quia si nunc propter eum transitorias delectationes sponte respicis, permansuras postmodum ipso tribuente consequeris : *Quoniam adhuc confitebor illi*. Cum adeptus fuero quod spero, tunc laudabo illum, et *confitebor illi* de quo dubitandum non est, quia ipse est *salutare vultus mei*, <sup>D</sup>id est similitudinis meæ, id est homo, et est *Deus meus*. Non est dubitandum quin mortalibus promissam æternitatem tribuat, quem pro salute mortalium assumpsisse mortalia constat, et qui pro nobis nostram mortem pati voluit, multo magis nobis vitam suam donabit. Quod potest facere, quia Deus est, ut nec de voluntate ejus dubites, qui pro nobis homo factus est, nec de potestate, quia Deus est.

*Ad meipsum anima mea conturbata est*. Quod anima mea conturbata est, ad me solum referendum est, quia nisi prius meum peccatum præcessisset, caro foris corrupta non esset; et ideo ejus corruptio ad mei conturbationem juste reducit, quia ex mea culpa primum ejus corruptio oriebatur. Vel

*ad meipsum*, id est in meipso, quia et si foris conturbationem non inveniat ipsa, eam suæ conditionis corruptio conturbat, id est licet exteriora incitamenta peccati desinant, ipsa tamen vitia ex naturali corruptione orta me conturbant. Quæ ergo adhibenda sunt remedia contra recidivum peccati? Baptizari iterum non possumus, et tamen vice baptismatis contra quotidiana peccata quotidianum fontem lacrymarum habemus, et si sæpius baptizari prohibemur per aquam, nunquam prohibemur per pœnitentiam. Sequitur ergo nos gratia primi baptismatis in pœnitentia, sicut populum Israel per desertum gradientem aqua de petra, ut quoties in hujus vitæ deserto per peccatum arescimus, per pœnitentiam reficiamur. Quia igitur quotidie anima nostra ad nosmetipsos conturbatur memores Dei simus *de terra Jordanis*, ut scilicet illam adhuc remissionem quæramus in pœnitentia, quam olim accepimus in aqua; et tanto fiducialem, quanto apertius nos ipsius sacramento signatos esse cognoscimus. Quid enim per Jordanem rectius accipitur quam baptismus? Et quid per terram Jordanis, nisi humana natura abluta fonte baptismatis? De terra ergo Jordanis memores Dei sumus, quando eandem abluionem quærimus in pœnitentia, quam jam olim meminimus nos ab eo accepisse in aqua.

Sequitur : *Et Hermonii a monte modico*. Subauditur *memor ero tui*. Hermonium interpretatur *anathematizatio*. In baptismo autem diabolum, cum omnibus operibus et pompis ejus anathematizavimus, et Christo conformes facti a membris diaboli separati sumus. Homo igitur per baptismum a diabolo separatus, fit Hermon mons per virtutem, modicus per humilitatem. Quando itaque per pœnitentiam a Deo, virtutum dona per peccatum amissa requirimus, quasi de modico monte Hermonii, ejus memores sumus, quia sic olim nos a diabolo separatos et per virtutem exaltatos, et per virtutem conformitatis Christi temperatos, meminimus. De terra Jordanis ejus memores sumus, quando ei eandem naturam, quam prius per aquam baptismi a peccato abluvit, per pœnitentiam nunc abluendam offerimus. De modico monte Hermonii ejus memores sumus, quando precamur dona virtutum cum humilitate nobis restitui; quæ prius nos ab eo accepisse meminimus. Quod utrumque memoria dicitur, quia hoc iterato petimus quod prius accepisse nos recordamur. Et necesse est pœnitere, quia *abyssus abyssum invocat*, id est judicium damnationis ad conformationem sui adducit judicium mortalitatis. Si videmus verum quod primo homini peccanti minatus es mortem, credamus etiam verum esse quod peccantibus nunc et in peccato perseverantibus minaris damnationem. *Abyssus* igitur, id est judicium damnationis; *abyssum*, id est judicium mortalitatis *invocat*, quia hoc illud confirmat. Vel judicium ignis futurum, judicium aquæ præteritum, vel Novum Testamentum, quod pœnitentiam præcepit; ad hoc confirmandum Vetus Testamentum adducit. Vel abyssus divinæ sa-

patientiae invocat abyssum conscientiae humanae; quia Deus qui per sapientiam suam occulta nostra subtiliter penetrat, eandem ipsa conscientia nostra accusante condemnat. Ac per hoc valde nobis necessarium est ejus nunc misericordiam poenitendo quaerere, in cujus judicio testis alienus non quaeritur, quia sua quisque conscientia accusante condemnatur. Hoc autem totum cognovimus. *In voce cataractarum tuarum*, id est in sermone praedicatorum tuorum. Qui praedicatores ideo cataractae dicuntur, quia eis pluviam doctrinae stillantibus, cordis humani terra infunditur. In voce ergo cataractarum audivimus quod sicut olim cassa non fuit in peccantibus comminatio mortis, ita nunc quoque cassa non erit in peccato perseverantibus comminatio damnationis. Quomodo autem scimus quod antiqua comminatio cassa non fuerit? Omnes jam experimento didicimus, quam nimis verum fuerit, quod peccanti homini olim comminatus est Deus. Quomodo didicimus? *Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt*. Sicut volumina undarum super naufragium alia post alia pertranseunt et obruunt, donec conquassatum et confractum deorsum demergant, sic poenae et passionis vitae hujus semper hominem mortalem aliae atque aliae conquassantes et confringentes pertranseunt, et tandem deficientem in profundum mortis demergunt. *Fluctus* sunt communes et quotidianae poenalitates; *excelsa*, excrescentes et singulares adversitates; quae nec eadem omnibus nec ejusdem semper eveniunt; omnes tamen aliquibus, et aliquae omnibus. Quia ergo praesens iudicium tam grave sentio, merito futurum iudicium pertimesco. Et ideo ut possim illud evadere, dum adhuc tempus superest, necesse est poenitere. Quomodo scis, an recipiatur poenitentia tua? Scio quia *in die mandavit Dominus misericordiam suam*. Misericordia Dei est, quod peccatum hominis in praesenti vita punit, ut aeternam damnationem homo evadere possit. Hanc ego misericordiam Deus per praedicatores homini mandat, ut praesentis mortalitatis utilitatem agnoscens, pro liberatione sui futura, libenter istas poenalitates suscipiat. Hanc autem misericordiam ideo *in die*, hoc est in prosperitate mandat, quia homo minus parato animo susciperet quicquid in tribulatione percipitur de utilitate tribulationis audiret.

Sequitur sicut alia Translatio habet: *Et nocte declaravit*, subauditur ipsam misericordiam. Quod enim in die, id est prosperitate de utilitate hujus communis miseriae verbo docuit hoc *in nocte*, id est in adversitate, per singulares quasdam tribulationes exemplo declaravit. Qualis enim in futuro patientiae fructus sit, satis innotuit, cum in praesenti etiam vita nonnunquam, quam necessariae sint tribulationes, ostendit. Quod ergo in die mandat, in nocte declarat, quia quod verbo dicitur, experimento comprobatur. Vel sicut alia Translatio habet: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus*. Quod sic intelligi potest. *Mandavit*, hoc est per nuntios suos praedicores, scilicet veritatis,

PATROL. CLXXVII.

A promisit misericordiam suam, id est quod nos de miseria hujus vitae liberaret; *in die*, id est cum claritas vitae aeternae pulsis tenebris mortalitatis illucesceret. Et ideo interim *in nocte* vitae hujus, *mandavit canticum ejus*, id est laudem suam, ut si in futuro die ejus misericordiam percipere volumus, in praesenti adversitate ab ejus laude non recedamus. Dignum est enim ut, si in gloria sua propitium eum habere volumus, in nostra hunc miseria justum praedicemus. Quia igitur peccavimus, quia flagellum sustinemus, quia ereptionem exspectamus, in peccato condeamur nostram culpam, in flagello laudemus ejus justitiam, in ereptione speremus ejus misericordiam. *Apud me oratio*, pro iniquitate, *Deo ritae meae* in corruptione, *dicam Deo: Susceptor meus* in miseratione. *Apud me oratio*, in secreto in abscondito. Ideo in abscondito, quia per eam non hominibus, sed Deo soli placere concupisco; *Deo ritae meae*, quia dum me foris flagellando mortificat, intus vivillando aspirat. *Dicam Deo*, in futuro cum susceptus ad gloriam fuero securus, *dicam: Susceptor meus es*, quod in dubio constitutus adhuc dicere non praesumo, vel in praesenti dicam praesumens de promissione quam habeo jam in spe, quia jam quasi factum teneo quod faciendum sine dubitatione exspecto. *Quare oblitus es mei?* Animus amantis et patientis ad diversa rapitur, nunc de promissione gloriatur, nunc de dilatione conqueritur, nunc se derelictum propter pondus tribulationis, nunc se susceptum gratulatur propter fiduciam repromissionis. *Quare oblitus es mei?* Parvulus delicatus patri amanti irascitur, et quia non ad omnia vota respondet, de oblivione causatur. Enumerat etiam mala quae patitur. *Quare tristis incedo?* et ne videatur superflua tristitia, *dum affligit me*, inquit, *inimicus*. Et quia saepe plus gaudendum quam tristandum est, in afflictione corporis exaggerat causam, adiungens etiam detrimenta virtutis, *dum confringuntur ossa mea*, id est virtutes destruantur. Postremo summam mali addens irrisionem inimicorum *exprobraverunt*, inquit, *mihi qui tribulant me inimici mei*. In quo non unus laeditur, sed tota societas per infamiam offuscatur. Haec omnia patior *dum incedo*, id est dum in via recta gradiendo proficio, ubi occulte meritum innuit, dum se et bona agentem, et mala patientem dicit.

CAP. LII. *De iudicio secundum causam, et secundum retributionem. De luce, et veritate Dei; de monte, et tabernaculo; et de letificatione juventutis nostrae.*

*Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta (Psal. LXII)*. Aliud est iudicium secundum causam, aliud secundum retributionem. Boni ergo, qui in praesenti inter malos sunt, et tamen in causa eis uniti non sunt, orant ut Deus primum eorum causam discernat; et sic iudicet, quia tunc nos salubriter in retributione iudicat, sic prius causam nostram hic a gente non sancta discernat. *Quia tu es fortitudo mea*. Ideo per te ab eis separari peto, quia cum eorum malitiam graviter portem, non

tamen ab eorum societate ne per superbiam et confidentiam virium mearum disjungo. Sed differtur quod petitur, ideo clamat. *Quare me repulisti? Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Per fidem illumina, per veritatem fidem remunera, illuminando misericors, remunerando verax. *Ipsa duo deduxerunt me a malis meis, et adduxerunt ad bona tua.* Quæ bona? *In montem, in tabernacula.* In montem ductus sum per fidem, in tabernacula ductus sum per operationem. Introibo ad altare per dilectionem. In montem ut alta crederem; in tabernacula, ut fortia facerem; ad altare, ut me immolem. Mons et tabernacula de præsentī, altare de futuro, ubi plena charitas, et ideo ait *introibo* ut immoler, et contempler *ad altare*, id est *ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* Et bene *juventutem lætificat*; vetustatem enim non lætificat, sed contristat. *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam,* Si exterior homo noster vetus corrumpitur, sed interior ille homo noster de die in diem renovatur. Caro enim nostra, quæ per mortem dissolvitur, in præsentī vita non renovatur. Spiritus autem juventutem suam in hac vita renovare incipit, quando per gratiam Dei virtutibus renovatis desideria vetusta deponit. Deus ergo non vetustatem nostram, sed juventutem lætificat, quia quanto magis caro foris atteritur, tanto magis mens interius spirituali gaudio consolatur. Ideo inquit, *confitebor tibi in cithara.* Quia tu lætitiā non vetustatis, sed juventutis, id est non gaudium carnis, sed spiritus diligis, ideo, et ego carnem affligam, et laudabo te in maceratione carnis. Contra, quod quia animalitas murmurat, ipse eam increpando castigat, dicens: *Quare tristis es, anima mea?*

CAP. LIII. *Quas semitas declinaverit Dominus.*

*Declinasti semitas nostras a via tua (Psal. XLIII).* Tu veniens in homine viam nobis per exemplum stravisti, et ab illa via quidquid boni in nobis est per imitationem deduxisti. Vel semitas nostras, id est perplexas, et laboriosas vias nostras, in quibus prius secundum carnem ambulavimus, a via tua bona declinasti, id est removisti, quia amplius per illas non currimus, postquam in viam tuam directi sumus.

CAP. LIV. *De pulvere cogitationum, et terra desideriorum inutilium.*

*Humiliata est in pulvere anima nostra; conglutinat us est in terra venter noster (Psal. LXIII).* Pulvis sunt cogitationes vanæ; terra autem prava desideria. Bene autem prius anima in pulvere humiliatur ac demum venter conglutinatur in terra, quia nisi prius anima vanis se cogitationibus subderet nequaquam carnis desideria immunda obligarent, sed quia prius anima a vanitate vincitur, postmodum caro ad immunditiam glutinatur.

CAP. LV. *De forma, gratia, et benedictione a Deo, ad hoc, et propter hoc, etc.*

*Speciosus forma præ filiis hominum (Psal. LXIV),* rectitudo operis: *Diffusa est gratia in labiis tuis,* puritas prædicationis. *Propterea benedixit te Deus in*

*æternum, felicitas retributionis.* Primum benedixit ad hoc, postea benedixit propter hoc. Ad hoc, in tempore; propter hoc, in æternitate. Ad hoc benedixit ut bonum perliceretur; propter hoc benedixit, ut bonum remuneraretur.

CAP. LVI. *Quomodo Deus mentem beatam sibi per pacem, et amorem conjunctam adjuvet, et quando?*

*Deus in medio ejus non commovebitur; adjuvabit eam Deus mane diluculo (Psal. XLV).* Beata civitas, quæ regem habet Deum, quia cum foris bella patitur, pax ejus intus non conturbatur. Felix ille, qui talem habet animam ita in amore Dei solidatam, ut quæcunque foris molestiæ perstreperant, tamen usque ad silentium internæ quietis non irrumpant, quia Deus, qui pacis amator est, conturbatum inhabitare non potest: sed quia tam pacificam habitationem Deus non inveniret, nisi ipse eam faceret, *adjuvabit eam Deus mane diluculo.* *Mane,* tempestive, *diluculo,* in luce. *Mane,* quia adjutor in opportunitatibus. *Diluculo,* quia in tenebris operari nescit. *Adjuvabit* volentem, quia nemo invitus bonum facit. *Adjuvat* civitatem, et ædificat civitatem, requiescit in civitate, et protegit civitatem.

CAP. LVII. *Quæ sint opera Domini nobis videnda et prodigia quæ posuit super terram.*

*Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram (Psal. XLV).* *Venite, inquit, et videte opera Domini.* Primum *venite,* postea *videte.* Vos enim in tenebris estis, et ibi opera Domini videre non potestis. Venite igitur ad lucem, et videte per lucem; quæ lux fecit in luce: videte opera Domini. Quæ opera Domini? Nunquid cælum, et terram? Non, sed quæ desuper cælum posita sunt *super terram.* Primum enim Deus cælum et terram fecit; deinde quædam in cælo, et in terra de cælo, et terra produxit. Sed hæc, quia terrena sunt ubique terrarum videri possunt, nec ut ista videantur alicunde alio homines invitantur. Sunt quædam alia quæ non de cælo, vel de terra produxit, sed de super cælum secum afferens super terram posuit, non dejiciens ea, sed inclinans; nec terram per ea premens, sed relevans. Quæ sunt ista opera Domini? *Domine, audivi auditum tuum, et timui. Domine, opus tuum in medio annorum notum facies (Habac. 1),* quando videlicet in medio duorum animalium cognosceris. Quomodo posita super terram? *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. 1).* Quomodo prodigia? *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis et vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus fortis, Pater futuri seculi, princeps pacis (Isai. 1x).* *Super terram* posita sunt, quia terrena ad pacem componunt; *prodigia* sunt, quia venturi sæculi gaudia portentant. *Prodigia* sunt, quia *Pater futuri sæculi. Super terram* posita sunt, quia *princeps pacis, auferens bella,* pacificans hominem intus, et extra, ac terram carnis dominio animæ usquequaque subjiciens. *Arcum conteret, et confringet arma,* versutias, et machinationes diaboli ad nihilans. *Scuta comburent igni,* dura corda molliet igne Spiritus sancti. Quibus

patr. etis, et pace plena reddita, exhortatoria vox sequitur, qua omnes voluntarii ad verum bonum invitantur: *Vacate, et videte quoniam ego sum Dominus.*

CAP. LVIII. *Qualiter orandum sit pro remissione peccatorum a Deo obtinenda, ad imitationem David.*

*Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam (Psal. l.).* Audite, peccatores, orantem peccatorem, et discite quia inter vos pro peccatis vestris orare debetis. Audite quid dicit: *Miserere mei, Deus.* Reus enim, in causam ductus, considerat quod iudex suus nec falli potest, quia sapiens est, nec corrumpi potest, quia justus est, nec vinci potest, quia omnipotens est, nec declinari potest, quia ubique est. Videte ergo nullum omnino excusationi, sive defensionis locum esse; et idcirco ad solam misericordiam flagitandam se convertit, dicens: *Miserere.* O quanta est virtus hujus verbi *miserere*? Ac si diceret: O Domine, agnosco culpam meam, intelligo reatum meum, scio quid feci, scio quid merui, non ignoro cum quo mihi causa agitur, non ignoro quid pro culpa mihi debetur. Volo peccatum meum abscondere, sed tu nosti omnia. Volo resistere, sed tu potes omnia. Volo effugere, sed tu complecteris omnia, quod ergo solum restat, de te fugio ad te. Fugio iram, fugio ad misericordiam. *Miserere.* Nolo ut intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Psal. cxlii): quanto magis ego peccator, et criminis reus: Non ego peto ut iudiceris mecum, sed ut misereris mei. *Miserere mei.* Tu quis es? edicito qui sis. Citius fortassis ad misericordiam flectar, si personam agnovero. Non, inquit, Domine, non. Sed volo interim latere quem tamen latere non possum. Volo ut interim me nescias, licet non ignorem quod omnia facias. Timeo enim simulque erubesco nomen edere, personam designare; et quanto tibi familiarior ante culpam exstiti, tanto magis nunc confundor post culpam agnosci. Non ergo dico tibi: Domine, miserere David: quemadmodum alibi dixi: *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus (Psal. cxxx).* Nec sicut aliquando blandiens dicere consueveram, puero tuo non saltem servo tuo, aut filio ancillæ tuæ, quia hæc omnia nomina familiaritatis sunt, et ideo quanto manifestius prolata majoris gratiæ beneficium ad memoriam reducerent, tanto gravius sequentis culpæ reatum accusarent. Taceo igitur hæc omnia, sileo, dissimulo, abscondo, ne forte aliquid eorum commemorans, et te magis iratum redderem, et me magi reum demonstrarem. Volo interim ego non agnosci, ut citius possis tu complicari. Ne ergo quæras, Domine, quis sim ego; tantum miserere contenti peccatum suum, damnanti culpam suam, querenti misericordiam tuam. *Miserere mei, Deus.* Non enim audeo dicere: Deus meus; Deum solummodo agnosco, meum non præsumo. Ego enim peccando, te perdidit; inimicum sequendo, a te recessi; malum amando, a bono elongavi. Propterea quasi leprosus, quasi ejectus, quasi separatus, quasi immundus, quasi alienus

A appropinquare non audeo, accedere non præsumo. Sed tantum de longe stans, et ad te vocem levans, cum magna devotione, cum magna cordis contritione, clamo et dico: *Miserere mei, Deus.* Dicant qui boni sunt, dicant qui mundi sunt, dicant qui puri sunt, dicant qui familiares sunt, dicant qui filii sunt, qui hæredes sunt dicant: Deus meus. Ego qui immundus sum, qui pollutus sum, qui abjectus sum, qui longe sum, qui Patrem deserui, qui inimico me vendidi, qui in regionem longinquam abii, qui hæreditatem meam perdidit, qui substantiam meam luxuriose vivendo dissipavi, ego non dicam Deus meus, non dicam Pater meus, sed tantummodo: *Miserere mei, Deus. Fac me sicut unum de mercenariis tuis, quia non sum dignus vocari filius tuus (Luc. xv).* *Miserere ergo mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam,* non secundum magnam miseriam meam, sed secundum magnam misericordiam tuam, quia licet magna sit mea miseria, major tamen est tua misericordia. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Nolo parvam misericordiam querere, quia nec te decet parvam misericordiam dare. Jam enim exauditione dignus non essem, si a magno parvum quærerem. *Miserere ergo mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Nequaquam, Domine, magna postulans de meis meritis confido, sed tuam magnificentiam honoro. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Propter magnam misericordiam tuam, et secundum magnam misericordiam tuam. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

CAP. LIX. *Quod Deus in sanctis, id est intus plus quam foris mirabilis est.*

*Mirabilis Deus in sanctis suis (Psal. lxxvii).* Quid miraris foris? Intus est mirabilis Deus. Si enim mirabile est quod ad servitutem factum est, quod ad imaginem factum est, quomodo mirabile non est? *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Ne ergo illos foris respicias. Non quod foris est mirabile est; quod intus est, mirabile est. Intus ergo vide, et non miraberis quidquid foris apparet.

CAP. LX. *Quod adhærere Deo, et ponere spem in eo semper bonum sit.*

*Mihi autem adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam (Psal. lxxii).* Habent homines bona sua; aliis in necessitate bonum est consilium suum, aliis in prosperitate bonum est consilium suum, aliis in prosperitate bonum est gaudium suum. *Mihi autem unum est bonum, adhærere Deo, ponere in Domino Deo spem meam.* Si inundant flumina tentationum, bonum est mihi adhærere ne dissolvat. Si flaverint venti adversitatis, bonum mihi est in illo anchoram spei figere, ne conquasset vel dissipet. Illis autem nec in adversitate bonum est consilium suum, quia non liberat, nec in prosperitate gaudium, quia non conservat. Ideo unus consilium improbat, alter gaudium. *Usquequo ponam consilia in anima mea? (Psal. xlii.) Et gaudio dixi: Quid frustra deciperis? (Eccl. ii.)*

CAP. LXI. *De tribus malis, quibus homo affligitur, A sine utraque hac comite iter aliquod facere consue-*  
*et quatuor bonis quibus consolatur.* verit. Cum enim, inquit, scriptum sit : *Universæ via*

*Aut continebit in ira sua misericordias suas (Psal. lxxvi).* Tria sunt mala quibus homo affligitur, et quatuor bona quibus consolatur : unum malum est exterioris sub homine, alterum malum est exterioris in homine, aliud est malum interius in homine. Malum exterioris sub homine est, cum in iis quæ foris possidet, damna patitur. Malum exterioris in homine, cum caro ejus infirmatur. Malum interius in homine, est vermis conscientiæ. Tribus his malis quatuor bona opponuntur ut misericordiam ira non contineat ; sed beneficia propitii, irati flagella transcendunt. Est namque bonum exterioris sub homine in tranquillitate rerum temporalium, et est bonum exterioris in homine, securitas conscientiarum ; et est bonum interius supra hominem, dulcedo cælestium gaudiorum. Plus ergo confert propitius quam abstulit iratus, quia prius peccantes in nostris percutimur, sed postmodum etiam in hiis quæ supra nostra sunt, consolamur.

CAP. LXII. *De quadruplici pace quam diversis loquitur Dominus.*

*Quoniam loquetur pacem in plebem suam ; et super sanctos suos (Psal. lxxxiv).* Quatuor sunt paces : duas dat mundus, et duas dat Deus. Mundus dat pacem in tranquillitate rerum temporalium : et in sanitate corporum. Deus dat pacem in tranquillitate mentis, et in gaudio contemplationis. Sed ea pax quæ est in tranquillitate mentis in homine est ; ea quæ est in gaudio contemplationis, supra hominem est. Illam Deus in plebem loquitur, quia eam imperfectioribus tribuit ; hanc super sanctos, qui eam perfectioribus concedit.

CAP. LXIII. *Misericordia, et veritas, qua disceptatione sibi mutuo obviam venerint, et justitiam, et pacem se osculatæ sint.*

*Misericordia et veritas obviamerunt sibi ; justitia et pax osculatæ sunt. Veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit (Psal. lxxxiv).* Deus sursum erat et homo deorsum. Veritas erat in cælo cum iudice Deo, et misericordia in terra cum homine iudicando. Ubi enim misericordia esset, si cum misero non esset ? Descenderat enim forte nesciente veritate, quoniam illam ad hominem venturam sciebat, et de illius adventu metuebat. Descendit ergo prius misericordia, ne si veritas præveniret accessum ad hominem, ipsa postea non inveniret. Accepto igitur assumpta veritate descendit Deus ut rationem poneret cum homine. Quod cum vidisset misericordia, non ignara divini consilii, perrexit obviam illi, Deum cupiens mitigare, et placatum adducere. Cernens autem veritatem obstinato vultu incedentem primum occurrit illi rogans ut gradum sisteret, nec nimis properaret, donec funderet orationem suam ad Dominum. Ibi ergo misericordia, et veritas obviamerunt sibi. Tunc misericordia clementi causatione querelam coram Deo deposuit, dicens ægre se ferre, quod ad hoc negotium socia advocata non fuerat, præsertim cum nunquam Deus

iter aliquod facere consueverit. Cum enim, inquit, scriptum sit : *Universæ via Domini, misericordia et veritas (Psal. xxvi) :* quomodo sola veritate contentus misericordiam Dominus meus non vocavit, præcipue cum non solum æqualem, sed priorem etiam misericordiam esse debere Scriptura ubique commemoret ? Neque enim scriptum est, veritas, et misericordia, sed *misericordia et veritas, universæ via Domini.* Quare ergo quæ prima esse debui, nunc postrema, et quod magis me gravat ad comitatum tuum non vocata accedo ? E contrario veritas respondit in hac via misericordiam comitem Domini necesse posse nec debere, tum quia consilium voluntatis ejus contrarium ordinatum sit, et idcirco in ejus opere præsens ipsa non possit ; tum etiam quia cum ipso egressa non sit. Dixit etiam ipsam misericordiam magis oportere rationem reddere, quare ipsa egressa Domini non affuerit, et absentia ejus magis esse læsum Dominum, intantum ut una comite iter capere compulsus sit. Ad hæc misericordia respondit se nec mala intentione egressam, nec malo opere occupatam. Sed magis se honori, et utilitati Domini sui consulere, quæ non perdere studeat et destruere, sicut ipsa veritas, sed servare ; illam esse notandam potius, et accusandam, quæ fanulos, et ministros Domini tantum velit imminui, ut cum omnes abierint nullum patiat per indulgentiam aliquam levare, et revocari. Veritas autem respondit non esse decens bonum Dominum et justum malos servos et injustos habere. Misericordia dixit tantum Dominum sine ministris esse non debere. Veritas affirmavit, nequam homines merito debere damnari. Misericordia respondit eos, ut boni fierent, spontanea etiam pietate debere revocari. Veritas dixit quod Deus malis omnino parcere non deberet. Misericordia dixit : si nemini parceret Deus quod nunquam bonos haberet. Veritas dixit se nolle nec posse tot scelera hominum tolerare. Misericordia respondit gratiam Domini ad indulgendum superabundare. Veritas dixit : Unusquisque prout gessit in corpore accipiat. Misericordia dixit : Omnis homo magis convertatur ad Dominum, et vivat.

Illis ergo ita sibi obviantibus, et ad diversa voluntatem Dei inclinare desiderantibus, videns Deus tam diversas sententias ad effectum simul procedere non posse, ait : Scriptum est : *Misericordiam et veritatem diligit Deus (Psal. xxiv).* Quas ergo diligit, vult sibi semper præsto esse ; et quia rursus dicitur de Deo : *In pace factus est locus ejus (Psal. lxxiii),* non potest illas discordes sustinere. Concordia autem esse non potest ubi voluntas tam diversa est. Veritas enim vult ut totum imputetur. Misericordia vero ut totum condonetur ; quæ simul fieri non possunt. Propterea ne ego, qui amator pacis sum, compellar vestram societatem relinquere, necesse est ut vos studeatis utrinque vestras voluntates ad unum consensum inclinare. Ad hæc veritas respondit

se minus laudabilem si aliquid inultum relinquatur. Misericordia dixit se minus amabilem si non totum gratuita pietate solvatur. Tunc Deus interrogavit utrum vellent ambæ suas voluntates in ejus arbitrium ponere et quod ipse inde discerneret sine contradictione annuere. Quod utraque, in quantum fieri posset sine diminutione nominis et dignitatis suæ, concedente, Deus dixit æquum sibi videri ut peccatum hominis, et ex parte propter veritatem puniatur, et propter misericordiam ex parte dimittatur. In hoc ergo ambabus consentientibus, veritas adjecit dicens injustum esse ut, sicut prius misericordia cum homine fuit et ipsa in cælo permansit, ita nunc ipsa in terra cum homine permaneat, et misericordia cum Deo cælum conscendat. Scriptum est enim: *Misericordia, et veritas præcedent faciem tuam (Psal. LXXXVIII)*. Si ergo prius misericordia præcessit, et veritas permansit, justum est ut nunc misericordia maneat, et veritas præcedat. Tum misericordia rogans veritatem memorem esse communis pacti, scilicet ne quidquam ultra concessum contra hominem molitur, cum Domino ascendit. Veritas autem intrans cor hominis invenit ibi omnia mala, et digna pœnis, et clamare cœpit de terra, hominem accusans. Misericordia vero non desistebat in cælo Dominum orare pro homine postulans. Homo in terra per veritatem stimulatus, peccasse se confitebatur, et Deus in cælo per misericordiam flexus, contenti miserebatur. Homo confessionem ad salutem ore proprio faciebat, et misericordia precibus suis Dominum ad justificationem hominis compellebat. Veritas de terra per confessionem hominis oriebatur, et justitia de cælo prospiciens per misericordiam Dei ad terras mittebatur. Veritas dixit prius puniendum qui prius malum fecerat. Misericordia dixit postea justificandum, et salvandum qui et malum confitendo bene fecerat. Per veritatem accusabatur, et per misericordiam propter veritatem justificabatur. Quia *veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit*. Quia ergo misericordia cum Deo pro homine erat, et justitia, et veritas a Deo cum homine erat jam inter Deum et hominem pro justitia pax erat, et ascendit justitia ab homine ad Deum, pacem postulans, et descendit pax a Deo ad hominem justitiam amplectens, et osculans. Tunc ait justitia ad pacem: Nunquid optimo satis est mala dimittere, nisi etiam studeat bono conferre? Laxavit peccata per indulgentiam; nunc conferat dona virtutum per gratiam. Respondit pax et dixit: *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum*. Nunc autem interim justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos. Quod audiens justitia præcurrens reversa est ad hominem, ut ab eo non discedat, donec Dominus ponat in via gressus suos, et veniat.

CAP. LXIV. *De confessione duplici, et quod Dominus mitis est et suavis.*

*Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo,*

A *Altissime (Psal. xci)*. Duplex est confessio, altera criminis, altera laudis. Confessio criminis est conversio peccatoris, confessio laudis glorificatio Creatoris. Confessio criminis est in detestatione mali; confessio laudis in exaltatione boni. Confessionem criminis parit timor; confessionem laudis parit amor. Propterea *bonum est confiteri Domino*, quoniam mitis est, et *psallere nomini ejus bonum*, quoniam suavis. Exemplum mansuetudinis ejus fuit, quod peccatores ad se venientes non repulit. Exemplum suavitatis ejus, quod qui eum gustaverunt, fastidire non potuerunt. Exemplum mansuetudinis fuit, quod infirmantibus compatiiebatur. Exemplum suavitatis, quod imperfectis conformabatur. Infirmantibus compatiiebatur, contentibus dans veniam, et pœnitentibus non indicens pœnam. Imperfectis conformabatur spiritalia seminans, et metens carnalia. Seminans verbum cibum mentis, et metens victum cibum carnis. Venit ad illum peccatrix, et fudit lacrymas ad pedes ejus per confessionem criminis, ipse, ut ostenderet mansuetudinem suam et parvioribus daret fiduciam appropinquandi, cito veniam indulsit, pœnam nullam indixit. Sed ait, *Vade, et amplius noli peccare (Joan. viii)*. Dicitur et in alio loco, quod habebat Jesus oculos, et ea quæ dabantur suscipiebat (*Joan. xii*), conformans se imperfectis, ut qui Evangelium prædicant, de Evangelio vivant (*I Cor. ix*). Paulus autem noluit sumptus accipere de Evangelio, sed gratis factus est minister verbi (*ibid.*). Et invenitur Paulus magis aliquid fecisse quam Christus. Christus autem in numero imperfectorum inveniri voluit, ne præsumerent non accipientes, et confunderentur accipientes, et existimaretur non esse Christianus, faciens quod voluit facere Christus. Propterea cum fiducia accedamus ad mitem, et non derelinquamus suavem.

CAP. LXV. *De spiritali cithara.*

Cum cantico in cithara (*Psal. xci*). In cithara duo ligna sunt, unum inferius, alterum superius. Inferius lignum cavum est, superius solidum est. Inter utraque ligna tenduntur chordæ clavis, quibusdam deorsum tendentibus, quibusdam sursum trahentibus. Superiores clavos plectrum torquet; ad inferiores autem clavos chordæ digitis percussæ resonavit. Duo ligna duæ sunt cruces, inferius lignum crux carnis, superius lignum crux mentis. Crux carnis est afflictio in corpore. Crux mentis est compassio in corde. Inferius lignum solidum non est, quia omne quod in carne dolet, si conscientie bonæ gaudium tollitur, foris speciem doloris habet: intus veritatem non habet. Superius lignum solidum est, quia dolor mentis ad irrima penetrans, monstrari potest, fingi non potest. Chorda est corpus, quod tenditur, et maceratur inter pœnam carnis, et dolorem cordis. Inferior clavus est timor, superior est amor, qui timore caro consistitur, amore animus vulneratur. Illa, ne ad mala moveatur, iste ut ad dona sensitur. Plectrum

est gratia, quæ affectum cordis apprehendens ad se trahit, et ad superiora ire facit. Chorda siccatur, et tenditur ut sonitum reddat, et caro hominis prius a malo mundatur, postea in bono excitatur, ibi siccata, hic tensa. Siccata per abstinentiam : tensa per patientiam. Inferiores clavi rotundi sunt, superiores solidi, quia timor circumspectus esse debet, amor perfectus.

CAP. LXVI. *De fide operatione, et retributione bonorum.*

*Exortum est in tenebris lumen rectis corde; miserors, et miserator, et justus Dominus (Psal. cxl), hæc est fides. Jucundus homo qui miseretur, et commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur, hæc est operatio. In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit, hæc est retributio.*

CAP. LXVII. *De duabus scholis virtutis et veritatis, et duplici genere discentium; et quod omnes cupiant esse beati, et pauci studeant esse immaculati.*

*Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum (Psal. cxviii). Dux sunt scholæ, et duo sunt genera discentium. Alii virtutem quæ-runt, alii veritatem. Qui tamen alterum in veritate appetunt, neutrum contemnunt, quia nec virtus odibilis est amatoribus veritatis, nec veritas contemptibilis amatoribus virtutis. Sunt autem qui veritatem quæ-re videntur, qui tamen quia non in veritate, et pro veritate, sed pro vanitate eam quæ-runt, veritatem sine virtute habere volunt, sed, et veritas non est sine virtute, nec virtus nisi in veritate. Alii dicunt : Boni esse volumus, sed sapientes esse nolumus; et hi non justificantur, quia virtus sapientia dicitur. Sicut qui dicunt : Sapientes esse volumus, sed boni esse nolumus, non erudiuntur, quia sapientia per virtutem confirmatur. Schola virtutis est : Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Schola sapientiæ : Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Sic et in psalmo primo : Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentie non sedit, hæc est schola virtutis : Sed in lege Domini voluntas ejus; et in lege ejus meditabitur die ac nocte, hæc est schola sapientiæ. Utrobique tamen studium virtutis præmittitur, quia multi scire volunt, pauci facere, ut prius per studium boni operis mundetur conscientia, postea autem corde mundo quæ-ratur sapientia. Primum discere quod facias, postea quære quod scias. Ideo prius beati immaculati, postea beati qui scrutantur. Beati immaculati. Omnes libenter audiunt beati: sed non omnes libenter audiunt immaculati. Tu autem si vis esse beatus, esto immaculatus. Quis est immaculatus? Nunquam pollutus vel ablutus; sanctus immaculatus, et sanctificatus immaculatus. Primo qui non est aversus. Secundo qui est reversus. Ille, quia non est prævaricatus; iste, quia est reconciliatus.*

A CAP. LXVIII. *De nominibus præceptorum Dei, contentis psalmo cxviii, et de causis eorundem.*

Præcepta Dei multis nominibus significantur: Via, lex, testimonia, mandata, justificationes, judicia, sermones, eloquia, mirabilia, æquitas, verba, veritas, justitia (Psal. cxviii). Via dicuntur, quia ea faciendo pervenimus ad vitam. Lex dicuntur, quia observationum ritu proposito ligant. Testimonia dicuntur, quia evidenter admonent pœnis, vel promissis, vel præmiis, vel donis contestantia. Mandata dicuntur, quia facienda indicant. Justificationes dicuntur, quia impleta a reatu liberant. Judicia dicuntur, quia unicuique pro merito debitam retributionem pronuntiant. Sermones dicuntur, quia narrando instruunt. Eloquia dicuntur, quia aperte significant. Mirabilia dicuntur, quia insolita præcipiunt et incognita promittunt. Æquitas dicuntur, quia secundum justitiam facta sunt. Verba dicuntur, quia significationes Dei sunt ad homines. Veritas dicuntur, quia ita est ut dicunt. Justitia dicuntur, quia nihil inordinatum continent.

CAP. LXIX. *De tribus viis.*

*Utinam dirigantur viæ meæ! etc. (Psal. cxviii.)* Tres sunt viæ : Via Dei, via hominis, via diaboli. Via Dei est veritas, via hominis est necessitas, via diaboli iniquitas. Via Dei et diaboli nunquam flecti possunt, ut ad aliud tendant, quia nec via Dei mala, nec via diaboli bona aliquando esse potest. Via hominis mutabilis est, et ad diversa inflectitur; hoc est, vel ad viam Dei vel ad viam diaboli. Si enim necessitas intorquetur ad cupiditatem, et cupiditas ad iniquitatem, via hominis flectitur ad viam diaboli. Si autem diriguntur ad mensuram, et mensura ad justitiam, via hominis directa est ad viam Dei. Propterea ait : *Utinam dirigantur viæ meæ! etc.*

CAP. LXX. *Qui sint in lege Domini ambulantes, qui stantes, et qui ab ea declinantes.*

*Beati qui ambulant in lege Domini, etc. (Psal. cxviii.)* Alii sunt in lege ambulantes, alii sunt in lege stantes, alii a lege declinantes. In lege ambulant, qui in bono proficiunt. In lege stant, qui a bono non recedunt. A lege declinant, qui non facienda præsumunt.

CAP. LXXI. *De directione cordis humani.*

D *Confitebor tibi in directione cordis (Psal. cxviii.)* Cor hominis dirigitur, quando humana voluntas divinæ voluntati conformatur, id est, ut homo id quod Deus odit, odiat; et quod diligit, diligat. Ad hoc autem per legem Dei instruimur, in qua nobis voluntas Dei demonstratur : quæ videlicet voluntas nostræ voluntatis regula est. Ideo prius viæ hominis, id est opera ad custodiendas justificationes Dei diriguntur; postea homo Deo in directione cordis confitetur. Quis est qui Deo confitetur. Cui placet quod facit Deus, hic Deo confitetur. Ille autem est cujus voluntas, et cor directum est, ut a voluntate Dei non discrepet; vel approbando vel improbando, vel odiendo, vel amando, nec infra subsistens, nec ultra transgrediens

**CAP. LXXII.** *Qui Deum ex toto corde exquirant et a quid sit Deum exquirere et quomodo sit exquirendus. Et quomodo quis repellatur a mandatis Dei.*

*In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis (Psal. cxviii).* Pagani et infideles Deum non exquirunt, qui divinum honorem creaturæ tribuunt. Similiter falsi fideles, qui aliud plus quam Deum diligunt, *Deum non exquirunt.* Deum exquirere est extra omnia querere, fide ut aliud esse credatur, dilectione, ut plus diligatur. Toto corde exquirunt, qui hunc solum invenire concupiscunt. *Ne repellas me a mandatis tuis.* Sæpe homo accedens ad Deum a seipso repellitur, sæpe a mundo, sæpe a diabolo, aliquando a Deo. A seipso repellitur, vel per voluntatem propriam, vel per carnis concupiscentiam. Per voluntatem propriam repellitur, quia in hoc aliquando grave sit illi quod Deus vult, quia eum eo quod Deus vult propria voluntate aliud vult, quod simul fieri non potest cum eo quod Deus vult. Per carnis concupiscentiam repellitur, quia dum aliud caro appetit, voluntas spiritus non sine difficultate ad effectum procedit. A mundo repellitur, dum vel adversis premitur, vel prosperis irretitur. A diabolo repellitur, quando suggestionum illius importunitate sine cessatione vexatur. A Deo repellitur, quando ad illius majestatem contemplandam assurgens, incomprehensibilis lucis radiis reverberatur. Quæ tamen repulsio ira non est, sed exercitatio, quoniam idcirco homo ad tempus a summis repellitur ut per humilitatem melius in minimis exerceatur. Unde dictum est : *Ne declines in ira a servo tuo, hoc est si declines, declina ut redeas. Memento ergo scalæ Jacob. Ascendant angeli et descendunt.* Quidam ascendere sciunt, descendere nesciunt. Aliud est enim descendere, aliud præcipitari. Non est hominis semper sursum ire. Si ascendere nosti per devotionem mentis, scias et descendere per exercitium boni operis. Si nescis descendere, nescis conscendere, et incipiens tandem post indiscretam et immoderatam vehementiam ascendendi, cadere. Cum descendis videtur elongare Deus qui sursum est. Sed scriptum est : *Excelsus Dominus; et humilia respicit (Psal. cxxxvii).* Melius ergo tibi est ut humilis sis et videaris, quam sublimis et ignoreris. Aves volando lacessunt, et descendunt super terram ut requiescant. Sed aliæ loca munda diligunt, aliæ lutosa et polluta exquirunt. Si ergo descendis, munda sit requies tua. Quid est contemplatio, nisi cælum? Quid operatio, nisi terra? in contemplatione volas; in operatione sedes. Sed elige loca munda, opera bona; vitæ et fuge lutosa, ubi coinquinatio est contingentis. Hæc sunt opera immunditiæ inquinantia appropinquantem. Nunc ergo repelleris, cum repararis, quia si bene resides, validior con-surges.

**CAP. LXXIII.** *Abscondenda quomodo sint eloquia Domini.*

*In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi (Psal. cxviii).* In corde eloquium Dei abscondit

qui illud per dilectionem suscipit, per memoriam retinet, per humilitatem tegit. Si nunquam tegetur, non foveretur, si nunquam manifestaretur, non multiplicaretur. Cor nidus est, verbum ovum, opus pullus. Fove et nutri. Non vivificatur nisi nutriatur. Peccas, si non recipis; peccas, si receptum rejicis; peccas, si retentum ante tempus exponis. Primo duritia, secundo negligentia, tertio superbia. Ideo absconde, ne pecces.

**CAP. LXXIV.** *Quod justificationes fiant propter opera.*

*Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas (Psal. cxviii).* Non auditores legis justus sunt apud Deum, sed factores (Rom. ii). Igitur per bonum opus justificat Deus. Justificationes Dei novit qui intelligit justum esse, ut qui mala cum delectatione perpetravit, bonum sine dolore et labore facere non possit; nec murmurat in pœna qui humiliatur pro culpa.

**CAP. LXXV.** *Loquendi quæ sint impedimenta et quæ judicia cordis et oris. Item de quatuor quibus judicia fiunt.*

*In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui (Psal. cxviii).* Bonus ordo: Primum humilitas silentii, deinde studium boni operis, postremo fiducia pronuntiandi verbi. In corde meo, silentium: *Doce me justificationes.* Opus: *In labiis meis pronuntiavi.* Verbum. Duo sunt quæ homini labia tollunt ut loqui non possit: Ignorantia, quando nescit; et conscientia mala, quando erubescit. Propterea contra ignorantiam, *in corde meo abscondi eloquia tua,* contra conscientiam malam, *doce me justificationes tuas.* *Pronuntiavi,* fiduciam loquendi significat. *Omnia judicia oris tui,* nihil abscondi, hoc est totum dixi. Quæ dixisti mihi ego pronuntiavi: nihil de tuo abscondi, nihil ex meo adjecti, ne vel falsitatem prædicarem vel veritatem negarem; *judicia cordis,* quæ sunt abscondita; *judicia oris,* quæ sunt manifesta; *judicia oris,* quæ proposuisti; *judicia cordis,* quæ abscondisti; *judicia cordis,* ubi sententia est dictata; *judicia oris,* ubi sententia est prolata. Quæ ergo manifesta sunt, pronuntiantur; quæ abscondita sunt, sciri non possunt. Ista tacere torpor esset; in illis præsumere elatio esset. Quatuor autem sunt quibus judicia fiunt. Aliquando reddit Deus malum pro malo ad bonum, ut Saulo pœnam pro culpa ad correctionem. Aliquando bona pro bono ad malum, ut diviti-abundantiam bonorum pro justitia, ad retributionem. Aliquando malum pro malo ad malum, ut Herodi et Antiocho et Judæ pœnam pro culpa, ad damnationem. Aliquando bonum pro bono ad bonum, ut Abrahæ et Job abundantiam pro justitia, ad salvationem.

**CAP. LXXVI.** *Quis in mandatis Dei exerceatur.*

*In mandatis tuis exercebor (Psal. cxviii).* Exerceatur qui præsentis studio ad meliora et futura bona eruditur. In mandatis ergo Dei exerceatur, qui sic semper bona quæ agit, considerat, ut per ea se ad bona agenda quæ necdum cœpit præparari credat, ut se

non quasi consummatum existimet, sed semper A quasi incipientem attendat.

CAP. LXXVII. *De multiplici via Dei, et qui eam considerent.*

*Considerabo vias tuas (Psal. cxviii).* Via Dei est, per quam ad nos venit interna aspiratio. Via Dei est per quam ad illum imus, bona operatio. Vias ergo Dei considerat qui studio boni operis exercendi invigilat. Vias etiam Dei considerat qui adventum ejus internum ad se diligenter observat, quando veniat, et ad quales veniat ut agnoscat tempus visitationis suæ.

CAP. LXXVIII. *Quomodo dulcia dicat eloquia Domini faucibus suis, utrum ea manducando, et si sic cibus sunt, qualis ergo cibus.*

*Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo (Psal. cxviii).* Nunquid putas, frater, iste manducare consueverat verba Dei, ut diceret: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua?* Et qui est, qui verba manducaret? Si ergo manducantur verba Dei, utique cibus sunt. Et qualis cibus? Non puto ventris, sed mentis, in uno illo jejunium ventris, et cibus mentis: *Non, inquit Scriptura, in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei (Matth. iv).* Et tamen aliqua similitudo est inter cibum ventris et cibum mentis, quia et ideo verba Dei cibus dicta sunt, quoniam sicut cibus corporalis carnem reficit, ita sapientia mentem pascit. Cibus corporalis tria habet in se, saporem, nutrimentum, massam. Sapor delectat, nutrimentum sustentat, C massa onerat. Sapor ad palatum pertinet, nutrimentum ad naturam, massa ad miseriam. Gula percipit saporem, stomachus nutrimentum et massam: alterum ad refectionem, alterum ad gravamen. Nutrimentum ut illud in corpus trajiciat; massam ut illam ejiciat. Sapor quodammodo spiritualis est, et ideo solummodo delectat, non gravat. Inde est quod fames in faucibus satiari nunquam potest, quia ibi nec appetitus mensuram habet, nec delectatio finem. In stomacho autem fames satietatem recipit, quia ibi appetitus edendi certam mensuram habet et delectatio finem. Nam quia ille nutrimentum, quod sustentat, non percipit sine massa quæ gravat, ne id quod prodest ultra modum appetere incipiat, ipsa quam simul percipit massa illum onerando D refrenat. Nam cum eum prægravare et quodammodo suffocare incipit pondus ipsum, quod invitatus tollerant, voluntarie jam appetere desinit nutrimentum quod reficiebat. Ergo, frater, cum manducas, noli interrogare fauces tuas an satis est, quia si iudicium illarum sequeris priusquam eas delectatione repleas, stomachum tuum onere suffocabis. Ventrem potius de mensura edendi consule, et priusquam ille tibi dolere incipiat, fauces aviditate compesce.

Hoc tamen de cibo corporali intellige dictum. Nam de refectione spiritualis cibi fauces potius quam venter sunt consulendæ. Fauces dico, non carnales, sed spirituales; et ventrem dico, non ventrem carnalem, sed spirituales. Nam sicut cibum spiritua-

lem novimus, ita fauces et ventrem spiritualiter intelligere debemus. Habet quippe spiritualis cibus, id est verbum Dei, similiter saporem suum, qui fauces spirituales delectat; nutrimentum suum, quod substantiam spiritualem pascit et vegetat. Habet etiam massam suam quæ infirmitatem quodammodo premit et gravat. Fauces spirituales dicimus palatum cordis. Sapor verbi Dei est gustus internæ dulcedinis. Anima autem, ipsa est substantia spiritualis. Nutrimentum verbi Dei est exercitium virtutis; massa vero, pondus laboris. Quia igitur sapor ille internæ dulcedinis sine fastidio sumitur, quasi de quodam spiritualis cibi gustu fauces cordis delectationem percipiunt, sed saturari non possunt. Quia vero exercitium virtutis, quo anima pascitur, non sumitur sine pondere laboris, quo caro gravatur, quasi quidam sensualitatis nostræ stomachus, dum cibum boni operis exercendo percipit, ne virtutem qua reficitur ultra modum appetat, ipse eum quo premitur labor operis castigat. Jam, ut existimo, satis intelligis quid sibi vult quod iste dicebat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* Non enim ait dulcia ventri meo, sed *faucibus meis.* Non stomacho meo, sed *ori meo.* Ac si diceret: per verbum quidem tuum, Domine, venter carnalitatis premitur, sed palatum cordis intus sapore dulcedinis delectatur, quia et si foris infirmitatem gravat labor operis, intus tamen desiderium pascit dulcedo et gustus suavitatis. Hinc est quod dilectus ille et charus Joannes qui verbum Dei tam frequenter et tam libenter edere consueverat, de se perhibet, dicens: *Accepi librum de manu angeli et devoravi eum; et erat in ore meo tanquam mel dulce; et cum devorassem eum amaricatus est venter meus (Apoc. x).* Sic, et tu frater, devora librum vitæ, comede verbum Dei: nec solum comede, sed avide comede, et noli propterea dulcedinem saporis ejus deserere, si aliquid amaritudinis sentis in ventre.

CAP. LXXIX. *Quomodo Christus sit nobis lucerna.*

*Lucerna pedibus meis verbum (Psal. cxviii).* Lucerna lumen in testa; lumen in vase, divinitas in humanitate. Vas humanitas, lumen divinitas. Vita via, tenebræ ignorantia. Præcessit Christus ferens lucernam; sequitur Christianus tenens exempli semitam. Proposuit humanitatem lucentem; ex divinitate extulit lucernam, ut videamus fide, ambulemus operatione, dirigamur imitatione præcedentem unum multi sequentes.

CAP. LXXX. *Oculi bonorum quomodo sint ad Dominum, etc.*

*Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum (Psal. cxxxii).* Ubi baculus, ibi oculus. Servus enim est, qui timet flagellum. Oculus filii ad faciem. Oculus servi ad manum. *Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

CAP. LXXXI. *Bonum, et jucundum simul quod sit.*

*Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (Psal. cxxxii).* In hoc mundo quædam

bona sunt, sed jucunda non sunt; et iterum quædam bona sunt, sed bona non sunt. *Bonum, et jucundum est habitare fratres in unum*, hoc est charitas. In uno animo, non in uno loco. Nam loco unum esse, et animo non esse, pœna est. Animo non loco bonitas; loco, et animo felicitas. Prima unitas est, ut membra capiti cohæreant; secunda, ut ab se invicem non recedant. Ex prima vivunt; ex secunda unum sunt.

**A CAP. LXXXII. Quare Dominus judicium suum in finem servavit.**

*Dominus judicabit fines terræ. Dominus judicium suum in finem servavit, ut compleatur justitia (I Reg. II).* Non est in judicio hominis justitia consummata, et idcirco judicium hominis præcedit, ut probetur homo, deinde subsequitur judicium Dei, ut remuneretur. Si totum judicaret homo, non haberet judicium Deus.

## LIBER TERTIUS.

### ADNOTATIONES IN SCRIPTURAM, SERMONES, SERMONUM FRAGMENTA, ETC.

**TIT. I. De consequentibus sacramentum baptismatis.**

In transitu Jordanis (notanda sunt quæ dicuntur) *festinavit populus et transiit Jordanem (Josue IV)*, quia nobis ad baptismum venientibus non est segniter agendum, sed festinandum, et perurgendum, ut transeamus universa. Transire enim est omnia adimplere quæ mandantur. Primo quod scriptum est, ut simus *beati pauperes spiritu (Matth. V)*, inde ut esuriamus et sitiāmus justitiam (*ibid.*), sed neque tunc standum, sed transeundum, ut in hoc mundo lugeamus, etc. quæ sequuntur: *Assequamur, quousque filii Dei etiam persecutionis pondera transeamus.* Notandum autem quod dicitur. *Accincti transierunt (Josue III).* Ne forte negligentius incedentes aliquo lapsu effundantur gressus nostri. Sollicitudo enim non minor in servandis quam in congregandis debet esse virtutibus. Hoc autem cingulum sit veritas: quia si falsum loquimur discingimur a militia Christi et haltheo veritatis exsolvimur. Nota propterea quod addidit Scriptura *Accincti in spiritu Domini*, quia non sufficit apud homines servare veritatem nisi et apud Deum servaveris, ut sit in lingua sitque in corde ut Deus aspicit. Hoc cingulo expugnatur Jericho post transitum Jordanis. Ad pugnas enim transimus: quas non in alio campo quam cordis nostri quæramus, de quo, juxta Evangelium, *procedunt cogitationes malæ, homicidia, furta, et cætera peccata (Matth. XV)*. Vides quantus exercitus contra te exit? Exeamus ergo ad hoc bellum, ut oppugnetur a nobis prima hujus mundi civitas malitiæ, et superba ejus mœnia destruantur etiam usque ad internecionem, ut non sit quod in nostris cogitationibus redivivum erumpat vel respiret. Tuncque per Jesum dabitur illa requies vincenti sub vite et sub ficu ejus ut non sit qui exterreat. Et post hæc sit cultro lapideo secunda circumcisio, ut quis recedens a lege et prophetis veniat, et in Evangelio secundam circumcisionem per petram Christum accipiat, et compleatur quod dictum est a Deo; *Hodie abstulit opprobrium Ægypti a filiis Israel (Josue V)*. Opprobria Ægypti sunt vitia et peccata illecebrarum carnis et animæ. Ubi autem datur secunda circumcisio,

relictis non solum corporalibus, sed et spiritualibus vitiis, submota sunt opprobria Ægypti, ut jam non sit Ægyptius nec Judæus, sed Christianus et membrum Christi. Si ergo concupiscentiæ pulsat illecebra, occurre huic hosti de tua carne nascenti, et dic: Non sum meus. Emptus sum pretio sanguinis Christi et membrum Christi factus. Non licet mihi tollere ejus et facere membrum meretricis (*I Cor. VI*). Atque dicas cum sancto Idumeo: *Pepigi cum oculis meis, ut nec etiam cogitarem de virgine (Job. XXXI)*. Hoc enim est unum de opprobriis Ægypti, ut ita purificati corde et corpore, caventes maculam etiam illius corporis quod est Ecclesia (quia per unum membrum contaminatum per totum corpus diffunditur macula) puris manibus, labiis et mentibus, glorificemus Deum. Cui est honor et gloria in sæculorum sæcula.

**TIT. II. De totius mali circumcissione, et de triplici cibo Israelitis dato.**

Circumcisi filii Israel secundo requieverunt in eodem loco quousque sanarentur (*Josue V*). Non enim sufficit circumcidi a malo operum et cogitationum abstinendo, nisi prius usquequaque vitiis purgati virtutumque opera sumentes etiam cicatricum indicia obducendo sanemur. Postque hæc jam dicatur quod ablatum est opprobrium Ægypti, et decima quarta die celebretur Pascha, quod immundus et incircumciscus non potest, et comedant fructum palmarum. In quo notentur tres species ciborum filiis Israel datæ. Prima exantibus de Ægypto, farina conspersa aqua. Secunda in deserto, manna de cælo. Tertia in terra sancta fructus palmæ. Prima et incipientium per pœnitentiam. Secunda proficientium per Eucharistiam. Tertia est perfectorum et beatorum et per gratiam quibus Christus filius Mariæ in præmium et fructus victoriæ, id est æterna beatitudo in hostium exhibetur triumphum.

**TIT. III. De tubis sacræ Scripturæ, et quod ejus attempta lectio mundi pariat contemptum.**

Jericho quæ tubis obruitur sacerdotum (*Josue VI*), mundus est. Jesus ergo Nave veniens, id est Christus, in carne apparens, mittit apostolos portantes tubas ductiles, prædicationis scilicet magnificam

cœlestemque doctrinam, quorum primi sunt Matthæus et Marcus, Lucas et Joannes; qui singuli singulis tubis cecinerunt. Petrus duarum Epistolarum tubis, Jacobus et Judas unius, Joannes trium, et novissimus ille qui dixit: *Puto quod nos Deus apostolos novissimos ostendit* (I Cor. iv), et qui in quatuordecim Epistolarum tubis muros Jerichontinos fulminavit, idololatriæ machinas et vitiorum muros diruens, ita ut tuba populus universus (secundum aliam translationem) ulularet jubilo magno in destructionem civitatis, cum jam universus mundus prædicationi assentiat, idololatriam relinquendo, *Beatus enim populus qui scit jubilationem* (Psal. lxxxviii). Quæ est quidam concordia et unitatis affectus; qui cum incidit in duos vel tres, quæcumque petierint præstat illis Pater cœlestis. Si vero tanta fuerit beatitudo, ut etiam populus concors maneat in eodem sensu et sententia, jubilet populus, et prorsus ruet civitas mundi. Sed et unusquisque debet hoc in seipso complere. Habes in te per fidem Jesum ducem, sacerdos est, nam genus regale sacerdotium sanctum. Fac tibi ductiles tubas de Scripturis (inde enim ductiles vocantur) et cane in ipsis, id est in psalmis hymnis, et canticis spiritualibus; et si sic cecineris tubis, et septies arcam circumtuleris, id est si legis mystica præcepta ab evangelicis non separaveris; si etiam jubilationis consensum exigas de temetipso, id est si cogitationum et sensuum tuorum populus qui intra te est concordem in bono proferat vocem; Jericho tibi destruitur, mundus destruitur, ut nihil de his quæ mundi sunt retineantur. Anathema enim esse perhibetur cum dicitur: *Custodite vos ab anathemate ne faciatis castra filiorum Israel anathema*. Quod Joannes Epistolæ suæ tuba personat dicens: *Nolite diligere mundum nec ea quæ in mundo sunt* (I Joan. ii). Qui enim ea quæ mundi sunt in Ecclesiam portant, polluunt castra Dei, et vinci faciunt ab inimicis, dicente Apostolo: *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (I Cor. v). Videamus quale sit furtum anathematis (Josue, vii). Lingua [vulg. regula] aurea poetarum est lectio, quæ modulatis versibus et præfulgido sermone deos deasque contexit. Lingua aurea quam posuit in tabernaculo suo et [ducentos siclos argenti] puta [pura] dextralia, hujus eloquentiæ suavitatem, ne introducas in tabernaculum cordis tui. Lingua enim aurea ne efficiaris sicut Basilides et Valentinus, sed neque puta dextralia, id est sola opera quibus nihil miscetur divinum, sed totum secundum hominem geritur. Item propter peccatum anathematis, ii qui habitabant Hai plurimos ex Israel interemerunt. Sed adversus hunc veniens Jesus Nave dividit populum in duas partes; sic quod primis fugientibus et post in hostes medios resilientibus eos hinc inde occidit, et regem Hai gemino ligno suspendit. Hai interpretatur *chaos*, quod est habitaculum dæmonum; quorum rex Zabulus, a quibus (quoniam peccavimus) victi et prostrati sumus; sed veniens noster Jesus populum duas in par-

tes dividit. Duæ partes Judaicus et gentilis populus, de quibus Apostolus: *Gratia et pax omni operanti bonum; Judæo primum et Græco* (Rom. ii). Judæus quasi anterior videtur fugere, cum a legali onere et Sabbati recedit observantia. Verum in hostes revertitur cum per observantiam Evangelii in sequentes insurgit. Populoque posteriori, id est gentili quasi a tergo persequente malignorum exercitus conteritur, et rex eorum Zabulus gemino ligno suspenditur a Jesu, cum in ligno crucis, quæ gemina fuit, juxta Apostolum, de diabolo triumphavit, illum cruci affligens. Crux siquidem Christi ligno gemina fuit; et ratione constat duplici. Quia visibiliter Filius Dei crucifixus est, invisibiliter in ea Zabulus affixus. Prima, qua, juxta Petri vocem *Christus crucifixus est, nobis relinquens exemplum* (I Petr. ii); secunda qua crux illa de diabolo trophæum fuit. Hanc duplicem crucis rationem Apostolus ostendit dicens: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (Galat. vi). Duo sibi contraria dicit crucifixus, se justum, et mundum peccatorem. Mundo autem crucifigimur, cum nihil in nobis invenit; mundus nobis, cum peccata non recipimus.

Tit. IV. *De altari ex lapidibus constructo et Deuteronomio in eis scripto.*

Post eversionem Hai, ædificat Jesus altare, juxta illud quod fecit Moyses ex lapidibus (Josue, viii), scilicet integris, quibus non est injectum ferrum, quia post subversionem dæmonum et vitiorum efficitur ex multis inægris, quia sine vitiorum corruptione sunt, quibus non est injectum ferrum: id est, qui jacula maligni ignita concupiscentiæ non ceperunt, unum altare, propter unanimitatem, unum altare quia in eo quasi in quodam altari offertur holocaustum, quantum ad eos qui se totos manciant divinis obsequiis, et sacrificium, quantum ad eos qui licet adhuc in sæculo utantur licitis, tamen abstinere ab illicitis. Scripsitque super lapides altaris Deuteronomium, id est secundam legem. Si vis videre quomodo prima lege infirmata secundum scribat Jesus, audi ipsum dicentem: *Dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui irascitur fratri suo, homicida est. Dictum est antiquis: Non mæchaberis. Ego autem dico vobis, quod omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam jam mæchatus est in corde suo. Dictum est antiquis: Non perjurabis. Ego autem dico, nolite omnino jurare* (Matth. v). Vides quomodo Jesus scribat secundam legem in lapidibus, non in lapideis, sed cordis tabulis; non atramento, sed spiritu Dei vivi.

Tit. V. *De Chananæi triplici statu.*

*Quis ascendet ante nos contra Chananæum, etc.* (Judic. i.) Tripartita invenitur Chananæi narratio. Primo in Ephrem sub tributo, donec veniens Pharaon incederet civitatem et Chananæum occideret, et in dotem daret filia. Secundo, ubi invaluerunt filii Israel, fecerunt Chananæos subditos et servos, sed exterminatione non exterminaverunt. Tertio dicitur

filiis Ephrem, inter quos prius erant tantum sub tributo, ut exterminarent eos. Chananæus igitur, qui *mobilis et incertus* interpretatur, caro nostra est, semper nobiscum quantumcunque fructificans. Ephrem enim *fructificatio* interpretatur. Hæc igitur movetur contra bonos fructificare incipientes, quia omnis qui pie vult vivere persecutiones et a carne et a mundo et a diabolo patitur (*II Tim. III*), quia caro primo est sub tributo tantum, quia ministerium quoddam agendi animæ tribuit, et nisi eam subiciat, verendum ne Pharao et civitatem, id est animam, et Chananæum, id est carnem, occidat, et filix suæ, id est legi peccati in dotem præscribat. Secundo itaque invalescentes filii Israel illum servum et obedientem faciunt, cum caro voluntati animæ servit et obedit. Licet repugnet, quando pugnat adversus spiritum, exterminatione non exterminatur. Si autem tertio ex præcepto Jesu, juxta Apostolum, mortificamus membra nostra, fornicationem, immunditiam et cætera, ut jam non resurgant contra nos, mortem Christi in corpore nostro circumferentes, exterminari prorsus dicitur Chananæus. Procuremus itaque Chananæum qui nobiscum est subicere nobis, et obedientem facere, et etiam exterminare, quia, si negligimus, veniet Pharao ex Ægypto, nostrumque locum dabit filix, legi scilicet peccati. Absit ab Israelitica tribu, ut quam Deus eduxit ab Ægypto iterum serviat Pharaoni, quem submersit in mari Rubro! Prævaleamus contra Chananæum, ne si ipse invaluerit, de Israelitis nos faciat Chananæos, sicut ille effectus est cui superato carnis illecebra dicitur: *Semen Chanaan, et non Juda species decepit te (Dan. XIII)*. Sequitur: *Maledictusque Chanaan puer.*

**TIT. VI.** *Judicem Ecclesiæ non semper gladio, id est austeritate, sed interdum parte aratri, id est lenitate, in subditos uti docere.*

Aol, ambidexter, nihil habens sinistrum, gladio femore dextro accinctus, principem Moab occidit. Sangar vero, filius Anath et succedens, vomere ceustiva, id est, pede aratri interfecit allophylos (*Judic. III*). Docet per hæc Scriptura, ut judex Ecclesiæ non semper proferat gladium, et acumine correctionis utatur et austeritate: sed aliquando aratro animæ terram sulcans, et clementi commotione rescindens aptis eam suscipiendis seminibus parat. Sæpe enim non minus agresti et simplici admonitione de animis auditorum vitia tanquam Allophyli depelluntur, quam acri correctione. Sed et tu ipse auditor utere hoc aratro, factus agricola tuæ animæ, et cum ad illud miseris manum, ne aspicias retro.

**TIT. VII.** *De Madianitarum expugnatione et de vellere Gedeonis et rore ejus, etc.*

Madianitæ ad expugnandum Israel castra ponunt in valle Jezrael (*Judic. VI*). In valle quoniam ad eos qui sunt in montibus non audent accedere Madianitæ qui interpretantur *extra judicium*, id est, dæ-

mones qui jam judicati sunt. In vallem autem Jezrael quæ interpretatur *semen Dei*. Non enim sunt austire ubi sunt fructus, sed tantum semen, quo fructus nondum ascendit. Contra eos Gedeon pugnaturus post signum velleris compluti et deinde areæ Deum consuluit. Ros primum in vellere, divinum est verbum in Judæa, in lege scilicet et prophetis; post in area, id est gentilitate, in apostolis videlicet et Evangelio. Unde *descendit sicut pluvia in vellus Judæorum, et sicut stillicidia super terram gentilium (Psal. LXXI)*. Gedeon vellus expressit in concham et replevit eam rore. Hic est Salvator qui de vellere legis et prophetarum aquam verbi ponit in pelvia, quasi rorem cælestis gratiæ, ut lavet pedes discipulorum, unde dicit: *Vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis (Joan. XV)*. Sed et nos si præbeamus Domino pedes nostros, id est pedes animæ nostræ, paratus est ipsos lavare gratia Spiritus sancti, verbo doctrinæ, et dicere: *Lavi pedes vestros, ut et vos ita faciatis (Joan. XIII)*. Accipiamus vero aquam de fontibus Israel, et exprimentes eam de vellere librorum Regum, Judicum, et cæterorum: mittamus eam in pelvim prius animæ nostræ concipiendo sensum in corde; deinde acceptis pedibus fratrum nostrorum, in quantum valemus, lavemus pedes animarum eorum, Domini complentes mandatum ut in verbo doctrinæ purgentur auditores a sordibus peccatorum; et mundos habeant pedes, quibus recte ingrediantur ad præparationem Evangelii pacis, cum omnes Deus simul in Christo purificat per verbum Dei. Non abjiciamur de thalamo sponsi pro sordidis indumentis; sed candidis vestibus, lotis pedibus et mundo corde recumbamus in convivio sponsi nostri Jesu Christi. Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

**TIT. VIII.** *De trecentis qui bibentes aquam flavalem non curvaverunt genua.*

Post acceptum signum, in quibus vicerit Gedeon noster videamus. In illis enim vicit qui ducti ad aquam probantur, qui non curvant genua ut bibant, sed lambunt manu vel lingua (*Judic. VII*). Nam qui venientes ad aquam baptismi vel pœnitentiæ procidunt in terram, terram requirendo, flectunt genua et tentationibus cedunt, demissas habentes affectiones et soluta genua et non rectum facientes gressum in semitis suis, ab hac pugna repelluntur et victoria. Qui vero stant et iterum, juxta commotionem Apostoli, non hærent iugo servitutis, sed aquam manu et lingua lambunt, id est sicut milites Christi, verbo operantur et manu, quod dicunt opere adimplentes. Ex hoc sicut canis, qui amorem domini sui usque ad mortem servat, nullis reffectus injuriis. Laternis et lampadibus ac buccinis hostes vincunt. Claris siquidem operibus et verbis id peragendum. Et similitudo hostium sumitur a similitudine locustarum. Locustis enim dæmonum comparatur multitudo, quibus nec in cælo nec in terra sedes est.

TIT. IX. *De septemplici lepra superbæ humanæ.*

Eliseus Naaman leprosum septies in Jordane mergi præcepit (*IV Reg. v*). Septempliciter enim occupat nos lepra superbæ : in proprietate possessionum, in gloria vestium, in voluptate corporum, in ore dupliciter, in corde dupliciter. A prima igitur qua divites esse volumus in hoc sæculo mundatur in primo descensu Jordanis, qui descensus interpretatur. In descensione enim Christi, id est in humilitate conversationis ejus, qua cum esset dives factus est pauper, si quis mersus viderit quod ille non habuit ubi caput reclinaret, quando quæreret divitias sæculi hujus. A secunda lepra quæ est vestium, in qua omnem pomposam sæculi vanitatem intelligimus, in Jordanis emersionem mundatur, ubi invenimus Christum vilibus pannis involutum, factum opprobrium hominum et abjectionem plebis. A tertia quæ est corporis lepra, mundatur in ipso Jordane, si bene cogitantes Dominicam passionem, erubescimus sequi corporis voluptatem. A duplici lepra oris, quæ est quarta et quinta, quæ in adversis murmuris verbis tanquam lepræ sanien educimus, et in prosperis jactantiæ malum, tanquam alterius lepræ putredinem contrahimus, in Jordane mersi mundamur, cum illum attendimus qui cum *æquam ovis ad occisionem duceretur non aperuit os suum* (*Isa. LIII*). Et imitamur eum qui non quærebat gloriam suam (*Joan. VIII*). Unde et dæmonibus imperabat ne ipsum Filium Dei vocarent (*Matth. VIII*). In corde quoque duplex est lepra, propria scilicet voluntas quæ nec Dei voluntatem nec proximi sequitur utilitatem. Eaque tripliciter peccat, volens scilicet Deum vel non posse, vel nolle, vel nescire peccata sua punire, et ita vult Deum non esse, cum eum vult aut impotentem esse, aut injustum, aut insipientem. Ab hac immundissima lepra levamur loti in Jordane, cum eum imitamur qui non venit facere voluntatem propriam, sed ejus qui eum miserat Patris, nec suum proprium consilium, quo obstinatus aliorum non acquiescit consilio, unitatem dividit, pacem scindit charitatis expers est. Hac lepra suffusus homo lavetur in Jordane, attendens quomodo magni consilii Angelus consilium, quo in medio doctorum eos audire et interrogare elegerat, consilio matris et patris cæterorumque parentum subditus illis postposuit (*Luc. II*).

TIT. X. *De septemplici humilitate Christi.*

In Jordane, id est in descensu humilitatis Christi qui septemplicis virtutis est, septies si lavaberis, mundaberis. Prima virtus fuit quod dives pauper factus est; secunda, quod paupertati extremitatem adjecit in præsepio positus; tertia, quod matri erat subditus; quarta quod servi manibus bodie inclinavit caput; quinta quod discipulum furem et proditorem pertulit; sexta, quod tam mansuetus ante iniquum judicem stetit; septima quod pro persecuentibus se oravit. In hoc Jordane septies lavaris quasi quibusdam vestigiis, licet longe gigantem secu-

tus; si paupertatem diligis, si inter pauperes extremitatem diligis, si monasterii subditus es diciplinis, si minorem ibi præesse tuleris, si falsos fratres æquanimiter pateris, si mansuetudine vincas cum judicaris, si charitatem rependas a quibus jure pateris. Hoc est secundum baptismum in quo impletur veritate quod in unico sit specie, quod mortem Christi iterat, sed mortificationem et sepulturam criminum instaurat. Qui in hoc lavatur, mundatur, ut sit cor et caro ejus sicut pueri habens intus innocentiam mentis, et foris puritatem in membris.

TIT. XI. *De agrotatione Ezechie regis et ejus curatione morali.*

Ægrotavit Ezechias usque ad mortem, etc. (*Isai. B xxxviii*). Ægrotat Ezechias, dum quilibet peccat. Ad eum intrat propheta et dicit : *Morieris tu et non vives, dispone domui tuæ* (*Ezech. xviii*), cum sermo intrans ad mentem peccantis ait : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ibid.*). *Omnis arbor quæ non fecerit fructum bonum excidetur*, etc. (*Matth. III*). Et ideo *dispone domui tuæ*, id est ordina conscientiam tuam. His compunctus ad parietem faciem vertit, quando murum peccatorum, qui struitur, cum peccata peccato adduntur, quique inter peccatorem et Deum separat; præ oculis ponit; quem prius quasi a tergo, cum ea non curaret, habuerat; et illum diruendum tentat, quod ſectibus quasi tot icibus pulsat. Sicut negligentem mortem intentaverat, ita idem propheta vitam promittit cum ait : *Quicumque peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor* (*Ezech. xxxiii*). Et : *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat* (*Ezech. xviii*). Non qualemcunque vitam, sed quindecim annorum. Quindenarius in se continet septenarium, qui propter Spiritum septiformem sacratum est numerus, et octonarium qui post resurrectionem futuram figurat quietem. Hanc vitam promittit propheta, dum interrim perfectam justitiam per septiformem Spiritum in futuro plenariam corporis et animæ reparationem conversis Scriptura proponit. Tunc quia in signum per decem lineas sol revertitur, qui per observationem decem mandatorum Deus recuperatur, cujus umbram quasi tot lineis acceperat quot peccatorum tenebris mandata violaverat. Ad nos ergo cum agrotamus intret propheta, verbisque ipsius compuncti convertamus faciem mentis ad parietem peccatorum nostrorum, ac illum juxta prophetam qui ait : *Fode parietem et vide abominationem* (*Ezech. VIII*), lacrymis perforemus dicentes : *Lavabo per singulas noctes lectum meum* (*Psal. VI*). Quasi dicat : Destruam per singulos lapides parietem meum. Hoc autem per humilitatem quam Deus in penitentia maxime requirit debet fieri. Disputat enim Salomon a cedro quæ est in Libano usque ad hyssopum qui nascitur in pariete (*III Reg. IV*). Cedrus, qui imputribilis est et cæteris fere arboribus procerior, justus est qui nec hic per vitia, nec in futuro computrescit per tormenta, et qui ad cælum ex-

tensus dicere potest : *Nostra conversatio in caelis est* (Philipp. III). Hyssopus herba humilis quæ purgat et tumorem deponit, humilitatem significat ; quæ vitia purgat, superbiam abjicit. Salomon igitur noster a cedro usque ad hyssopum qui nascitur in pariete disputat, quia sermo Dei ab innocentia justitiaque, ad pœnitentis usque pertingit humilitatem ; quæ nascitur in peccatorum constipatione. Pœnitenti autem qui non nisi Deo confortante convalescit, regis nomen est Ezechiæ, qui interpretatur *confortavit Dominus*.

Tit. XII. *De missione ad Sehon, id est diabolum, et qui sint filii ejus, et quæ sit via regia per quam nobis transeundum est.*

*Misit populus ad Sehon regem Amorrhæorum dicens : Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam, etc.* (Num. xx). Sehon interpretatur *tentatio*, et ideo diabolum significat, qui quotidie nos tentat. Rex autem dicitur, quia ipse *rex est super omnes filios superbix* (Job xli). Quid enim prodest dicere quod Christus est princeps noster, si rebus et operibus arguamur quod diabolus principatum habet in nobis ? An non palam est sub quo principe agat avarus, impudicus etc. In quo Christus principatum gerit, vitia non habent locum. Nos itaque sumus qui ad istum regem mittimus, ut per terram ejus transeamus ad terram sanctam. Recordetur unusquisque nostrum cum primum venit ad aquas baptismi, et postea ad professionem ecclesiasticam quomodo hæc omnia fecerimus, et denunciaverimus, diabolo nos moram non facturos in terra ejus, nec declinatos in vineam vel agrum ipsius, id est neque ad sensus diabolicos neque ad opera ejus, non aquam bibere de lacu ipsius, id est diabolicum sapere, sed de fontibus Israel. Et transituros via regia, id est omnibus pompis ejus, abrenuntiando per illam viam regiam incessuros quæ ait : *Ego sum via et veritas et vita* (Joan. xiv). Unde hoc magis incitat regem, quod diximus nos cum eo nolle morari. Unde sequitur. *Qui statim contra Israel congregat exercitum suum*, id est omnium vitiorum spiritus. Sed quid fecit Israel : *Venit in Lasa (Snar)*. Lasa interpretatur *mandati adimpletio*. Si venimus nos ad istum locum ut impleamus mandata, etiam si cum omni exercitu veniat contra nos Sehon, si omnes suos et dæmones et homines adversum nos exercitet, superamus eum, et omnes virtutes ipsius calcamus, juxta illud : *Ecce dedit vobis potestatem calcandi super scorpiones, et super omnem virtutem inimici ; et nihil vobis nocebit* (Luc. x).

Tit. XIII. *De quadruplici lucta et supplantatione Jacob.*

Jacob erexit lapidem in titulum (Gen. xxviii). Quater luctatus est Jacob : Cum fratre adhuc in utero, in adolescentia cum eodem in domo, in Mesopotamia cum Laban socio suo, et ad ultimum cum angelo in Bethel. Primo supplantationis exercitio, secundo supplantationis consilio, tertio, contentionis jurgio, quarto nocturnæ visionis somno.

A Jacob igitur quater luctatus quaterque in lucta vincens hominem virtutibus fortem significat, qui quatuor genera tentationum exsuperat. Hæc sunt vires leonum in tribulationibus : venena draconum in hæresibus, leporina suavitas in carnis motibus, vulpina dolositas in falsis fratribus. *Lapis erectus*, Christus est *de monte sine manibus excisus*, in montem exsurgens magnum (Dan. II), mirabilis factus medius lapis inter utrumque parietem. Huic inseritur titulus *Em, ma, nu, el* in quatuor angulis : quod interpretatur *nobiscum Deus*. Quia quatuor modis nobiscum est Deus, per præsentiam majestatis, per participationem humanitatis, per vinculum charitatis, per patrociniū veritatis. In primo cognoscit mala nostra, in secundo expertus est ea, in tertio compatitur confratribus, in quarto adest ea : et est Emmanuel, nobiscum Deus. Et ut scires quis Deus dixerit in secunda quadratura per quatuor dictiones in quatuor angulis disposuit, *Deus admirabilis, consiliarius, fortis*, quia quatuor sunt quibus operatur Deus in nobis : Justitia in gloriosa bonorum retributione, in eo quod Deus dicitur ; potentia in æterna malorum damnatione, in eo quod admirabilis ; sapientia in integra rerum cognitione, in eo quod dicitur consiliarius ; patientia in necessaria malorum persecutione, in eo quod dicitur fortis. De primo dicitur : *Justus Dominus et justitias dilexit* (Psal. x), bonos remunerando ; de secundo : *Magnus Dominus et magna virtus ejus* (Psal. cxlvi), malos puniendo ; de tertio : *Cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur*, omni revelata cogitatione ; de quarto : *Sicut ovis ad occisionem ductus est* (Isa. LIII), in objecta contradictione. Sed licet in secundo diffinitionem posuerit, quia sine nomine rerum cognitio perit, in tertio latere titulum inscripsit : *Hia, he, vau, hel*, quod est tetragrammaton, quia quatuor sunt quadrantes Verbi, id est prædicationis homini Salvatoris nostri. Primus, quia corde debemus credere ; secundus, quia quod credimus confiteri debemus ore ; tertius, quia quod confitemur, implere debemus opere ; quartus, quia quod impleverimus, non cessemus edocere. Est igitur primus in corde per conceptionem, secundus in ore, per confessionem, tertius in opere, per exhibitionem, quartus in doctrina per prædicationem. Primus justificat, *quia corde creditur ad justitiam* (Rom. iv) ; secundus salutem præstat, *quia ore confessio fit ad salutem* (ibi l. ; tertius æternitatem donat, quia bonum opus cretum reserat ; quartus gloriose coronat, quia doctrina meritum accumulatur. Quarto titulus inscribitur per quatuor nomina : Deus, spiritus, caro, mundus, quia hi quatuor vicissitudine quadam in se mutuo debitores inveniuntur. Deus debet spiritui, ut cum et cognitione veritatis illuminet, et amore virtutis inflammet. Spiritus debet Deo in iis omnibus quæ agenda sunt ab ipso erudiri, et secundum ipsum quæ potest operari. Spiritus vero debet carni ut eam a malis cohibeat, et in bonis agendis exerceat. Caro debet spiritui in bono agendo ministerium, et ia

commodo agendo, appetendo modum. Caro quoque A debet mundo quod necessitatis est ab eo sumere, quod virtutis est exercere. Mundus debet carni in necessitate subsidium, in exercitatione incitamentum.

TIT. XIV. *De altari æneo et oblati super ipsum.*

*Sub altari æneo est fovea habens ignem perpetuum: ante quod immolantur carnes animalium (Levit. xvi).* Altare, obedientia; æneum, quia ea adeo est fortis, ut neque mors, nec vita ab ea separet; sub quo est fovea humilitatis habens ignem charitatis, ante quod immolantur taurus, aries, hædus: taurus superbiens, aries lasciviens, hædus fetens. In tauro superbia, in ariete ira, in hædo luxuria. Ante hoc altare taurum immolamus, cum per humilitatem superbiam domamus: quod necessario fit in anima antequam perfecta insit obedientia; arietem et hædum, cum per patientiam iram refrenamus, et per castitatem luxuriam restringimus. Et hæc fiunt in anima, antequam perfecta insit obedientia.

TIT. XV. *Quod sacerdotum Domini pars sit Domini; sacerdotum Pharaonis, terrena possessio.*

Sacerdotibus Pharaonis terra relinquatur a Joseph, Dominus autem suis non concedit, sed aufert, dicens: *Ego sum pars vestra (Gen. xlvii).* Observate vos, Domini sacerdotes, et videte, quia qui habent potestatem in terra, et terrenis actibus et cultibus student, non Domini, sed Pharaonis sacerdotes videntur. Festinate transire a sacerdotibus Pharaonis ad sacerdotes Domini, quibus non terra Domini, sed ipse Dominus portio est. Conveniat conscientiam suam, et interna ratione se discutiat, an Deo, an Pharaoni deserviat: Cui servire est dæmonibus subditum esse, et vitiis et desideriis carnalibus.

TIT. XVI. *De veste non mutanda, et moribus non simulandis per hypocrisim.*

*Non induetur vir veste feminea, nec femina virili, quia talis abominabilis est apud Deum (Num. xviii; Deut. xii), in quo non vestis mutatio, sed virtutis simulatio hominem facit abominabilem.* Hypocrita enim se justum fingens, cum sit viribus et voluptatibus femina, veste induitur virili; foris ovis intus lupus, vir quoque sanctus, si eam mollitiam quæ intus non est foris ostendit, femineo utitur indumento.

TIT. XVII. *Testimonia tria sanctorum in confirmationem fidei Christianæ.*

*Testimonia tua credibilia facta sunt nimis (Psal. xcii), scilicet in martyribus.* Tria sunt in quibus sancti plurimum contulerunt Christianæ religioni, documentum, testimonium, exemplum: documentum prædicationis, testimonium confessionis, exemplum passionis. Quia tria maxime exiguntur, fides, spes, charitas documentum prædicationis plurimum contulit ad fidem ædificandam; testimonium confessionis, ad spem erigendam; exemplum passionis, ad charitatem excitandam

TIT. XVIII. *De duplici circumcissione necessaria iis qui canticum novum Domino cantare volunt.*

*Inmisit in os meum canticum novum (Psal. xxxix).*

Et alibi: *Cantate Domino canticum novum (Psal. xcvi).* Ut innovari et canticum novum cantare valeamus necesse est ut duplici circumcissione muniamur, sicut de populo antiquo legitur quod bis fuerit circumcissus. Circumcidamur duplici circumcissione carnis et mentis, sicut dicit Apostolus: *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus (Rom. xii).* Circumcisio carnis in tribus consistit, habitu, actione et sermone. Et quia ista tria in exterioribus perpenduntur, ad carnis circumcissionem pertinere dicuntur. Caveamus in habitu esse notabiles, in actione reprehensibiles, in sermone contemptibiles. Quod erit, si unumquodque istorum triplici qualitate formabitur: Actio puritate, pietate pudicitia. Debet actio esse pura ut munditiam exhibeat; pia, ut misericordiam redoleat; pudica, ut nec Deum nec proximum lædat. Sermo autem debet ornari veritate, utilitate, humilitate. Veritate sine furo simulationis, et admistione falsitatis; utilitate, ut auditores ædificet; humilitate, ut venustate rhetorici ornatus non turgescat. Si in hunc modum ornati fuerimus, nec in habitu, nec in sermone, nec in actione notabiles erimus. Ecce quomodo circumcisio carnis debeat fieri, et in quibus partibus subsistat. Circumcisio autem mentis in tribus consistit: Cogitatione, affectione, intentione. Cogitatio in memoria tanquam in arca versatur; memoria enim arca est qua servare debemus quæ prompta habere volumus. Ejus autem ministra est cogitatio, quæ inducit quæcunque in eam inducuntur, et educit quæcunque educuntur. Si quid autem inducatur inhonestum, surgat recordatio nostræ professionis, et revocemus ad memoriam quod clerici sumus, id est promissores castitatis, cultores justitiæ in numerum levitarum assumpti, ut Deo grata offeramus sacrificia. Si hæc sacrificia obtulerimus, quidquid inordinatum cogitatio induxerit, repellatur. Item si affectio velit aliquid turpe inmittere contra honestatem, occurrat memoria cælestis patriæ, ubi vita sine morte, lux sine nube, dies sine nocte, pax sine fine; ubi laudabilis numerus angelorum, chorus apostolorum, exercitus martyrum, cætus confessorum et virginum. Item si intentio aliquid contra rationem molitur inducere ut Deus excludatur, diabolus inducatur, occurrat nobis timor gehennalis supplicii, reducatur ad memoriam timor ille ignis inexstinguibilis, ubi fames continua, sitis nunquam repellenda, frigidus et æstus intolerabilis cruciatus, et innumera vermium miseria, tenebrarum horror, dentium stridor, et sempiternus horror inhabitans. Prima ergo cogitanda, media complectenda, ultima sunt fugienda, ut sit cogitatio munda, affectio sancta, intentio pura. Ita circumcidi debemus carne et mente; et si ita circumcisi fuerimus et innovati, poterimus exsultare et cantare canticum novum quod nemo novit, nisi qui cantat.

TIT. XIX. *De Ziphæis David Sauli prodere conantibus, sicut electos morti conatur diabolus.*

Inter Ziphæos latitat David, a quibus proditur Sauli; sed Saul in manus David fugientis in speluncam

cam traditur (*I Reg. xxiii; xxiv*). Ziphæi, qui *flo-*  
*rentes* interpretantur, illos qui hodie florent et cras  
in cilibam mittentur significant. Inter illos latet  
David; sancti mundo mortui, quorum vita abscon-  
dita est in gloria. Saul est mors per quam diabolus  
significatur, cui a Ziphæis produntur sancti, dum  
eos laborant trahere in regnum mortis, qui potius  
dum in speluncam, id est corpora sanctorum, tur-  
pitudinis suæ vult suggestiones immittere, traditur  
in manus sanctorum, dum ab eis sua tentatione su-  
peratur.

**TIT. XX.** *De obsidione et expugnatione quadruplici  
Jerusalem moraliter.*

*Posuerunt signa sua, signa, etc. (Psal. lxxiii).*  
*Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutio-*  
*nem patiuntur (II Tim. iii).* Hinc Jerusalem civitas  
plena populo, domina gentium, princeps provinci-  
arum, sedet sola vidua sub tributo. Primo ab Assy-  
rius, secundo a Chaldæis, tertio ab Antiocho, quarto  
expugnata a Romanis. Jerusalem quadrifariam  
habet significationem. Prima, civitas ista terrena;  
secunda, Ecclesia Catholica. Tertia, fidelis anima;  
quarta, quæ sursum est mater nostra. Terrenam  
impugnant præfati homines. Secundam idololatræ et  
falsi Christiani. Tertiam vitia, peccata, dæmones.  
Hujus vitiiis expositæ, peccatis conculcatæ, dæmoni-  
bus oppressæ, obsidionem propheta deplorat dicens:  
*Posuerunt signa* specialiter Assyrius, Chaldæus, An-  
tiochus, Romanus. Assyrius interpretatur *dirigens*,  
in quo superbia notatur. Hic ponit duo signa arro-  
gantiam et præsumptionem. Chaldæus ferox, in quo  
inobedientia; et hic duo, factantiam et impatientiam.  
Antiochus contrarius pudicitia in quo fornicatio  
signatur; et hic duo, crapulam et ebrietatem.  
Romanus elationis sapor, qui est avaritia, hic est  
tanquam singularis ferus, qui ut omnia depascat,  
quinque signa ponit; rapiam, simoniam, ambitio-  
nem, libertatem culpæ, desperationem veniæ. Hi  
igitur spiritus vitiorum, principes tenebrarum cir-  
cumdant Jerusalem, id est animam, ponunt vexilla  
prædicta, portas custodiunt.

**TIT. XXI.** *De perfecta civitate et ei necessariis.*

*Exciderunt januas ejus in securi; et ascia de-*  
*jecerunt eam (Psal. lxxiii).* Supra de obsidione; hic  
agitur de ipsius civitatis subversione: Quatuor sunt  
ad perfectæ civitatis situm pertinentia. Prima sunt  
ad sanitatem, secunda ad firmitatem, tertia ad de-  
corem, quarta ad necessitatem. Sic etiam ad si-  
tum animæ ad sanitatem sunt mandata vitæ; ad  
firmitatem, exercitia disciplinæ; ad decorem, cha-  
rismata gratiæ, ad necessitatem, consilia gloriæ.  
Hujus civitatis prima janua seu porta est pœnitentia,  
ejus janitor compunctio. In hac porta servan-  
tur mandata. Secunda porta obedientia, janitor  
carnis mortificatio; hic inveniuntur exercitia dis-  
ciplinæ. Tertia janua constantia, janitor devotio;  
ibi sunt charismata gratiæ. Quarta puritatis emi-  
nentia, janitor gaudii cœlestis recordatio; hic ser-  
vat consilia gloriæ. Primam igitur portam oppugnat

amor sæculi, secundam amor sui, tertiam præ-  
sumptio, quartam elatio. Unusquisque habet se-  
curim et asciam. Amor sæculi venit cum securi,  
libertate scilicet peccandi, et ascia adulationis.  
Tunc pœnitentia frangitur, compunctio occiditur,  
mandatorum custodia auferitur. Dicit enim: *In for-*  
*titudine mea feci; et in sapientia intellexi. Neacio*  
*Dominum; et Israel non dimittam (Exod. v).* Amor  
autem sui accedit cum securi, id est petulantia  
carnis, et ascia ambitionis. Proh dolor! Dissipatur  
jejunium, conculcatur continentia, et silentium  
perimitur, et omne perit religionis exercitium.  
Dicit enim: *Omnia ad usum creata sunt. Coronemus*  
*nos rosis antequam marcescant; non nos prætereat*  
*flos temporis. Comedamus et bibamus: cras morie-*  
*mur (Sap. ii).* At præsumptio portam constantiæ  
aggreditur cum securi jactantiæ et ascia ineptæ  
lætitia. Tunc perit cœlestium clarismatum decor  
sermo sapientiæ, sal doctrinæ et divinæ revelatio-  
nis, et hujusmodi honor. Elatio tandem ad puri-  
tatis portam expugnandam accedit, cum securi  
presumptuosæ indignationis, et ascia gloriæ inanis.  
Heu! statim destruitur mentis puritas, paradisi  
calcantur fercula, sponsi et sponsæ disjunguntur  
oscula, et omnium gaudiorum dirumpuntur consi-  
lia. Tunc destruitur dilectio et auferitur contem-  
platio, ut vere de his dicat propheta: *Defixæ sunt*  
*in terra portæ ejus: perdidit et contrivit vectes ejus*  
*et omnia diripuit (Thren. ii).* *Servite, fratres, Domino*  
*in timore, et exsultate ei cum tremore (Psal. ii).* Quia  
si gloriamini contra Deum de consilii claritate,  
ipse est qui adducit consiliarios in stultum finem;  
si de judicii potestate, sequitur in stuporem; si de  
culmine sanctitatis, ducit sacerdotes inglorios; si  
de nitore eloquentiæ, doctrinam senum est aufe-  
rens. De his dicit per Amos prophetam: *Non erit*  
*fuga eis (Amos. ix), quoniam non est qui se abscon-*  
*dat a calore ejus (Psal. xviii).* Vereamini opera  
vestra, scientes quia nullatenus parcat delinquenti.  
Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scien-  
tiam, in scientia patientiam, in patientia frater-  
nitatis amorem.

**TIT. XXII.** *De multiplici visione.*

*Vidi Dominum sedentem super solium excel-*  
*sum et elevatum etc. (Isa. vi).* Tres sunt visio-  
nes: Prima a creatura mundi, de qua Apostolus:  
*Invisibilia Dei a creatura mundi etc. (Rom. i).* Se-  
cunda a puritate fidei, de qua idem: *Videmus nunc*  
*per speculum, etc. (I Cor. xiii).* Tertia a claritate Dei  
et sponsi, de qua idem: *Tunc autem facie ad faciem*  
*(ibid.).* Aliter prima visio est revelatio cum materia  
et forma, et fit sub specie angeli sanctis Patribus;  
secunda est inspiratio sine materia, sed cum forma,  
et fit suavitate unguenti sanctis mentibus; tertia,  
emissio sine materia et forma, et fit cum mentis  
excessu in sponsi amplexibus. In prima visione ani-  
ma fit solium, et excedit statum mundi; in secun-  
da excelsum, et excedit affectum suum et volunta-  
tem interiorum in contemptu sui; in tertia elevatum,

et excedit officium angeli et intellectum creaturæ, A et possibilitatem naturæ in amplexu sponsi.

**TIT. XXIII. De tribus hostibus, et de tribus apud Salomonem difficultibus.**

*Eduxi te de terra Ægypti, etc. (Mich. vi).* Egre-  
dientes de Ægypto Deus a tribus generibus hostium  
liberavit: In Ægypto ab Ægyptiis insequentibus, in  
medio ab Amalecitis, in ingressu terræ promissionis  
ab Amorrhæis occurrentibus. Sunt igitur genera  
hostium tria, a tergo, a latere, a facie. Primi in  
conversione; secundi in conversatione, quasi in  
medio; tertii in solutione carnis et animæ, et ita  
in fine. Hæc sunt illa tria difficultia apud Salomonem.  
*Via colubri super terram (Prov. xxx)*, id est, sug-  
gestio; *via navis in medio maris (ibid.)*, id est  
tentatio vitæ hominis super terram in amaritudine; B  
*via aquilæ in cælo (ibid.)*, id est intentio alicujus  
circa finem, scilicet contemplatio, qua in cælum  
pennis virtutum anima justi quasi aquila volat.

**TIT. XXIV. De septem sceleribus seu peccatis.**

*Super tribus sceleribus Gazæ et super quatuor non  
convertam illum (Amos. iii).* Septem sunt scelera:  
tria sunt in anima, quatuor in corpore. Tria in  
anima, superbia, vana gloria, invidia, provenientia  
ex corruptis tribus viribus animæ, dum rationalitas  
in superbiam, concupiscibilitas in vanam gloriam,  
irascibilitas vertitur in invidiam. Quatuor in corpore  
sunt: curiositas in oculis, loquacitas in lingua,  
crudelitas in manibus, voluptas in lumbis; nam  
cum homo constans ex quatuor elementis ab igne C  
lumen, ab aere verba, a terra corpulentiam, ab  
aqua naturalium percipiat humorum abundantiam,  
ex insolentia visus nascitur curiositas, ex levitate  
linguæ loquacitas, ex soliditate corpulentæ crudelitas.  
Unde bruta animalia, magis dedita corpori, magis  
sunt crudelia. Ex humore naturali, ut fluxus luxu-  
riæ. Sic itaque tria in anima, quatuor in corpore  
vitia tres et quatuor faciunt corruptiones, super  
quibus obstinatur, non convertitur peccator.

**TIT. XXV. Unus quis dicendus et quis plures.**

*Fuit vir unus (I Reg. i).* Unusquisque nostrum  
non est unus, sed plures. Quomodo unus est qui  
nunc læti, nunc tristes, nunc irati vultum, nunc  
lenis, nunc avari, nunc luxuriosi cor habet? Vides  
quomodo qui unus putatur non est unus, sed plures, D  
in quo tot personæ, quot mores, quia et secundum  
Scripturas *stultus sicut luna mutatur (Eccle. xxvii)*.  
Quæ cum sit una per substantiæ in mutatione  
semper alia a se est. *Unus* autem est, sed et omnes  
unus dicuntur qui imitantur eum qui vere unus est,  
idem permanens et invariabilis, non divisi per  
bina, non scissi per schismata, idem semper sa-  
pientes: nec solum unus sed et unum, sicut multi-  
tudo cui *cor unum et anima una (Act. iv)*. Hoc est  
de quo Apostolus: *Unus accipit bravium (I Cor. ix)*.  
Quia ergo justus per hoc quod non a se alter efficitur,  
unus dicitur: in laudem ejus dicitur: *Fuit vir  
unus de monte Ephraim, nomine Elcana (I Reg. i)*.

*Ephraim fructificatio, Elcana Dei possessio* dicitur.  
Qui enim unus est, non est de infimis sed de monte  
frugifero; et est possessio Dei, non dæmonis. Quæ  
siquidem possident dæmones, non est unus, sed  
multi; sicut et ipsi dicunt, in eo quem posside-  
bant, quod legio ei nomen est (*Marc. v*). Hic unus  
habet duas uxores (*ibid.*) Annam prius ste-  
rilem, post habentem talem filium, qui as-  
sistat Deo, Samuelem; et Phenennam multos filios  
habentem. Anna *gratia*, Phenenna *conversio* inter-  
pretatur. Unusquisque qui vult esse possessio Dei,  
istas duas necesse est sibi jungat uxores. Primam  
per fidem sibi gratia jungat quia sicut dixit Aposto-  
tolus: *Gratia salvi facti sumus per fidem (Ephes.*  
11); secundæ quoque, id est conversioni, jungatur,  
quia post gratiam credulitas sit mortum commen-  
datio et vitæ confessio. Iste est ordo nuptiarum;  
sed alius est procreationis. Phenenna quidem pri-  
mos filios parit, quia primos fructus de conversione  
et prima justitiæ germina de actibus procreamus.  
nisi enim ante convertamur malo, non poterimus  
de Anna, id est gratia, effici patres. Filii Phenennæ  
multi sunt, et, licet accipiant partes, non assis-  
tunt Deo quia multa sunt opera justitiæ in præsentem,  
pro quibus in futuro merces accipitur. Unde dictum  
est Marthæ: *Sollicita es, et turbaris erga plurima*  
(*Luc. x*). Sed non assistunt Domino quoniam hæc  
opera cessabunt. Prius ergo est converti a peccato,  
et fructus facere dignos penitentiæ, et post Anna,  
id est gratia suscitata per æmulationem boni, oratio-  
nibus illum gignit, qui Deo assideat et perseveret,  
de quo dicitur Mariæ quod *optimam partem elegit*  
*quæ non auferetur ab ea (ibid.)*. Filii enim gratiæ  
Deo vacat et verbo Dei. Et vocatur Samuel, quod  
interpretatur *ubi est ipse Deus*. Est enim vere Deus  
in tali filio Ecclesiæ, qui semper invocatur nomen  
ejus. Unde: *Moses et Aaron in sacerdotibus ejus;*  
*et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus (Psal.*  
xcviii).

**TIT. XXVI. De quatuor hominum ordinibus, et de triplici mundi loco.**

*Ignis comedit speciosa deserti, flamma succendit  
omnia ligna regionis, sed et bestię agri quasi arca  
sitiens imbrem suspexerunt ad te, quoniam exsiccati  
sunt fontes aquarum (Job. i).* In quibus verbis pro-  
phetæ quatuor hominum notantur ordines. Per  
speciosa deserti, religiosi; per ligna regionis,  
principes mundi; per bestias agri, populares; per  
fontes notantur prædicatores. Speciosa dicuntur  
religiosi, quia nihil Deo et hominibus speciosius re-  
ligione; ligna, principes, quia tanquam lignum ad  
protegendum alios sub ramis continent; bestię  
agri, populares, quia rationem quam ad servien-  
dum acceperunt postponentes, bestialiter vivunt.  
Fontes aquarum sunt prædicatores, quia verbi Dei  
fluenta continent. Per desertum, regionem et agrum  
mundus iste intelligitur. Unde religiosus desertum  
attribuitur, quoniam mundum deserentes quasi de-  
relicti esse videntur; ligna principibus, quia licet

altiores cæteris in hoc sæculo mentis radicem fixerunt; popularibus, ager, quia rurali operi totis mentibus intendunt. Ignis autem, qui inter ligna sæpe invenitur latere, speciosa deserti comedit, quando cupiditatum et vitiorum ignis religiosos intus occulte non publice succendit, quia, licet in aperta non audeant labi vitia et flagitia, intus tamen in eis vitiorum fornax ardet occulta. Flamma vero, quæ ex se lucem tribuit, principes succendit, id est divites hujus mundi Deum non timentes, ne homines reverentes, quia non latenter, sed coram oculis omnium peccant, et in seipsis ardent, et alios exemplo urunt. Bestiæ agri quasi area sitiens ad Deum suspiciunt, dum populares qui ad comparationem potentium, qui superius eminent, quasi area in bono sterilis jacent inferius, ipsaque suæ siccitatis ostensione eloquiorum Dei pluviam sibi esse necessariam etiam, ut ita dixerim, muti clamant: Audivimus speciosa deserti, id est religionis habitum gestantes ab igne comedi; ligna regionis, id est potentes aperta flamma succendi; bestiasque, id est homines in compositos, ipsa necessitatis evidentia pluviam desiderare. Hujus cladis causam audiamus: quia, inquit propheta, *exsiccati sunt fontes aquarum*, id est prædicatorum lingua tacuit, et intellectus arefcit, dum arenti ubere, aut contemnunt, aut nequeunt nesciuntque subditos lactare.

TIT. XXVII. *De tribus contemplativorum ordinibus, et de triplici terra scalæ Jacob.*

Vidit *Jacob scalam* (Gen. xxviii). Scala est generalis Ecclesia quæ ex parte militat in terris, ex parte triumphat in cælis. In hac varii sunt ordines graduum. Alii sunt incipientes, alii progredientes, alii pervenientes. Item ex istis quidam sunt in mola, quidam in agro, quidam in lecto. In mola sunt sectatores sæculi; in agro, doctores verbi; in lecto, amici sponsi. Hæc scala dicitur stare super terram; est autem triplex terra: terra quæ sub homine, terra quæ est homo, terra quæ supra hominem. Terram quæ sub homine est homo calcatur; terram quæ est homo homo portat; terram quæ supra hominem homo desiderat. De prima dicitur: *Domini est terra* (Psal. viii); de secunda: *Terra es et in terram reverteris* (Gen. iii); de tertia: *Si feceritis*

A TIT. XXVIII. *De sacerdotibus et prælatis, et triplicium officio.*

*Sederunt in terra, conticuerunt senes et custodes filie Sion* (Thren. ii). Vox est Jeremiæ lugentis desolationem Jerusalem, ex negligentia senum; Salvatoris quoque deplorantis ruinam Ecclesiæ, ex desidiosa custodia prælatorum. *Sederunt*, inquit, *in terra*. Triplex est officium sacerdotum, deambulare, sedere, docere: Deambulare de ove ad ovem, de morbida ad contractam, de contracta ad erroneam, de erronea ad valentem. Morbidam confortare, contractam consolidare, erroneam revocare, valentem debent conservare, ne incurrant illud prophetæ: *Quod contractum est non colligatis*, etc. (Ezech. xxxiv), sicut Christus docuit: *Ite*, inquit, *prædicate et ambulate super mare*. Debent etiam exemplo ejus in navicula sedere et docere de ea populum. Tres sunt autem gradus sedendi: primus minor et generalis, secundus major et particularis, tertius supremus et spiritualis. Primus est sedere super flumina Babylonis; secundus, ad mensam divitis; tertius, in navicula Simonis. In primo sedent fideles, in secundo juvenes, in tertio senes. Super flumina sedere est fluxum cupiditatum cohibere; ad mensam divitis, in sacræ Scripturæ meditatione persistere; in navicula Simonis sedere, prælationis in Ecclesia locum obtinere, et sicut Jesus verbo et exemplo populum docere. Illi autem contra quos propheta conqueritur contrarias habent sessiones. Cum enim deberent sedere super flumina Babylonis, sederunt super ollas carniæ; cum ad mensam divitis, cathedras quærunt in foro nugis intendentes; cum in navicula Simonis, in terra sedet, id est totum sacerdotale emolumentum convertunt in terrenam voluptatem. Notandum autem quod quidam in sua, quidam in aliena terra sederunt. Primi propriæ voluptati carnis deserviunt; secundi alienas opes suas faciunt, domum domibus et agrum copulantes agris. Sequitur: *Conticuerunt*, id est duplicem partem loquendi et triplicem amiserunt modum. Partes loquendi sunt vita et doctrina. Tres modi sunt: docere, monere, orare. Docere de fide, monere de moribus, orare pro rege et populo. De primo dictum est: *Euntes docete omnes gentes*, etc. (Matth. xxviii); de secundo: *Ecce constitui te super gentes et super regna, ut evellas et destruas et disperdas et ædifices et plantes* (Jer. ii); de tertio ait Apostolus: *Primum omnium rogo fieri obsecrationes*, etc. (I Tim. ii). Vel *conticuerunt*, id est tacendi omnes causas habuerunt. Quæ sunt tres, ignorantia, impotentia, negligentia. Ignorantia turpis, ut tunc incipias discere cum debeas docere. Ludicra res elementarius senex, teste philosopho. Impotentia difficilis, quia nonnunquam cupit prælatus docere, sed non potest, conscientia eum remordente et os ejus obstruente. Hic est ramusculus qui in ora canum projectus clamorem eorum cohibet. Si vult officium implere, ut loquatur dicatur ei: *Quare tu enarras justitias meas*, etc. (Psal. lxi). Si per negligentiam invenitur tacere, stat

contra officium clamatque Dominus : *Sanguine percunctis de manu tua requiram (Ezech. 11)*.

TIT. XXIX. *De iis quæ traxerunt Christum ad nos et de nostra duritia.*

*Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextra tua (Psal. XLIV)*. Verbum Dei in sublime constitutum, ut ad nos descenderet propria benignitas, invitavit, misericordia traxit, veritas, qua se venturum promiserat, compulit, puritas uteri virginalis suscepit, potentia eduxit, patientia armavit, charitas verbis et miraculis manifestavit. Te enim, Domine Jesu, mirabiliter deduxit dextra tua propter veritatem, per quam promissiones impletæ sunt; propter mansuetudinem, per quam iniquitates remissæ sunt, propter justitiam, per quam superbi dæmones et homines damnati sunt. His tribus indigebat genus humanum; sed ea implere non poterat nisi Virginis et Dei Filius, remittere scilicet iniquitates, implere promissiones, damnare dæmones. Et vide quam dulci charitate Christus Deus noster nos vocat ad vitam. Venit et promisit vitam æternam, nec auditus est de veritate, cum tamen promitteret solam veritatem; et ait: Qui promittentem non audit, audiat amabilem. Venit ergo et ita se omni mansuetudine exhibuit, ut peccatricem animam, septem dæmoniis adulteram, de manibus lapidantium eriperet, Petrumque respiceret lacrymantem *miserors et miserator Dominus (Psal. cx)*, *miserors in affectu, miserator in effectu*. Obduruit homo et ad veritatem promittentis et ad exhibitionem mansuetudinis, ut neque propter veritatem neque propter mansuetudinem audiretur Deus laborans. Videns autem quod nihil proficeret, minatus est ignem ardentem et mortem æternam, ut quem non potest trahere per veritatem, nec atrahere per mansuetudinem, retrahat per justitiam, et det vexatio intellectum auditui. Sicut ille tridens quem Dominus misit in hoc mare magnum ad piscandas animas; qui est benedictus in sæcula.

TIT. XXX. *De tribus sanctis, Deo, homine et loco, et de triplici sanctificatione.*

*Locus in quo stas, terra sancta est (Exod. xxiv)*. Deus est sanctus, homo sanctus, locus sanctus. Deus sanctus non sanctificatus, sed sanctificans; homo sanctus, sanctificatus et sanctificans; locus sanctus, sanctificatus, non sanctificans. Deus quippe sanctus de se, non de nobis; homo de Deo, non de se. *Bonorum, inquit homo, meorum non indiges (Psal. xv)*; Et: *De plenitudine ejus omnes accepimus (Joan. 1)*. De qua est sanctus sanctificatus ab ipso, sanctus de ipso, hominis est exterius dare operam; Dei conferre intus gratiam, hic est qui baptizat. Locus vero sanctificatus, vel absque homine, vel per hominem non sanctificat. Quia sicut locus non sanctus sanctum non coinquinat, ut Lot Sodoma, ita non sanctum sanctus locus non sanctificat, ut coelum diabolum, et paradysum primum hominem. Homo autem plerumque locum sanctificat duobus modis, merito et officio. Triplex quippe sanctificatio agitur:

A Est enim sanctificatio sacramenti, sanctificatio justitiæ vel meriti, et sanctificatio gloriæ vel præmii. Nam sanctificantur ecclesiæ, cum dedicantur; sanctificantur homines, cum justificantur; sanctificantur electi, quando præmiis æternæ gloriæ donantur.

TIT. XXXI. *De triplici labore et tribus laborantibus et tribus crucibus, mortibus, sepulcris.*

*Reddit Deus justus mercedem laborum suorum et deducit eos in via mirabili, etc. (Sap. x)*. Triplex est labor, carnis, compunctionis, charitatis. Labor carnis est onerosus, compunctionis affectuosus, charitatis effectuosus. De primo dicitur: *Humiliatum est in laboribus cor eorum et non fuit qui adjuvet (Psal. cv)*. Omnes enim qui ad servitium diaboli desunt, nullum habent auxilium a Deo, ducuntur per obliquas semitas, quarum initium licet aliquando agnoscitur, finis tamen nunquam invenitur. Unde: *In circuitu impii ambulat, et caput circuitus ipsorum labor eorum (Psal. xi)*, id est circuitus eorum semper est caput, nunquam finis. De labore compunctionis dicitur: *Laboravi in gemitu meo (Psal. vi)* Qui ideo affectuosus est, quia qui pœnitere incipit, bonum affectum concipit, quem ad effectum perducit labor charitatis. Et propterea labor charitatis dicitur effectuosus, quia efficit quod compunctio suggerit. Primus labor est punitorius, quia inquisitione suæ voluntatis, etiam in præsentem puniuntur. Unde: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam et contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis (Rom. 1)*. Labor compunctionis est remissorius, quia remissionem meretur. Unde: *In quacunq; hora ingemuerit peccator, etc. (Ezech. xviii)*. Labor charitatis retributorius, quia meretur retributionem. Unde: *Labores manuum tuarum manducabis (Psal. cxxvii)*. Et quia hic labor retributorius est, subditur: *Beatus es, et bene tibi erit (ibid.)*. A primo nos Dominus fingendo dolorem in præcepto revocat, dicens: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (Matth. xi)*. In quo tria hominum genera notantur. Sunt enim qui laborant et onerantur, ii scilicet qui sunt in labore carnis, diabolo servientes, cujus jugum intolerabile, et onus importabile. Alii qui laborant et non onerantur, qui scilicet Christo serviunt, cujus jugum suave et onus leve. Tertii vero nec laborant nec onerantur; qui non onerati, sed honorati dicuntur, qui potius hominum honores recipiunt. Unusquisque autem labor habet crucem suam: labor carnis crucem pœnæ, quam hic et in futuro sustinet; labor compunctionis crucem abstinentiæ, quia pœnitentia requirit abstinentiam; labor charitatis crucem gloriæ, quia diligit Deum, carnem suam crucifigit cum vitiis et concupiscentiis: quæ crucifixio est gloriosa. Unde Apostolus: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi! (Gal. vi)*. Secundum tres istas crucis tripliciter dicitur homo, carnalis, animalis, spiritualis. Carnalis pendet in cruce pœnæ, animalis timore gehennæ

perterritus eligens magis a vitiis abstinere quam a gehennam ire, pendet in cruce abstinentiæ. Hic est Lot montana respuens in Segor salvatus, nolens licita relinquere, mediocrem vitam sectatur; spiritualis vero est in cruce charitatis, qui solo amore gloriatur in cruce. Prima crux exactoria, secunda necessaria, tertia voluntaria. Unaquæque habet mortem suam, prima mors damnosa, secunda propitiosa, tertia pretiosa. Unde : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Psal. cxv). Item utile est in cruce Domini pendere, ut fervore Dei accensi, sic singula castigemus, ut nec manui in opera aridorum, nec pedi liceat deviare in latitudine claudorum. Unusquisque in cruce sua mortuus habet sepulcrum suum, primum est in inferno, secundum in deserto, et tertium in horto, id est in paradiso qui est hortus deliciarum. In primo jacet latro contemnens, in secundo latro confitens, in tertio Christus dimittens. Primum est fetidum et scaturit vermis qui non moriuntur; secundum purificatum, quod scopatur in confessionibus, quia *Judæa*, id est confessio, *facta est sanctificatio ejus* (Psal. cxiii); tertium conditur aromatibus, custoditur numinibus, et frequentatur a mulieribus aromata portantibus. Unusquisque ungitur suo unguento. Primus unguento desperationis, quia in inferno nulla est redemptio; secundus unguento recuperationis, quia hic tempus est miserendi; tertius unguento devotionis, dicens toto mentis affectu : *Convertisti plunctum meum in gaudium mihi* (Psal. xxix), Maria Magdalene portat unguentum compunctionis, Maria Jacobi compassio-nis, Salome devotionis. Compunctio est de recordatione peccatorum, compassio de malis proximorum, devotio de consideratione præmiorum. Per Mariam Magdalenam, *quæ erat in civitate peccatrix* (Luc. vii), intelligitur anima pœnitens, et scelerum suorum emendatrix; per Mariam Jacobi, vitia supplantans et virtutum operatrix; per Salomen, ori imprimens osculum cum Deo pacificatrix, quæ labii deterosa reatu audet dicere : *Osculetur me osculo oris sui* (Cant. i).

**TIT. XXXII. De triplici confessione, tribus nominibus Jerusalem, et tribus diebus vivificationis.**

*Judæa et Jerusalem, nolite timere, nec paveatis : cras egrediemini contra eos et Dominus erit vobiscum* (II Par. xx). *Judæa* interpretatur *confessio*, quæ triplex est : peccatorum, cum sua peccata cognoscit; meritum, cum suam infirmitatem et adjuvantem gratiam considerat; præmiorum, de qua dicitur : *In sæcula sæculorum laudabunt te* (Psal. lxxxiii). Prima confessio dicit : *Tibi soli peccavi* (Psal. l), et audit : *Dimissa sunt tibi peccata* (Luc. v). Secunda orat : *Dirige gressus meos in semitis tuis* (Psal. cxviii), et respondetur : *Sta in justitia et ambula* (Eccli. ii). Tertia cantat canticum novum, et promittitur ei, *sedebis super sedem*, etc. Jerusalem prius dicta est *Jebus*, postea *Salem*, inde *Jerusalem*. *Jebus conculcata*, *Salem pax*, *Jerusalem dicitur visio pacis*. Prius fuimus conculcati in luto et fœlitate

peccati, de qua exuimur per pœnitentiam. Inde habemus pacem propter justitiam, qualis haberi potest in præsentem. Tandem veniemus ad visionem pacis, *quæ exsuperat omnem sensum* (Philipp. iv), ubi cognoscemus sicut et cogniti sumus. Triplex nomen civitatis triplici *Judææ* respondet : Confessioni peccatorum *Jebus*, id est conculcatio, qui enim confitetur seipsum conculcat; confessioni meritum, *Salem*, id est pax, quam habet qui Deo non sibi attribuit, quia pax hominibus bonæ voluntatis; *Jerusalem*, id est *visio pacis* confessioni laudis, *In sæcula sæculorum laudabunt te* (Psal. lxxxiii). *Judæa* igitur et *Jerusalem*, non illis qui per cor impœnitens thesaurizant sibi iram, qui non noverunt viam pacis, quibus egredientibus carcer, tenebræ, infernus paratur, dicitur : *Nolite timere : Cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum*. Nolite timere, hic est de timoribus vacandum. Cras egrediemini, hic de egressionibus. Cras egrediemini, quasi dicat : Multos quidem habetis hostes, carnem, qua nullus vicinior, sæculum nequam, et qui in aere collocati viam nostram obsident, sed nolite timere; cras egrediemini, id est post dies duos. Tres enim sunt dies de quibus dicitur : *Vivificabit nos post dies duos, in die tertia suscitabit nos*, etc. (Ose. vi.) Unus dies sub Adam, alter in Christo, tertius cum Christo. Utinam pereat in nobis dies Adæ, dies peccati, in qua omnes nascimur! quam *Job* (Job iii) et *Jeremias* (Jer. xx) maledicunt; et egredientibus vel hic a peccato illucescat dies redemptionis novæ præparationis antiquæ, vel e mundo clarescat dies qui vesperam nescit. Istos tres dies notat Evangelium : *Ecce ego hodie et cras ejicio dæmonia; et tertia die consumor* (Luc. xiii). Et quia in prima die conversionis inferuntur tentationes, recte his dicitur : *Nolite timere*. Quia vero in secunda sanitas datur per justitiam; *cras*, inquit, *egrediemini*, dimissis, scilicet vitiis vel ergastulo carnis, et pro tertia die additur, *et Dominus erit vobiscum*, scilicet vel per nativitatem et per humanæ naturæ consortium, vel per gratiam in futuro per beatitudinis donationem. Et nota quod non dicit, nos erimus cum eo, sed, ipse erit vobiscum. Cum eo enim sumus qui non ejus adhæremus voluntati, sed non est ille nobiscum, quia nostræ non consentit voluntati : cupimus dissolvi, sed ipso differt. Tunc autem nobiscum erit, quando omnibus desideratis dabitur nobis in eo perfrui.

**TIT. XXXIII. De quadripartita locutione Dei, et responsione faciendâ ad eam.**

*Semel locutus est Deus*, etc. (Psal. vi.) Seme! si ut dicitur, *loquitur Deus, et ultra non repetit illud* (Job xxxiii), quia semel hic loquitur, præcipiendo, prohibendo, promittendo, comminando. In futuro autem non erit tempus docendi, sed judicandi. Quadripartitum est ergo hoc verbum quo semel loquitur. Præcipit bonum, prohibet malum, promittit gloriam, comminatur pœnam. Unum autem dicitur hoc verbum, quia unum est ad correctionem nostram. Nam futurum verbum tantum ad retributio-

nem pertinet. In hac prima quadripartita locutione A Dei, duo audiuntur: potestas et misericordia. Potestas, qua promittit et comminatur; misericordia, qua præcipit et prohibet, viam ostendens qua curramus ad promissum bonum, vitemusque propositum malum. Huic autem quadripartito verbo quadrupliciter est respondendum. Præceptioni per obedientiam, ut faciamus bonum; prohibitioni per temperantiam, ut abstinemus a malo; promissioni per amorem, et comminationi per timorem. His respondere paratus erat qui dicebat: *Loquere, et respondebo tibi (Job xiii)*. Ait certe, quia jam locutus es nec repetis; ego loquar et per obedientiam, temperantiam, amorem et timorem tibi respondebo; et tu responde mihi. Respondebit enim in futuro Deus ei qui responderit in præsentī, idque B quadrupliciter. Respondebit siquidem ipse Deus obedientiæ per libertatem, temperantiæ per integritatem, ut sit libera integritas temperantiæ, integra libertas obedientiæ: quorum hic neutrum sit nisi temperantia pugnat, et obedientia laborat. Amori quoque per felicitatem, et timori per securitatem, ut sit securā felicitas. O quam bona, quam desideranda responsa! Integra libertas, securā felicitas! Cui enim hæc Deus respondebit *auditui ejus dabit gaudium ineffabile et lætitiā, qua exaltabunt tunc ossa humiliata nunc (Psal. l)*. Merita enim humilia sunt nunc, præmia sublimia tunc. Nam *qui se humiliat exaltabitur (Luc. xiv)*.

Tit. XXXIV. De tribus linguis hominum.

Erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan (Isa. xix). Tres sunt, linguæ Ægyptia, Chanaanæ, Hebræa; et inter eas tamen magis affinis Hebrææ, Chanaanæ est. Hebræa loquuntur angeli, Ægyptiaca homines mali, Chanaanæ boni. Chanaanæus interpretatur *commotus*. Hic est qui jam commovetur per pœnitentiā ut exeat de Ægypto vitiorum et per desiderium patriæ de Ægypto carnis suæ. Hebræus autem qui jam transivit. In Ægypto igitur nostra loquuntur Ægypti, quinque civitates in malis, dum quinque sensus eorum faciunt opera carnis, id est Ægypti. Loquuntur in Ægypto quinque civitates honorum lingua Chanaanæ, dum quinque sensus eorum commoventur, ut relinquunt opera carnis. Hebræus non in Ægypto, sed in cœlo laudes sonat, ubi *omnis spiritus laudet Dominum (Psal. cl)*.

Tit. XXXV. De triplici adventu Domini.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus et Salvator (Zach. ix). Tres sunt adventus Domini, ad homines in carne, in homines in spiritu, adversus homines in judicio. Inter adventum primum et novissimum, creber est adventus tempore medio, conformans nos adventui primo et præparans novissimo. Ad hoc namque modo venit in nos, ne primo adventu frustra venerit ad nos, vel ne novissimo iratus veniat adversus nos. Hoc quidem adventu satagit reformare sensum superbiæ nostræ configuratum sensui humilitati suæ, quam primo veniens exhibuit, ut perinde

reformat corpus humilitatis suæ configuratum corpori claritatis suæ (Philipp. iii): quam denuo rediens exhibebit. Hic ergo adventus medius est optandus, ut qui gratiam impertit primi, et gloriam pronittit secundi. Medius enim quasi mediator participat cum utroque. Primus est occultus et humilis; ultimus manifestus et admirabilis. Iste occultus quidem, sed mirabilis. Occultum istum illa glorians gloriosa anima receperat, quæ dicebat: *Secretum meum mihi: Secretum meum mihi (Isa. xxiv)*. Quomodo autem admirabilis sit, et admiratione sui suscipiat animam contemplantis, et omnia ossa interioris hominis acclament ei: *Domine, quis similis sit tibi (Psal. xxxiv)*? norunt experti; et utinam desiderent experiri non experti! Primus igitur adventus est gratiæ, novissimus gloriæ, medius iste gratiæ et gloriæ, in quo per consolantem gratiam futura gloria datur utcunque prælibari. In primo visus est Deus contemptibilis; in novissimo Deus videndus est terribilis: in isto medio mirabilis et amabilis, ut nec propter dignationem gratiæ per quam se præbet amabilem posset esse contemptui, sed admirationi, nec propter magnificentiam gloriæ quæ mirabilis apparet, sit terrori, sed consolationi. De primo dicit Judæus: *Vidimus eum et non erat ei species neque decor (Isa. lxi)*. De ultimo expavit etiam justus: *Et quis poterit, inquit, stare ad videndum eum? (ibid.)* De isto Apostolus: *Gloriam Domini speculantes in eandem transformamur imaginem a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu (II Cor. iii)*. Occurramus igitur obviam Salvatori nostro. Respondendum est huic nuntio bono de terra longinqua, id est viventium a terra morientium longinqua. Primo adventui occurrendum est affectu et exultatione cordis; ultimo motu et exultatione corporis, et sicut tunc corporibus nostris *rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus (II Thess. iv)*, sic et modo sunt nubes apostolorum et prophetarum quæ concedant vices suas, si sensus nostri non fuerint pigri, terræque nimis affixi; nam quasi vehiculo nubis eousque sublevantur, ut gloriam Domini quantulumcunque mereantur speculari; et sic cum Domino simus vel dimidia hora. Nos itaque, fratres, quos nondum consolatur longa experientia, ut patientes simus usque ad ultimum adventum Domini, consoletur interim certa fides et pura conscientia quæ cum Apostolo dicat: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum suum servare in illum diem (II Tim. i)*, id est in adventum magni Dei. Qui vivit et regnat, etc.

Tit. XXXVI. De virga et flore moraliter.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (Isa. xi). Virga est Maria, et flos Christus. Virga ei qui non indiget increpatione, sed correctione et suppliciis plectitur. Flos ei qui non correctione indiget dura, sed eruditione; vel certe non indiget pœnis, sed volente a flore incipere et ad fructum perducere. Vis videre imitatore Christī virgam et florem? de virga quidem dicit: *Quid vul-*

tis? in virga veniam ad vos? (I Cor. iv.) De flore. A Tit. XXXVIII. De duobus caprea hinnulis, tribus. An in charitate et spiritu mansuetudinis? (ibid.)

Tit. XXXVII. De pastoribus et eorum officio. 7

Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas? (Isa. lx.) Tria pastoribus gregis Domini sunt necessaria: bona operatio, discretio, praedictio, ut sint lux, oculus et sal. Lux bonae operationis, ut exemplo luceant. Unde: *Luceat lux vestra coram hominibus* (Matth. v). Oculus discretionis ut discernendo inter lepram et lepram provideant subditis. Unde ad Ezechielem: *Speculatorem dedi te domui Israel* (Ezech. iiii). Sal praedicationis et correctionis ut praedicatione subditos erudiant, ne vermes peccatorum eos consumant. Unde: *Vos estis sal terrae* (Matth. v). Ex pastoribus autem; alii qui sunt nec sal, nec lux, nec oculus, qui scilicet male praedicant, male operantur, male discernunt. De quibus dicitur: *Sacerdotes contempserunt legem meam, polluerunt sanctuaria mea* (Ezech. xxi); quia inter sanctum et profanum, scientiam et ignorantiam, inter lutum et mundum non intellexerunt. Alii sal et non lux. De quibus dicitur: *Quae dicunt facite; quae faciunt, facere nolite* (Matth. xxiii). Alii sal praedicationis non habent. De quibus dicitur: *Canes muti, non valentes latrare* (Isa. lvi). Haec ergo tria nobis necessaria sunt, ut simus lux, oculus, sal. Quorum si vel unum defuerit, gregem Domini periculose servamus. Si enim non sumus lux, licet simus oculus et sal, cum periculo corpus Domini tractamus, officio indigni sumus, facti sicut habentes clavem, aliis aperientes, sed non intrantes. Unde valde timendum ne nos qui caeli janitores sumus, cum alios intromiserimus, ipsi non intremus, et clausa tandem janua frustra clamemus: *Domine, Domine, aperi nobis* (Matth. ii). Fiat quoque illud ut, cum ejecerit de templo Jesus ementes et vendentes (Matth. xxi), accedant ad eum et intrent caeci et claudi. Si autem oculo discretionis qui debet esse columbarum non corvorum. Unde: *Oculi tui columbarum* (Cant. i) carent, tunc caecus caecum ducat, et ambo in foveam cadent (Matth. xv). Si sale careant praedicationis, tuncque jejunos deficiat in via populus Dei, sanguis ejus de manu praedicatoris requiratur. Consideret ergo unusquisque onus suum, ut sit per sal nubes compluendo; per lucem, volans ad caelestia, quod verbo praedicat exemplo monstrando; per oculum, columba ad fenestras Scripturae, ut per ipsas Deum videndo oculis suis provideat. Talibus enim congaudens ait propheta: *Qui sunt isti qui ut nubes volant et quasi columbae ad fenestras suas?* Pensate igitur quid estis, et ad quod ministerium in domo Dei vocati. Clamat secus agentibus Oseas dicens: *Audite, sacerdotes, quia vobis iudicium est* (Ose. v). Et quare, ostendit subdens: *Quoniam laqueus facti estis speculationi et rete expansum* (ibid.): Quasi dicat: Quoniam vos qui expedire debetis, malo exemplo alios illaqueatis, iudicium est vobis damnationis. Unde et alterius sanguinis rei.

Duo hinnuli capreae pascuntur in liliis (Cant. iv). Caprea, Ecclesia visu acuta ad penetranda mysteria Christi, saltu agilis ad transilienda hujus saeculi impedimenta, potens ad suppressenda serpentis antiqui venena. Hujus duo gemelli Petrus et Paulus, germani fide, pares merito et virtute, ipsa passione et morte conjuncti. Ii pascuntur in liliis, in mundorum et humilium virtute et profectibus. Pascunt eos verbis, pascuntur eorum operibus. Unde alter ipsorum dicebat: *Nunc vivimus, si vos statis in Domino* (I Thess. iii); alter cum esuriret, caelum apertum est, et carnes immundorum animalium praecipitur mactare et manducare (Act. x). Hoc faciunt laborantes aestu donec aspiret dies, et inclinentur umbrae (Cant. ii). Tres sunt umbrae, et tres dies. Prima umbra terra; est umbrosus spiritus daemonum et hominum; secunda, tenebrae errorum; tertia, obscura significatio veterum sacramentorum. Umbra significationum inclinata est ad occasum et finem; umbra errorum de die in diem inclinatur ad diminutionem; umbra tenebrosorum spirituum tandem inclinabitur ad infernum et mortem. Primum factum est, cum dies aeternus aspiravit appares in carne. Secundum quotidie fit, cum idem aspirat illustrans nos veritate. Tertium novissime fiet, cum aspirabit in majestate. Sunt et aliae umbrae duae quae intra nos velut in quodam speculo obumbrant nos vel nobis. Obumbrant nos quae nos congelant et obcecant. Obumbrant nobis quae refrigerant et illuminant nos. Primae de inferioribus sunt graves et noxiae, secundae de superioribus, delectabiles et salubres. Anima enim humana in medio posita est, ut sub ipsa sit mundus, propter ipsam factus; supra ipsam sit Deus, a quo, et ad quem et propter quem ipsa facta est. Nam sicut propter animam est corpus, sic propter corpus est domus ejus, id est mundus. Cum igitur incurvatur ad corporalia et mundana, ascendunt in eam umbrae de inferioribus. Cum egreditur ad divina, inclinatur super eam umbrae de superioribus. Illius enim quam cogitat umbram sibi format. Quae etsi luminosa et gloriosa, umbra tamen est, quantumcunque cognitionis acuat dies, donec aspiret ille caelestis dies, sicut cum in facie speculi tersa et lucida splendide rei resultat imago. *Videmus enim nunc per speculum in aenigmate* (I Cor. xiii). Et nota quod nec umbra videtur nisi inclinato et aspirante die, quia neque per speculum et in aenigmate potest apprehendere quidquam nostra humanitas, quantumcunque a visibilibus ad invisibilia rapiatur, nisi inclinante se majestate ad nos favore gratiae, cum scilicet qui habitat lucem inaccessibilem dignatur ad nos inclinari, et per umbram suae imaginis demonstrari. Unde Moyses ascendit in montem (Exod. ix), et *Dominus inclinavit caelos et descendit* (Psal. xvii). Sed heu! tam breves et obscuros dies, et tam longas ac laboriosas noctes habet hiems ista, ut propheta laborans in genua

suo, et per singulas noctes lavans lectum lacrymis suis (*Psal. vi*), merito plangat, dicens : *Dies mei sicut umbra declinaverunt* (*Psal. ci*). Verum si quaeratur cur umbræ pluraliter dicantur, cum res una sit cujus sint umbræ. Respondetur : Quia nunc minus, nunc plus virtus obumbrat Altissimi, dissimiliter umbras format. Unde Apostolus : *Transformamur a claritate in claritatem* (*II Cor. iii*). A minore scilicet in majorem, quia præsens claritas respectu futuræ umbra est. Et nota quod cum umbræ de superioribus inclinantur super nos, umbræ de inferioribus inclinantur infra nos. Cum siquidem divinis propinquamus, mundana superamus, quatenus ad umbram lucis accedimus, eatenus mortis umbram evadimus. Lux enim et vita in cælo, mors in inferno, umbra mortis in hoc tartareo et tenebroso loco. Jam, fratres qui laboratis, portantes *pondus diei et æstus* (*Matth. xx*), ad umbras lucis istas accedite. Placeat eas imitari, quas ille dies æternus aspirans rorem misericordiæ cupit æstuantibus inclinare. Audite ipsum diem ad umbrarum refrigeria invitantem : *Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth. xi*). Quam umbram si quis obtinuerit, merito gloriatur et dicit : *Sub umbra illius quem desideraveram sedi* (*Cant. ii*). In qua est sessio ad quietem, et refectio ad satietatem. Unde subdit : *Et fructus ejus dulcis gutturi meo* (*Psal. lxxxiii*). Aspira ergo gutturi, o dies dierum, quæ in atris tuis super millia (*Psal. cxxxix*). O umbra caput nostrum in die bellii. Inclina super nos umbras salutis et refrigerii, et inclinentur subtus nos umbræ cæcitatit et mortis. Et licet contingant nos umbræ de cogitatione terrenorum, non nos attingant tenebræ, id est crasiores umbræ de amore eorum; sed semper respiremus in luminum veri æternique luminis amorem.

**TIT. XXXIX. De auro, thure et myrrha.**

*Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam et honorem,* etc. (*Psal. xxviii*). Quia satius est Domino offerre quam sanguisuga, id est concupiscentiæ, cujus duæ filix, voluptas et vanitas, non dant requiem die ac nocte, dicentes : *Affer, affer* (*Prov. xxx*) : Quid autem afferendum? *Afferte*, inquit, *gloriam*, scilicet auri et honorem thuris. *Afferte Domino gloriam nomini ejus, myrrham sepulturæ ejus.* Myrrha in corde tuo dolorem; myrrha in corpore tuo laborem, si tamen hic et ille sit poenitentialis. Myrrha gustu amarissima effectu corruptioni resistit. Quid autem amarius dolore quo peccator recogitat *annos suos in amaritudine animæ suæ* (*Isa. xxxviii*), dicens Deo : *Noli me condemnare* (*Job x*). Quid enim salubrius quam quod vindicat tam a corruptione luxuriarum in quibus computruit, quam vermium immortalium quos meruit. Labor autem corporis non tam myrrha est quam myrrhæ fasciculus, in quo regula jejuniorum et vigiliarum, asperitas vestium, et omnia amara velut in unum fasciculum colligata sunt ad ferendum. Unde ille : *Convertimini ad me in toto corde vestro; in jejunio et fletu, et in planctu,* etc.

(*Joel, ii*), ut vere dici possit fasciculus. Debet amaritudo cordis mitigari amaritudine exteriori, quem admodum cholera stomachi potu absinthii, ut homo usu dulcium corruptus, potione purgetur amara. Peccatori enim debet dari *myrrhatum vinum* Dominicæ passionis (*Marc. xv*); quod noluit bibere Jesus, quia peccatum non fecerat quod ei crucifixio imputabat. Post hanc thus offertur, quia post sacrificium spiritus tribulati et corporis humiliati sequitur sacrificium laudis cum thure devotionis. Quod cum regi obtuleris, suppone ignem charitatis, *ut dirigatur oratio devotionis sicut incensum in conspectu Dei* (*Psal. cxi*). Et de hoc sacrificio odoratus odorem suavitatis, dicat tibi : *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris* (*Cant. iv*). Post hæc duo offertur aurum. Myrrha enim oblatio est incipientium, thus proficientium, aurum vero perfectorum: quod est sapientia, quam non novit nisi qui accipit. Pretiosius est hoc aurum cunctis opibus, etiam myrrha et thure. Hoc enim ultimum dives est in omnibus qui valet offerre in contemplatione et prudenti administratione. Hæc est quidem vera sapientia, sapientia in contemplatione æternorum et administratione temporalium. Qui novit seipsum regem et alium, non tamen negligit offerre thus in devotione divini operis, et myrrham in mortificatione sui. Nos igitur, fratres, in gloriam pueri regis qui natus est nobis, offeramus aurum, thus, et myrrham, quæ conservat a vermibus. Nam vermis carnis est luxuria; qui ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transforat delectando, perimit consensu voluntario. Vermis item est tristitia, quia sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. His et similibus vermibus vermescunt corpora et corda, si quotidie non distillet de manibus myrrha. Manus ergo nostræ per universum corporis nostri distillent myrrham, præveniendo ungere corpus in sepulturam illius. Corpus enim nostrum Jesus est, quod sepelitur cum omnibus vitis subtrahitur. Qui sic ungitur, ut dictum est, non timet vermem qui non moritur, quia jam mortuus est. Offeramus etiam thus devotionis et aurum sapientiæ. Et si quis indiget sapientiæ postulet eam ab eo qui dat omnibus affluenter, a Patre scilicet luminum, qui dat, *omne datum optimum et omne donum perfectum* (*Jac. i*).

**TIT. XL. De meditanda morte, dum adhuc sortes videmur, et de bene agendo.**

*Memento Creatoris tui in die juventutis* (*Eccle. xi*), ait Sapiens, ut, juxta Apostolum, *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes* (*Gal. vi*). Sequitur : *Antequam rumpatur funiculus argenteus* (*Eccle. xii*), id est dissolvatur corpus et recurraat vita aurea. id est anima vinculis carnis absoluta ad Deum qui fecit illam, punianda vel salvanda. Funis dicitur corpus, quia quibusdam legibus naturæ sibi animam legat, antequam pulvis, id est homo qui de terra factus est conteratur super fontem, id est mundum, ut inde aquam non possit haurire, et rota cogita-

tionum quæ de eorū exeunt et volvuntur et revolvuntur super cisternam corporis, quia in illa die peribunt cogitationes. Hoc idem subdit aliis verbis : *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat (pulvis es et in pulverem reverteris [Gen. III]), et spiritus redeat ad ipsum qui dedit illum (Eccl. XII), recepturus pœnam vel gloriam.*

TIT. XLI. *De triplici apertione cordis, sextuplici mandato, et triplici bello ac pace.*

*Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, et in præceptis suis, et faciat pacem, etc. (II Macch. II).* Triplex est apertio cordis. Prima ad pœnitentiam, secunda ad justitiam, tertia ad perfectionem. Hæc autem apertio per legem Domini sit meditati die ac nocte, unde subdit : *in lege sua, quæ in sex consistit, in prohibitionibus, comminationibus, præceptionibus, promissionibus, consiliis, exhortationibus.* Prima apertio in prohibitionibus et comminationibus sit, dum quis attendens suas transgressiones et pœnas quæ ex eis subsequuntur, ad pœnitentiam Dei timore compungitur. Hæc est enim *lex Domini convertiens animas (Psal. XVIII).* Secunda est in præceptionibus et promissionibus, dum pœnitens divinam voluntatem in sua lege considerans et remunerationem, ad justitiam proficit bonorum operum, quia *testimonium Domini fidele (ibid.) dans promissa.* Tertia in consiliis et exhortationibus, dum justus in bonis delectatur in Deum fervens, Deo quem solum diligere cupit sibi dicente : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, etc. (Matth. XIX).* Arripit sic perfectionem ut præter Deum, qui dat sapientiam parvulis, nil quærat. Quia vero sola dilectio indicativa est religionis, Deo dicente : *In hoc cognoscent ; quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem (Joan. XIII),* subditur : *Et in præceptis suis, quæ sunt dilectio Dei et proximi inter cætera legis Dei magis tenenda cum ex his pendeant lex et prophetæ. Et faciat pacem.* Triplex est nobis bellum : A conscientia quæ peccatorem accusare non cessat ; a carne et dæmone, quæ etiam justum insequuntur ; a fratre et proximo, qui etiam perfectum conturbare conantur. Deus autem qui corda aperit in lege sua, et in præceptis suis, triplicem facit in homine : Primam pacem per pœnitentiam, cum deletō peccato, ipsum conscientia accusare non potest ; secundam per justitiam, cum justus exercitio bonorum operum carnem domuerit, juxta Apostolum : *Castigo corpus meum et in servituteo redigo (I Cor. IX),* et cum sic omnia inimici tela extinxerit (*Ephes. VI*) ; tertiam quoque cum solum Deum tenens nullis prosperis extollitur, nullis adversis movetur ; æque acceptans prospera ut adversa, ut vere dicatur : *Pax multa diligentibus legem tuam ; et non est illis scandalum (Psal. CXVIII).* Conscientia cessante a primo bello, carne et dæmonibus a secundo homine ita perfecto ut aliquo scandalizante scandalum non recipiat, sed quantum in ipso est et cum scandalizaverit pacem habeat, in patientia possidens animam suam (*Luc. XXI*).

TIT. XLII. *De benignitate et severitate Dei erga peccatorem.*

*Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multum misericors, et præstabilis super malitiam (Joel. II).* Videte quemadmodum de venia peccatori danda, et converti voluerit, Dei exaggerat pietatem. *Benignus est indebita largiendo. Misericors debita indulgendo. Patiens diu tolerando. Multum misericors, pro longis iniquitatibus brevem pœnitentiæ afflictionem suscipiendo. Præstabilis super malitiam, etiam sine carnis afflictione perseveranti, ad se cordis conversione mala omnia condonando. Nemo igitur de venia desperet propter Dei justitiam. Nemo in malis perseveret propter ejus misericordiam, quoniam fortis et patiens Dominus, dulcis et rectus, misericors et verax. Patiens, dulcis, misericors super pœnitentes. Fortis, rectus, et verax super impœnitentes. Si ergo, fratres, amamus patientiam, dulcedinem, misericordiam, qua salvat, timeamus fortitudinem, rectitudinem, qua judicat et damnat ; et oremus ut a nobis judicii severitatem suspendat misericordiæque benignitatem impendat. Qui, etc.*

TIT. XLIII. *De tribus bonis hominis, et tribus flagellis Dei, et de causis eorum.*

*Multa flagella peccatoris ; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit (Psal. XXXI).* Tria sunt hominis bona quibus in hac vita fruimur : Alia in anima, ut virtutes, et alia dona tam naturæ quam gratiæ ; alia in corpore, ut sanitas ; alia extra utrumque, ut proles et divitiæ. Ideo tria sunt flagella, quibus justo Dei judicio percultur. Flagellatur enim aliquando in exteriori substantia, aliquando in carne propria, aliquando in conscientia. In duobus primis flagellatur æque boni et mali ; in tertio non nisi reprobi. In duobus flagellatus est Job, non in tertio. Unde dictum est ad Satan : *Animam illius serva (Job II).* In istis omnibus Pharao. Quem enim flagellaverat in exteriori substantia, in carne propria vesicis turgentibus, etiam obstinatione flagellavit in conscientia. Quatuor autem de causis flagellantur homines : Alii ad ruinam, ut Pharao ; alii ad disciplinam, ut David ; alii ad custodiam, ut Paulus ; alii ad coronam, ut Job.

TIT. XLIV. *De signaculo Dei nobis impresso.*

*Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (Psal. IV).* Super dicit non subter, quia in superiori natura tria sunt : Signans, signaculum, et signatum, a quo, cum quo, et in quo. Signans est Deus qui suam imaginem primo angelicæ naturæ, inde humanæ impressit, ut angelica esset quasi signaculum, humana quasi signatum. Unde primo angelo dicitur : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti (Ezech. XXVIII).* Homo autem dicit de se : *Signatum est super nos lumen, etc.* Instur cujus in signaculo vel sigillo primo figura regis insculpitur, et post subiectæ rei imprimitur. Imago primo naturæ impressa est angelicæ, inde quasi secundum eum humana

insignita, sed et aliis rebus modo suo, quia eorum a ministerio formantur et reguntur.

TIT. XLV. De septem rivis peccatorum exeuntibus a primis parentibus.

In flumine pertransimus [pertransibunt] pede (Psal. lxxv). Quid post? *Lætabor in ipso (ibid.)* De quo Isaias: *Percutiet Dominus fluvium Ægypti in septem rivos ita ut per eum transeant calciaii (Isa. xi)*. Ægyptus mundus est; flumen fluxus humani generis, qui de primis parentibus vena infelici prorumpens, impetuosum torrentem per totam mundi latitudinem instagravit, quod in septem torrentes derivatur, vallesque et campestria profunda voragine supersedit, ipsis etiam montibus refusatione intentans. Quorum unus de altioribus infelamatur: *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me (Psal. lxxv)*. Primus hujus fluminis rivus est cogitatio mala. Rivus exundans habens frequentiam pluviarum per fenestras corporeorum sensuum, qui ei de mundanis cataractis mortiferos imbres profluxus administrant. Versipellis contortor fingit similitudines, imagines pingit, colores aptat, ut consensum eliciat, affectum inficit, universa convolvit, in thalamo meptis, offert horribilia de divinitate, terribilia de fide, mirabilia de fidei institutione, et in alveo mentis veneniferas ingerit potiones, quas in confessione peccatorum exoneratus exhorret evomere. Quid plura? Inimicus virtutis in thalamo exstirpat devotionem, in diversa protrahendo, in thalamo castitatem multiformis libidinis sensus evolvendo. Quibus fortioribus telis utinam oppugnans non expugnet, pungens non vulneret, et in claustrum lectionem memoriam Scripturarum resecano, libros a manibus evellendo, et de isto ad illum transferendo; in officiis silentii virtutem, dum vagabundo se comitem facit, donec tacturnitatis officium aut aperiat aut infringat. Ad ipsum altare Domini virtutum spiritus isti in ipsos mentis oculos circa sacrificia pendentes in cruce circumvolitant. Has volucres vix patriarcha magnus a suis sacrificiis abigebat (Gen. xv). Videtis quam turbidus sit iste torrentis. Quis in hoc negat se mersum vel submersum? Secundus rivus locutio perversa. *Linguam nullus domare potest, ait apostolus, membrum inquietum et mortiferum (Jac. iii)*. Est autem verbum aliud falsum. Unde: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium (Psal. v)*. Aliud vanum. Unde: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum (Psal. xi)*. Aliud maledicum. Unde: *Neque maledici, etc. regnum Dei possidebunt (I Cor. vi)*. Aliud impudicum. Unde: *Deponite turpem sermonem de ore vestro (Coloss. iii)*. Et: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat (Eph. iv)*. Aliud excusatorium. Unde: *Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis (Psal. cxi)*. Aliud dolosum. Unde: *Disperdat Dominus universa labia dolosa (Psal. xi)*. Aliud otiosum. De quo Dominus: *Da omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii (Matth. xii)*. Tertius est

actio prava post cogitationem et locutionem quando exhibentur membra iniquitatis peccato, ut contumeliis afficiant corpora nostra. Absit aliquem nostrum huic famulari idolo, Filium virginis in Veneris templo suscipere, arcam Domini juxta Dagon locare, nutritum in croceis stercora amplexari! Quartus rivus est defensio peccatorum, quo nihil magis exasperat iram divinitatis. Quando enim sanatur qui medicum spernit, medicinam conculcat? Negantem super hoc propheta de sacrario Spiritus sancti nobis inducit. *Ibi, inquit, habuit fovream ericius (Isa. xxxiv)*. Qui cum se adeptum solitudinem putat, caput et pedes exerit. Si quis supervenerit, statim ea contrahit et spinis munit, ut prius spinis illius sanguinem tuum teneas, quam corpus ipsius. Sic peccatoris caput cum pedibus, id est intentio cum actionibus, a pastore prospicitur, et quod fere omnium peccantium vitium est, cum ab omnibus videatur a nemine se videri putat. Si autem intentionis ingressus cum actionum egressibus correptivis manibus velis deprehendere, intantum se excusat novus dialecticus Ciceronis lingua, ut negando quæ vidisti, quæ ipse non vidit in te vitia retorquendo, prius sentias quam vitium perdas, prius odium incurras quam corrigas. Quintus est exultatio in peccatis. O detestanda lætitia, ut pro malis ipsi etiam Deo audeant gratias immutare! *Qui exsultant, cum male fecerint, et lætantur in rebus pessimis (Prov. ii)*. *Cadent super eos carbones et in ignem ejicientur. (Psal. cxxxix)*. Sextus est alios docere ad malum. Qui de cathedra pestilentie derivatur, cui non sufficit ut intereat in sæculum sæculi, nisi alios pertrahat, duplicem habiturus pœnam. Septimus est in his omnibus perseverare. Super sic demersum et absorptum claudit puteus os suum; et cum non levat oculos ad cælum, nec recordatur iudicium justorum, mortuus est et sepultus sepulcro conscientie, a quo sic mortuo perit confessio, ut veniens in profundum malorum contemnat (Prov. xviii). Hic est in extremo fluminum Ægypti. Huic multitudine miserationum Domini tollitur ab oculis. Hunc fluvium in rivis percussit Dominus cum calceatus carnis calceamento, cujus corrigiam ille magnus non potuit salvare (Matth. iii), illum transivit per immunitatem prædictarum pestium, et transiendo liberavit nos de aquis prædictis. Eia, fratres, si aliquis humor de his rivis fluminis mortalitatis est in vobis, tergite, et tergite illum niveo confessionis amictu. Percutite hos rivos cogitando pro peccato vestro, prohibendo linguam, declinando a malo et faciendo bonum, confitendo adversum vos iniustitias vestras Domino, habentes dolorem vestrum semper in conspectu vestro iniquos docendo, vias Domini et laudem ipsius in ore semper gerendo. Et ut calceati transeatis, consuatis aliquid de arte sutoria, faciatis calceamenta densa et subtiliter consuta, quæ possint aquas obviantes excludere. Faciatis carnem firmam et confixam timore Domini, quæ libidinis humorem excludat, et

excocta tribulationibus et densata fiat uter novus A ad conservandum vinum novum, ut dicere possitis: *Factus sum sicut uter in pruina* (Psal. cxviii).

TIT. XLVI. *De concordia religiosorum cohabitatione quam sit diabolo formidolosa.*

*Pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata* (Cant. vi). *Suavis* hominibus, *decora* numinibus, *terribilis* dæmonibus. Quare? Quia ambulat ut *castrorum acies ordinata*, non dissipata per invidiam, sed constipata per charitatem. *Acies* est per conventum, *castrorum* per procinctum, *ordinata* per consensum. Conventum facit pœnitentia, procinctum ponit vigilantia, consensum præbet concordia. Sane parum timet diabolus jejunantes, vigilantes, continentes, quoniam de illis multos B obruit in laqueum ruinæ, sed concordēs et unanimiter habitantes in domo Domini, dolorem, timorem, livorem ingerunt diabolo quos concordēs invenit, præcipue cognoscit, quia *in manu Dei sunt et non tanget illos tormentum mortis* (Sap. iii). *In hoc*, inquit, *cognoscent homines quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (Joan. xii). Charitatem autem inter homines expavescit diabolus, quam in cœlis tenere noluit cum Deo et angelis.

TIT. XLVII. *De quadruplici languore unde nos liberavit Christi adventus.*

*Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite time- re. Ecce Deus noster veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum* (Isa. xxxv). Generis humani ante adventum multa erat caligo, ut Deum cognoscere, verba ejus audire, bene operari, et peccata recusarent confiteri. Tantis itaque miserix languoribus placuit Deo salutis medicinam, ministris suis imponere, ad ejus consolationem, dicens: *Dicite pusillanimis, etc.* Ecce Dominus noster, medicina nostra, et salus nostra, et Jesus noster adveniet. Vere pusillanimes erant jacendo in doloribus, desperando in quadruplici infirmitate. Cæci enim erant, surdi, claudi et muti. Cæci Deum ignorando, surdi ipsum audire contemnendo, muti peccata sua non confitendo, claudi bene operari negligendo. Infirmitas ista a primo parente D sumpsit initium. Cæcus fuit ex verbis serpentis putando se fieri Deum, non videndo se ex verbo Dei si non obediret ei futurum esse miserum. Claudus fuit cum in altero pede claudicavit. Duo enim sunt hominis spiritualis pedes, dilectio Dei et proximi; qui altera earum caret claudicat. Adam volens uxori morem gerere, dum amoris ejus amorem Dei postposuit; male claudicavit. Dum Deum per obedientiam non audivit, surdus fuit. Mutus in confessione peccati fuit, rejiciens culpam in uxorem. In hæc vitia damnavit posteros excæcatos cultu idolorum, surdos in similitudine aspidis, quia populus Dei non audivit vocem ejus, claudos, quia claudicaverunt a semine Dei, mutos a confessione

peccati. *Quia* inquit *tacui inveteraverunt ossa mea* (Psal. xxxi). Ab hac quadruplici infirmitate volens nos liberare, consolando per prophetam inquit: *Ecce Deus noster*. Tunc enim aperuit oculos cæcorum, aperiens sensum ut intelligent Scripturas; aures dum clamavit: *Qui habet aures audiendi, audiat* (Matth. xiii). Claudos gressus direxit, dum eos ad viam cœli inclinavit. Directi sunt pedes sicut Origenes, qui nimium est de misericordia confisus. Neque ad sinistram sunt dejecti, sicut Cain Judas et diabolus, qui desperantes diverterunt. Medius enim callis tenendus est, ut nec desperet, nec de misericordia confidens licenter peccet. Hinc vaccæ, arcam portantes pro peccatis, ad dexteram vel ad sinistram non declinant. In hac via saliendum est sicut salit cervus, ut spinosa divitiarum et lutosa transiliamus luxuriæ. Cervus deserit valles, ascendit montes. Tu, desere terram, ascende cœlum. Cervus serpentem devorat, sitiens petit fontem, deponit veterem pellem. Tu, peccator, occide diabolum, curre ad Christum, depone veterem hominem, id est superbiam. Aperuit ora mutorum, quia, cum clamaret: *Agite pœnitentiam* (Matth. iii, iv), confessi sunt peccata. Patet igitur, fratres, quadruplicis languoris quadruplex remedium. Non contemnamus medicinam. Aperiamus hic oculos per fidem, ut in futuro Deum videamus per speciem. Pateant aures verbo Dei, ne et nobis dicatur: *Vos verba Dei non auditis, quia ex Deo non estis* C (Joan. viii). Saliamus ut cervus pede amoris Dei, ut ad cœlorum alta valeamus ascendere. Aperiamus interim linguam nostram in confessione prævenientes Deum, ut ibi eam in illa laude aperiamus confessione, *qua omnis spiritus laudabit Dominum* (Psal. cl).

TIT. XLVIII. *De quadruplici statu hominis.*

*Ne læteris, Philisthæa omnis tu, quoniam contrita est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, et semen ejus absumens volucrum, etc.* (Isa. xiv). In his verbis notantur quatuor status hominis, videlicet ante peccatum, lapsus ejus, redemptio, diaboli interitus. Virga est rectitudo primi parentis ante peccatum. Percussor, ipse parens, cujus invidia ipse diabolus percutiebatur. Sed hæc virga contrita est, quoniam per peccatum rectitudo hominis est amissa. Quia ergo virga, id est rectitudo percussoris diaboli, contrita est, lætabatur diabolus, ostendens autem non esse ei lætandum et volens propheta humanum genus consolari; de quo quia illud in carcere detinebat diabolus exultabat, insultans contra ipsum humani generis inimicum ait: *Ne læteris, etc.* Philisthæa quæ *potionem* interpretatur diabolum notat, qui potione superbix inebriatus a nativo sensu et cœlesti gloria cecidit, qui quod propterea quod humanum genus teneat, exaltari non debeat, notatur cum dicitur, *de radice colubri egredietur regulus, etc.* Coluber genus humanum est, cui mors per serpentem illata est. Hic est serpens de quo legitur quod virga de manu Moys

projecta versa est in serpentem, cujus caudam dum **A** Moyses apprehendit, in virgam serpens rediit (*Exod. 17*). Virga genus est humanum : quod erat ante peccatum quasi virga propter bonæ voluntatis : et operis rectitudinem, de quo dicitur : *Redemisti virgam hereditatis tuæ*, etc. (*Psal. LXXIX*). Hæserat in manu Moysi, id est in Christi manu ante peccatum virga propter rectitudinem in primis parentibus. Mox autem propter peccata ejecta de manu Dei in serpentem vertitur, quia genus humanum tunc et mortale per naturam et tortuosum factum est per malitiam. Sed quia in novissimis diebus ad immortalitatem et bonitatem per gratiam rediit, quasi apprehensa cauda in pristinam rectitudinem virga convertitur. Ex hujus colubri radice, id est ex principio generis humani egreditur regulus, id est **B** Christus, quia Christus inter mortales ita superior fuit sicut regulus rex serpentum dicitur, cujus semen, id est apostoli, absorbet volucrum, id est diabolium. De istis volucribus dicitur : *Et volucres cæli comederunt illud* (*Luc. VII*). Confundatur ergo et timeat diabolus, quia semen reguli, id est apostoli Christi, absorbet volucrum, id est diabolium in membris dominicis dissipabit, Domino ei dicente : *Macta et manduca* (*Act. x*). Gaudeat homo quia obstetricante manu Domini, id est medente Filio Dei, eductus est coluber de caverna, id est diabolus de cordibus hominum, ut exultantes de sui ereptione, suoque vincenti consolatori gratias agentes dicant : *Ecce vicit Leo de tribu Juda* (*Apoc. v*).

**TIT. XLIX. De tribus mansionibus Ægypti.**

*Egredimini, filie Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua* (*Cant. III*). Volens Scriptura infirmas mentes, quas in carnalibus desideriis jacere dolebat, ut quæ ad Deum videndum conditæ fuerant, ad visionem veri Salomonis revocare, ait : *Egredimini*. Egredimini itaque a fetore stabuli, ad odorem thalami, a cæpis Ægypti ad manna deserti, a tribus, scilicet mansionibus Ægypti, ad tres visiones Salomonis nostri. Tres enim sunt mansiones Ægypti : Exterior, interior, superior. Exterior mansio est in desiderio eorum quæ mundi sunt; interior, in delectatione eorum quæ carnis; superior, in malis gloriari. Has mansiones deserere præcipitur Abraham cum ei dicitur : *Eri de terra tua*, hæc est prima; *et de cognitione*, hæc est secunda; *et de domo patris tui* (*Gen. XII*), hæc est tertia. Terram appellat curiositatem terrenorum, cognitionem affinem carnis delectationem, domum patris de malis gloriari, exemplo illius qui singulariter volens gloriari dixit : *Sedebit te in monte testamenti* (*Isa. XIV*). Hic dicitur pater malorum imitatione. In prima mansione habitant qui honoribus et divitiis delectantur : in secunda, qui carnis desideriis obsequuntur; in tertia, qui de propriis malis superbiunt et gloriantur. Hæc sunt tria mala quæ enumerat Joannes apostolus, dicens : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitæ* (*I Joan. II*). In nec

igitur trium dierum, ut neque cogitatione, nec locutione, nec operatione criminaliter peccemus, egrediamur cum Abraham has tres mansiones, quod videamus Salomonem. Aliter non videretur. Triplex autem est ejus visio ad quam a triplici prædicta visione pervenitur, prima in hoc exsilio, secunda in judicio, tertia in regno. De prima dicitur : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti* (*Joan. XX*); de secunda : *Videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc. III*); De tertia : *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* (*Isa. XXVI*). In prima apparuit mansuetus; in secunda justus iudex. Unde : *Cum accepero tempus ego justitias judicabo* (*Psal. LXXIV*). In tertia gloriosus quia gloria et honore coronavit eum Dominus (*Psal. VIII*). In prima visione illuminavit cæcos; in secunda voluit solvere compeditos; in tertia dirigit justos. In his est amabilis, terribilis, admirabilis. Prima visio generat spem, ne deiciamur adversis; secunda, timorem, ne erigamur prosperis; tertia, charitatem, ut videamus *facie ad faciem* (*I Cor. XIII*). In prima visione fuit corrector inorum; in secunda erit discretor meritorum; in tertia, largitor præmiorum. Secundum istas tres visiones, tria ipsi conveniunt nomina : Salomon, Ecclesiastes, Idida. Salomon *pacificus* quod vere fuit in prima. Ecclesiastes *concionator*, quod erit in secunda, quando advocabit cælum desursum et terram, dicturus malis : *Ite, maledicti in ignem æternum* (*Math. XXV*), bonis : *Venite, benedicti*, etc. (*ibid.*). Idida, id est *dilectus Domini*, quod erit in tertia visione in patria quando erit omnibus omnia (*Col. III*). In prima visione viderunt eum boni et mali, sed non omnes. In secunda videbunt eum boni et mali, et omnes. In tertia omnes boni et soli. Ad primam autem visionem in qua mansuetus exspectat, peccantes Scriptura invitatur, dicens : *Egredimini, et videte regem Salomonem pacis præcepta dictantem ut unitatem spiritus servetis in vinculo pacis*. Videte dico non in quo coronavit eum noverca, sed mater sua. Coronavit enim cum noverca, pater et mater. Noverca Synagoga, mater Virgo, Pater ejus Deus. Noverca coronavit eum corona spinea et miseræ, mater corona justitiæ, Pater corona gloriæ. Spinea corona materialiter punxit eum exterius, spiritualiter interius non pro suis, sed pro nostris criminibus, ut nos pro spinis nostris ei non delignemur compungi. Matris corona quatuor pretiosis lapidibus eum ornavit. Isti sunt principales quatuor animi affectiones, gaudium, amor, tristitia, timor. Istæ affectiones, sicut dicit beatus Augustinus, ordinatæ justitia sunt, inordinatæ injustitia. Quia itaque sibi ordinatas eas Salomon noster assumpsit de Virgine, ipsa prædicta corona justitia eum coronavit. Ut autem ad plenariam cognitionem tertii diadematis, quo eum Deus Pater gloria et honore coronavit pervenire possitis, egredimini a vitiis, videte fide et operatione et imitatione eum coronatum corona qua coronavit eum mater sua, ut ordinatas ejus exemplo prædictas affectiones habeatis, ipso præstante. Qui, etc.

TIT. L. *De triplici locutione Dei.*

*Audiam qui loquatur in me Dominus Deus (Psal. LXXXIV).* Tribus modis homini loquitur Deus. Lege scripta, lege naturali, inspiratione occulta. Lex scripta, et Vetus et Novum Testamentum. Lex naturalis: Quod tibi factum velis, id alii feceris; et: Quod tibi non fieri nolis, alii ne feceris. Lex scripta proponitur auribus, naturalis inseritur cordibus. Neutra ad salutem observatur operibus, nisi tertio modo loquatur homini Deus, inspiratione scilicet occulta. Hæc est tertia locutio Dei, non loquax, sed efficax, non exterius sonans, sed interius docens et penetrans. Abigit muscas Ægypti, quæ sequuntur sacrificantes in deserto. Prima musca est carnis mollietas; hæc contaminat sacrificium mortificatæ carnis. Secunda est curiositas mundi, et hæc maculat sacrificium cordis contriti. Tertia musca est malignitas diaboli et hæc foedat. Totidem autem sunt ranæ Ægypti loquaces. Has ranas exstinguit divinæ inspirationis locutio, dum a voce carnalium delectationum, a strepitu mundanæ curiositatis, et a voce male suggerentis diaboli facit quiescere. Hæc item locutio est quæ intus loquitur pacem. Pax autem duplex est: temporalis, quæ a vitis facit quiescere et æterna, quæ in gloria donat durare. De utraque dicit propheta: *Sabbatum ex Sabbato dabit vobis (Isa. LXVI)*, id est requiem æternam pro temporali. *Pacem prædictam loquitur Deus in plebem suam, super sanctos suos et eos qui convertuntur ad eor (Psal. LXXXIV).* In his tres in Ecclesia notantur ordines. Conjugati per plebem, prælati per sanctos continentes per eos qui convertuntur ad cor. Vel tres ordinet claustralium: incipientes, qui adhuc contra carnalia desideria pugnant; perfecti, qui soli Deo adhærent; prælati, qui sibi et aliis prævident. Qui, etsi ad aliorum curam recedunt, per propria ad cor suum redeunt.

TIT. LI. *De ascensionis cordis ad Deum gradibus.*

*Ascensiones in corde suo disposuit (Psal. LXXXIII).* Ascensor iste in Scriptura sacra aliquando dicitur ovis perdita, aliquando filius prodigus, recedens a patre. Recessit enim a suo pastore et Patre in desertum hujus mundi, quod regio est a Deo longinqua tribus descensionum gradibus. Primus fuit a Dei magistra voluntate recedere, et suam sibi propriam magistram constituere, divinæ voluntati suam præferendo; secundus fuit a sua voluntate in carnis voluptates descendere, carnis curam in desideriis faciendo; tertius verò, a seipso sub se in terrena effluere, mundum et ea quæ in mundo sunt quærendo. Primum recessit a Deo intro ad se, secundo ab intus extra juxta se, tertio extra se. Prima diæta remotum, secunda remotiorem, tertia eum fecit remotissimum. Prima est voluntatis perversio, secunda carnalis delectatio, tertia terrenorum ambitio. His gradibus ad desertum ad regionem longinquam usque ad Babylonem descendit. Sed quia, juxta prophetam, etiam ibi aliquando liberatur, attendendum quomodo per trinam ascensionem ab hac trina

A descensione ad Deum redeat, quia inde incipit ascendere, ubi descendendo pervenit. Primus ascensionis gradus est terrena contemnere, paupertatem illam appetendo qua pauper in cella ditior fit in conscientia; secundus est carnis delectationes ex toto conterere, carnalia desideria vigiliis, jejuniis et orationibus domando; tertius voluntatem suam Deo et prælatis suis supponere, humilitatem in corde, patientiam in ore, perseverantiam exhibendo in opere. Nam hæc tria veræ obedienciæ sunt necessaria, exemplo illius qui *factus est obediens Patri (Philip. II)*; — *mitis et humilis corde (Math. XI; Isa. LIII)* — *et tanquam ovis ad victimam ductus non aperuit os suum, perseverans usque ad mortem crucis (Philipp. II).*

B TIT. LII. *Sabbata quæ derideantur.*

*Viderunt eam hostes et deriserunt Sabbata ejus (Thren. I).* Hostes deridere Sabbata est etiam a vitis ipsa vacationis opera et otia, ad illicitas cogitationes pertrahere.

TIT. LIII. *Quid sit: « Pones eos ut clibanum ignis. »*

*Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, etc. (Psal. XX).* Clibanus intus ardet, ignis carnes exterius urit. In tempore igitur vultus Domini, et intus injustis ardet conscientia, et foris carnem cruciat gehenna.

TIT. LIV. *De nominis Jerusalem interpretatione secundum quadruplicem sensum.*

*Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas (Psal. CXXI).* Jerusalem quatuor accipitur modis: historice, terrena ista civitas; allegorice, sancta Ecclesia; tropologica, quæque fidelis anima; anagogice, æterna felicitas. De prima dicitur: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, etc. (Luc. XIII).* De secunda est tertia: *Surge, illuminare, Jerusalem, etc. (Isa. LX).* De quarta: *Jerusalem quæ sursum est libera est, quæ est mater nostra (Gal. IV).* Cui dicitur: *Lauda, Jerusalem, Dominum (Psal. CXLVII).* Hæc est, ut canit Ecclesia, *urbs quædam beata, scilicet Jerusalem, dicta pacis visio, juxta nominis interpretationem, quæ construitur in montibus, quia in cælis, vivis ex lapidibus, id est angelis et hominibus, præparata ab origine mundi, ut sponsata per prophetas in tempore, copuletur tandem Domino in æternitate. Quæ ædificatur ut civitas, vivis et rationabilibus ædificiis, angelicis ordinibus quasi mœnibus, apostolicis fortitudinibus quasi propugnaculis, martyrum confessionibus tanquam muris, continentium castimoniis tanquam honestis domibus, conjugatorum officiis quasi plateis negotiorum exercitatis. Hujusmodi ædificiis ædificatur, donec consummata dedicetur. Diebus septem ædificatur, octavo dedicatur. Hæc autem non est civitas, sed ædificatur ut civitas, non ratione nominis, sed similitudinis ratione. In ædificatione enim tria concurrunt. Primo violenter extrahuntur lapides malleis et vectibus ferreis cum multo labore. Secundo celte, bipenni, regula poliuntur, eruderantur, et quadrantur. Tertio per manum artificis in suis locis disponuntur permansuri. Ad*

hunc modum in ædificatione patriæ cœlestis tria A considerantur, separatio, politio, positio. Separatio est violenta, politio purgatoria, positio æterna. Primum est in angustia et afflictione; secundum, in patientia et exspectatione; tertium, in gloria et exultatione. Per primum cribratur homo sicut triticum, in secundo examinatur sicut argentum, in tertio ponitur in thesaurum, siquidem vivi lapides sunt, quos prævidit Deus fœti conformes Filii claritatis suæ. Hi dum sunt in corpore, quasi in lapidea massa sunt. Moles enim corporis tenacissime premit et arctat quia *corpus quod corrumpitur aggravat animam*, etc. (Sap. ix). Ab hac desiderabat abstrahi qui dicebat: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. xv). Multis concussionibus necesse est nos agitari, ut inde extrahamur idonei. *Per multas B enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. xiv). De quibus experto credite dicenti: *In vigiliis multis, in laboribus supra modum: in fume et siti*, etc. (II Cor. xi). De molestia autem separationis audite Psalmistam: *Circumdederunt me genitus mortis* (Psal. cxiv). Quam intolerabilis sit ista separatio, quando physicales nodi solventur, et proportionalia vincula, in libro experientiæ legitur qui ab Antonio noluit suscitari, cum oporteret iterum mori. Post hanc separationem qui statim inveniantur idonei (sicut beatus Benedictus cui via ad cœlos visa est, quod rarum est) sublevantur. Qui vero cum ligno, feno et stipula transeunt, in purgatorio poliuntur (I Cor. iii). Unde: *Si cujus opus arserit quod C superædificavit, mercedem accipiet* (ibid.). Post politionem autem sustolluntur, suisque aptantur locis per manum artificis d. p. i. e. (sic). Sane hæc tria singulis annis repræsentant Ecclesia. In vigilia Omnium Sanctorum separationem, in festivitate positionem, in memoria mortuorum politionem. Dies enim jejuniorum dies est afflictionis. Unde: *Prima die septimi mensis affligetis animas vestras* (Levit. xxiii). Dies vero sollemnis quæ sequitur, plenitudinem gaudii significat, in quo sancti Domino scenopæizant: Tertio memoria mortuorum agitur, ut ii qui in purgatorio poliuntur, pœnæ consequantur absolutionem, vel pœnæ mitigationem. Et sic tria repræsentat Ecclesia circa spem beatorum, unde transeunt, et qua transeunt, et quo transeunt. D Unde transeunt, quia ab hac miseria: qua transeunt, quia per pœnam et purgatorium: et quo, quia ad cœlestem Jerusalem, *cujus participatio*, id est habitatio est in idipsum (Psal. cxxi), id est invariabile. Omnium enim sub sole diversum esse est; habitatio vero Ecclesiæ cœlestis est in eo quod est idipsum. In cujus, etc.

TIT. LV. *De nominibus filiarum Dei et diaooli: et egressu earum ad regem suum.*

Sicut perversa anima dicitur filia maris, filia Tyri, filia Sidonis, filia Babylonis, exposita vanitati, voluptati, curiositati, et omnibus vitiis, sic fidelis dicitur filia Juda, filia Sion, filia Jerusalem. Ex humilitate compunctionis, ex sublimitate contempla-

tionis, et ex felicitate supernæ visionis hīs filiabus dicitur: *Egredimini ad Creatorem vestrum*, quia videnti Creatorem angusta est omnis creatura. *Egredimini ad Salvatorem*, quia ipse dicit: *Ecce nona facio omnia* (Apoc. xvi). *Egredimini ad glorificationem*, quia dicitur: *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (Psal. xvi). Sequitur: *Et videte oculo rationis*, Creatoris vestri potentiam, oculo fidei Redemptoris vestri clementiam, oculo contemplationis cœlestis sponsi gloriam, Regem scilicet naturæ, ne tempora in nihilum redigantur gratiæ, ut ordinate succedant munera gratiæ, gloriæ, ut hic vel ad modicum prælibetur, alibi ad plenum consummetur. Regem in mundo, regem in inferno, regem in cœlo. In inferno tormenta disponit, in mundo merita distribuit, in cœlo præmia reddit. Videte ergo, filiæ Sion, regis vestri apud inferos terrorem, in mundo ipsius amorem, in cœlo honorem. Apud inferos impios premit ejus justitia, in mundo pœnitentes regit misericordia, in cœlo diligentes felicitat gloria.

TIT. LVI. *De expositione sacre Scripturæ.*

*Si intraveris segetem proximi tui franges spicas et manu conteres; falce autem non metes* (Deut. xxiii), hoc est evelles sententias manu intelligentiæ, conteres granum ab arista, spiritum secernens a littera. Falce autem non metes, quod est facile et subito librum transcurrere. Sufficit paucos manipulos per dies colligere. Sunt qui falce metunt, qui totum subito librum legentes nihil intelligunt. *Ingressus vineam proximi tui*, id est Scripturam Dei tui, *comedas uvas*, id est sententias quantum tibi placuerit; *foras autem non efferas tecum* (ibid.), quia non est dandum sanctum canibus neque ponendæ margaritæ ante porcos (Matth. vii).

*Frumento, vino et oleo stabilivi eum* (Gen. xxvii). Divina Scriptura in quibusdam locis quasi panis difficile editur, in quibusdam sicut vinum facile sorbetur, in omnibus quasi medicamentum et oleum animæ, dum sumitur, medetur.

TIT. LVII. *Primogenita diversis modis esse Dei et sacerdotum.*

Omnia primogenita in lege sunt sacerdotum immunda redimuntur, munda non, sed offeruntur. Quorum sanguis super altare funditur, pectusculum et armus est sacerdotum (Num. xvii), quia fides sacerdotum ministerio Deo offertur. Aliter enim nemo baptizatur, nisi prius fides quæ est primogenitum sacerdotibus offeratur. Immundum redimuntur, quoniam anima violata pœnitentiæ pretio restauratur. Munda non redimuntur, quia quod liberum est redemptione non indiget. Sanguis super altare funditur. *Pectusculum et armus sunt sacerdotum*, quoniam sic ad eos pertinet ipsorum vitas prædicare ut consilia dare et onera portare sufficiant.

TIT. LVIII. *De Levitarum purificatione et officiis in typum cleri Christiani.*

Præcipiuntur Levitæ tolli de medio filiorum Israel, purificari, aqua lustrationis aspergi, omnes pilos corporis radere (Num. vii). Significatur autem per

hoc nostrorum levitarum et clericorum vitam debere a laicali vita secerni ab omni vitiorum sorde purificari et lavari, et a superflua cogitatione mundari. Unde additur: *Ponentque filii Israel manus suas super eos (ibid.)*, ut intelligant quanto oneri subdantur, quos pro omnibus laborare oportet, quorum manus ferunt, et quod omnium manus in tabernaculo facere debuerant illi soli faciant, qui omnium manus in se susceperunt. Levitæ autem super duorum boum capita manus ponebant, intelligentes se corpus et animam suam debere domare, quorum domitor erat qui dicebat: *Castigo corpus meum, et in servitum redigo (I Cor. ix)*. Si sic domiti fuerint, tunc Moyses, id est Salvator, alterum boum pro peccato, alterum in holocaustum offert, ut uno peccata solvantur, altero Dei gratia suscipiatur. Ita purificati in tabernaculum intrant ministraturi, quoniam tales Ecclesiæ et cœli tabernaculo digni sunt.

**TIT. LIX. De bove et asino, id est stolido et rustico cum ceciderint sublevandis.**

*Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicias, sed sublevabis eum (Exod. xxiv)*. Sumus in via mandatorum Dei, in qua Psalmista inde fatigatus dicebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri (Psal. cxviii)*. Frater noster Christus est, et quilibet homo. Certum enim est quod unius Patris filii sumus. Hujus asinus est aliquis stultus, piger, luxuriosus. Bos est qui in ejus agro laborare debet. Tales si in via peccando cecidisse videmus sublevare debemus. Adjuvemus ergo ut et nos adjuvemur. Intra nos est hortus in quo sepulcrum est Domini, in quod si cadimus, suscitamur, ut corpus a latrunculis elatum timore persequentiam in sepulcrum Eliæ dum cadit, vivus resurgit (*IV Reg. xiii*), sed lapis, ne intremus, sæpe est ostio oppositus; verum si sanctæ mulieres, id est bonæ cogitationes frequentant sepulcrum, angelus lapideum amovet, et intrantes, etiam si mortui fuerint, vivent.

**TIT. LX. De diligentibus et timentibus Deum, et de confidentibus Deo.**

*Recti diligunt te (Cant. i)*. Hominum alii sunt jacentes, alii curvi, alii recti. Jacentes sunt qui nec timent nec diligunt Deum; curvi, qui timent et non diligunt; recti, qui timent et diligunt. Quidam sunt qui confidentur Deo, quia eos bene pascit. Unde in psalmo: *Constitetur tibi, cum benefeceris ei (Psal. cxviii)*. Istitis jacentes in luto peccati Deum nec timent nec diligunt. Alii sunt qui confidentur Deo quoniam sciunt esse potentem ponere corpus et animam in gehennam; isti timent et non diligunt. Alii Deo confidentur propter ipsum, quia solus bonus est, dulcis et magnæ misericordiæ; non timore, non cupiditate, sed confidentur quoniam bonus. Primi sunt mercenarii, secundi servi tertii filii. Mercenarius cupit sibi, servus timet sibi, filius diligit. Unusquisque habet legem suam. Mercenarius cupiditatem, qua constringitur; servus timorem, quo arcetur; filius charitatem, quam complectitur.

**TIT. LXI. De triplici cella in quam introducimur. Introduxit me rex in cellaria sua (Cant. i)**. In morali disciplina tres sunt cellæ quasi in vero cellario. Unde pluraliter dicit *cellaria*. Prima est disciplinæ, secunda naturæ, tertia gratiæ. In prima discis inferior esse, in secunda par, in tertia superior, scilicet subesse, coesse, præesse. Primo igitur discas esse discipulus, secundo socius, tertio magister. In prima mali mores domentur, in secunda boni assumantur, in tertia in aliis doceantur domari et assumi.

**TIT. LXII. Rursus de interpretatione Jerusalem.**

Lætare, Jerusalem, et conventum facite. Jerusalem quatuor modis dicitur. Historice, allegorice, moraliter, anagogice. Historice civitas est constituta super montem Sion, in area Orna: Jebusæi, ubi rex David nebulosam construxit turrim. Allegorice est urbs in monte Christo constituta, ejus fundamentum in montibus sanctis, ubi Christus regnat in æternum. Moraliter, fidelis anima contemplationi dedita quæ in virtutum eminentia sternit fundamentum. Hanc inhabitat Verbum de corde Patris eructatum. Verbum enim Dei sumus in illo. Anagogice, supercœlestis illa curia, archangelica turba, quæ quotidie satiatur, dum eis apparet gloria, quia in speculatione æternæ jucunditatis jugiter creditur constituta. Lætatur autem Jerusalem urbs terrena pro terrenis. Lætatur Jerusalem Ecclesia pro multiplicibus donis. Lætatur Jerusalem fidelis anima pro diversis mentis. Lætatur Jerusalem divina curia pro diversis premiis. Lætitia qua jucundatur Ecclesia duplex est, peccatorum remissio et donorum assecutio. Pro his ergo acceptis beneficiis invitat eam Spiritus sanctus ad exultationem. Lætare, Jerusalem, et conventum facite. Convenient virtutes ut resistant vitiiis. Convenient prædicatores ut resistant hæreticis. Convenient martyres ut resistant tyrannis. *Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversus eam testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ.*

**TIT. LXIII. De custodia viæ hominis in locutione, et de non divulgandis mysteriis.**

Via hominis in custodia sermonis non solum servatur, sed etiam corrigitur. *In quo enim corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo, inquit, sermones suos (Psal. cxviii)*. Ili sermones quia aliquando sunt tacendi, subditur: *In corde meo abscondi eloquia tua (propter porcos et canes), ut non peccem tibi (ibid.)*: *Nolite sanctum dare canibus (Matth. vii)*. Vitium est secreta mysterii indignis vulgare. Quod fit vel adulatione, ut placeat cui vulgat, vel avaritia, ut inde lucretur; vel jactantia, ut multa scire videatur. Quia vero sunt aliquando proferendi ostendit, dicens: *In labiis meis (cordi consonis) pronuntiaui (aliis cum tempus vidi) judicia tua (Psal. cxviii)*. Non dico omnia, sed oris tui: quæ per apostolos et alios mihi manifestasti, judicia quibus nunc et in futuro judicatur mundus, quæ sunt abyssus multa.

TIT. LXIV. *Butyrum et mel comedet, etc.*

Butyrum et mel, qui nobis, puer factus est, comedit in nobis (*Isa. vii*), cum nos comedere facit, quia cum in nos Spiritus sanctus gratiam fundit, melle nos pariter et butyro replet. Mel enim desuper cadit; butyrum ex boum ceu vaccarum lacte colligitur. Mel itaque ex aere, butyrum est ex carne. Summi autem Patris Unigenitus, cum sit Deus super omnia, homo factus est inter omnia. Qui cum nos dulcedine divinitatis suæ et mysterio incarnationis replevit, nos melle pariter et butyro nutrit, ut sciat, id est scire nos faciat, reprobare mare malum, vitiorum et pœnarum: et eligere bonum, virtutum et præmiorum.

TIT. LXV. *De quinque civitatibus Ægypti loquentibus lingua Chananæa.*

In illa die erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chananæa (*Isai. xix*), non Ægyptia, nec Hebræa. Quinque civitates sunt quinque sensus corporis. Ægyptus, mundus. In Ægypto loquuntur civitates lingua Ægypti, dum quinque sensus in mundo quæ mundi sunt appetunt. Chananæa loquuntur in Ægypto, dum moti a vitiis ad virtutem in mundo mundana non quærunt. Chananæa enim interpretatur commotio. Lingua vero Hebræa quæ transitus sonat, nullus in Ægypto hujus mundi loquitur, sed in vita illa ad quam de morte sit transitus. Hic autem Chananæa, quæ inter Ægyptiam et Hebræam est affinis, ille loquitur qui de vitiis ad virtutes commovetur, licet omnino non transeat. Sequitur: *Et jurantes per Dominum exercituum (ibid.)*, id est Dei, non hominum recordantes. Additur: *Circitas solis vocabitur una (ibid.)*. Hæc est visus per quam lumen accipitur justitiæ, ut civitas videatur.

TIT. LXVI. *Quomodo loquatur Deus ad cor hominis.*

Loquar ad cor ejus (*Ose. ii*). Loquitur Deus ad cor hominis gratia sua ipsum illustrando. Loquitur homo ad cor suum, in libro cordis sui opera sua diligenter legendo. Liber iste duo folia habet. In uno legunt peccatores; in alio pœnitentes. Peccator hoc legit: Hæc ego egi, recordor, et delector. In contrario folio pœnitens: Ego egi hæc, recordor, et doleo. Legamus in folio pœnitentium ne forte solvamus novissimum quadrantem, id est puniamur pro his quæ de terra protraximus. Duo enim sunt quadrantes, unus Dei, alter sæculi. Quadrans Dei amor ex toto corde, ex toto animo, ex totis viribus. Quadrans sæculi est voluptas, curiositas, inanis gloria. Omnis enim quadrans ex tribus consistit. Primus solvitur, et gloria recipitur, secundus recipitur, et pœna tribuitur.

TIT. LXVII. *De novissimis et antiquis ad verbi incarnationem applicatis.*

Cognovisti omnia novissima et antiqua (*Psal. cxxxviii*). Novissimum: *Verbum est caro factum (Joan. i)*; antiquum: *In principio erat Verbum (ibid.)*. Hæc sunt nova ad vetera, et veterum vetustissima, de quibus in Levitico: *Vetustissima ve-*

*terum comedetis: et novis supervenientibus, vetera projicietis.* Vetera sunt promissiones legum et prophetarum de venturo Christo. Nova sunt promissionum impletio, veritatis exhibitio. Vetustissima, quæ ad divinitatis æternitatem pertinent. Novis ergo supervenientibus, vetera sunt projicienda, et vetustissima servanda, [quia exhibita veritate Dominici adventus figura et promissio cessare debent, novumque incarnationis et vetustissimum æternitatis Verbi credendo et colendo tenendum. Unde tres in Natali missæ celebrantur. Prima de æterna genitura: *Dominus dixit ad me.* Secunda, de promissione adventus: *Lux fulgebit.* Tertia de impletionem promissionis: *Puer natus est nobis.* Et quia ille idem qui est Dei Filius, factus est hominis filius, ideo in illius missæ officio ubi cantatur de æterna Christi genitura: *Dominus dixit ad me*, legitur Evangelium de temporali Christi nativitate: *Liber generationis Jesu Christi (Matth. i)*; et in missa ubi cantatur de temporali nativitate: *Puer natus est nobis*, legitur Evangelium de æterna generatione: *In principio erat Verbum (Joan. i)*. Et quia veritate exhibita figuræ cessant, non officium quod pertinet ad promissionem, sed quod ad impletionem sequentibus diebus repetitur, scilicet. *Puer natus est nobis.* Hæc novissima et antiqua quæ Pater novit, et cui Filius voluerit revelare.

TIT. LXVIII. *De dimidiatis diebus suis et non dimidiatis, et de loco mortis eorum.*

Duces eos in puteum interitus, quia viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (*Psal. lxxv*): ut si quos egerint in malo, reliquos consummarent in bono. Sunt enim qui non incipiunt dies, sed continue perseverant in malis. Alii dimidiant dies, alii implent dies bonos, quia alii moriuntur in Ægypto, alii in deserto, alii in terra sancta. In Ægypto moriuntur qui in tenebris vitiorum usque in finem vitæ perdurant; in deserto, qui de confessione peccati exeuntes per pœnitentiam emendantur; in terra sancta implent dies qui sine crimine in opere justitiæ usque in finem persistent. Hæc tria genera hominum in volumine illo in quo scripta sunt carmen, lamentum et væ. Carmen cantant qui peccati lapsum non senserunt; lamentum qui a peccatis per lamentum pœnitentiæ surgunt; væ qui peccant et non pœnitent. Hi non dimidiant dies suos.

TIT. LXIX. *De duabus tubis argenteis et earum usu ad Petrum et Paulum applicatis.*

Fac tibi duas tubas argenteas ductiles (*Num. x*), quarum varietate vocum populus congregetur ad prælium præparatum, et in festivitate cantetur. Hæc tubæ argenteæ sunt Petrus et Paulus, qui sunt argentei nitore eloquii, ductiles super incudem cordis Spiritus sancti malleo fabricatam. His ad Ecclesiam nos populi circumcissionis et gentium congregamur, contra hostes vitiorum et dæmonum dimicare, et eos superare docemur, ac discimus bene vivendo, mores componendo, et in via mandatorum currendo, qua-

litter Deo hostias laudis et jubilationis immolemus, A  
gratum Deo festum celebrantes. His aliter ad congregandum, aliter ad pugnandum incitatur, quia triplici modo jam explicito.

Tit. LXX. *De duplici labore, sæculi scilicet et Dei, et utroque triplici.*

*Honestavit illum in laboribus suis (Sap. x).* Labores alii in sæculo, alii in Dei servitio. Labor sæculi triplex. Unus gratus et delectabilis: sicut hortorum, vivariorum et similibus. Alius stultus et inutilis, sicut palæstræ, theatri, choreæ in cursibus equorum et saltibus pedum. Alius scelestus et gravis, sicut furtorum, homicidiorum et similibus. Hi omnes stultorum. Labor autem qui habetur in Dei servitio similiter triplex. Durus, sed fructuosus, sicut manuum pro salute animæ et ex obedientia, qui habetur sudore plenus. Alius honestus et virtutum gratia plenus, ut in hymnis et canticis, consonantia morum, sed et vocum in Dei laudem exerceri. Alius dulcis et jucundus, quem non novit nisi expertus, sicut quando mens contemplatione quadam Deo ferventissime adhæret, et mirabilibus lacrymis pascitur; quæ in Job aquæ nivis vocantur, quod licet in experto labores videatur; experto tamen est super mel duce.

Tit. LXXI. *De fine qui consumit et consummat. Et de mandato quod est latum nimis.*

*Omnis consummationis vidi finem. Latum mandatum tuum nimis (Psal. cxviii).* Finis consummationis est plenitudo dilectionis. Finis qui consumit et consummat. Consumit tria iniquitatem vitiorum mentis et peccatorum carnis, vanitatem mundi, et calamitatem carnis. Consummat tribus: perfecta puritate, angelica paritate, æterna felicitate. Hoc mandatum latum est nimis, quia ex quo interiorem possidet hominem, nec cogitationem agitat vanitas, nec affectionem impuritas maculat, nec intentionem iniquitas angustat, sic Deus optat a nobis amari. *Dilige, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua (Deut. vi)*, ut sit cogitatio sana, affectio pura, intentio recta. Diliges, primo, quia te condidit, secundo quia redemit, tertio quia glorificabit, ex operibus scilicet conditionis, redemptionis, glorificationis. In primo te creavit ex nihilo et ratione præditum fecit. In secundo liberavit a maledicto, D  
et a concupiscentia sanavit. In tertio te angelorum sociavit consortio, et limpidissimæ memoriæ patravit.

Tit. LXXII. *De triplici statu in corpore quam habet anima diligens Deum.*

*Comedite, inquit sponsus in Canticis, amici mei, et bibite, et inebriamini (Cant. v).* Tres sunt diligentis animæ status corporis: infirmi, mortui, suscitati. Primus valet animæ ad fructum penitentiae, secundus ad requiem, tertius ad consummationem. In primo corpus animam onerat et juvat; in secundo, non juvat, sed onerat; in tertio, juvat et non onerat. Primus status laboriosus est, sed fructuosus; secundus, onerosus et fastidiosus; tertius, gloriosus. Laborantes igitur in corpore ad cibum vocal, jam

posito corpore quiescentes ad potum invitat, resumentes corpora ut inebrietur invitat, quos et vocat charissimos, nimirum charitate, plenos. Unde et in aliis differentia est; nam ii qui in carne adhuc gravati erant, chari habentur pro charitate quam habent. Qui vero jam soluti compede carni sunt, eo sunt chariores, quo propinquiores et expeditiores ad amandum. Porro præ utrisque dicuntur charissimi qui recepta secunda stola eo in Dei amorem feruntur liberiores, quod de primo nihil habent quod eos sollicitet vel tardet. Primo ergo fidelis anima in carne pane cibatur doloris: secundo soluta a carne vino potatur amoris, tertio ad ferculum Salomonis admissa pigmento inebriatur amoris. Hoc triplex convivium ex una charitate celebrat sapientia: cibans laborantes, potans quiescentes, et inebrians regnantes. Hic primo ante mortem in carne mortali labores manuum nostrarum manducamus, post mortem in vita spirituali bibemus in suavissima requie, post carnis resurrectionem inebriabimur amplissima quadam felicitate. *Comedite* igitur ante mortem, *bibite* post mortem, *inebriamini* post resurrectionem.

Tit. LXXIII. *De triplici benedictione, duplici manu, et utriusque digiti, et de obedientia triplici.*

*Beati omnes qui timent Dominum; qui ambulant in viis ejus. Labores manuum tuarum manducabis: beatus es, etc. (Psal. cxvii).* Finis hujus psalmi benedictio est. Triplex est autem benedictio: materialis, spiritualis, intellectualis. Materialis est corporalium. Unde: *Frumento, vino et oleo stabilivi eum (Gen. xxvii)*. Spiritualis incorporalium. Unde: *in fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum (Eccli. xlv)*. Omnes qui vident talem cognoscent quia est sanctum, cui benedixit Dominus. Intellectualis cœlestium. Unde: *Convocatis Jesus duodecim discipulis suis, dedit illis virtutem super omnia demonia et ut languores curarent (Luc. ix)*. In prima ergo humana natura sustentatur opere et fructu naturæ; in secunda reparatur muneribus et opere gratiæ; in tertia sublimatur operibus et donis gloriæ, de spirituali in præsentibus psalmo loquitur. Sed nota quis sit qui benedici meretur, qui timet, ambulat, laborat, manducat. In primo obedientiam nota; in secundo penitentiam, in tertio constantiam, in quarto patientiam. Vera namque penitentia semper est timida, et cavet a peccatis; devota obedientia, dilatato corde, ambulat in mandatis; virilis constantia laborat in tentatione, ne cadat; humilis patientia gaudet in tribulatione, dum triumphet. Unde: *Omne gaudium existimate, etc. (Jac. i)*. Hic, *Labores manuum manducabis*. Prima manus et sinistra est actio. Secunda et dextera, est contemplatio. Sinistræ digiti sunt hi: primus abstinentia, amputat libidinem et ministrat castitatem; secundus silentium, tollit falsitatem et dat veritatem; tertius psalmodia, removet curiositatem, et donat carnis, oris et mentis puritatem; quartus labor vigiliarum, aufert ignorantiae cæcitatem et confert scientiæ claritatem; quintus exercitium operum, adimit vanitatem

et largitur gratiæ libertatem. Dextera digiti sunt isti : Primus est lectio, secundus meditatio, tertius compunctio, quartus devotio, quintus oratio. Lectio sponsam quærit, meditatio quæsitam invenit, compunctio inventam abluvit, devotio ablutam induit et ornat, oratio ornatam subarrhat. Quærit in divinis eloquiis, invenit in sanctorum Patrum institutis, abluvit salubri fonte lacrymarum, induit vario calore virtutum, subarrhat fide et voto stabilitate et proposito. Illius uxor est regularis et perfecta obedientia, sicut vitis abundans; de qua vinum exprimitur, quod triplicem vim habere dignoscitur; calefacit, lætificat, inebriat. Triplex quoque est species obedientiæ. Prima stabilium præceptorum, secunda inviolabilium, tertia incommutabilium. Prima est humanæ dispositionis, et accendit; secunda divinæ institutionis, et lætificat; tertia cœlestis eruditionis inebriat. Accendit prima fervore justitiæ, lætificat secunda puritate conscientiæ, inebriat tertia plenitudine gratiæ. Præfati igitur divitis uxor est sicut vitis abundans (Psal. cxxvii), quia ejus obedientia accendit ad justitiam et virtutem lætificat ad gratiam et quietem, inebriat ad gloriam et salutem. In lateribus domus tuæ (ibid.) conscientia, timor et spes. In lateribus domus uxor abundat, quia aliter vitæ perfectio non potest apprehendi, nisi cum timor inferius sollicitat, spes sursum erigit. Inter hæc duo latera virtutum exsultat familia, quia et timor circumspectus sepire vias satagit ne aspirant vitia; et spes sursum provehit, ne præmia certaminum videantur; timor obstat, ne rivalis introeat; spes blanditur, ut sponsæ placeat. Hujus filii, id est opera, sunt sicut novellæ olivarum. Oleum pascit, ungit et læcet. Ungit per opera misericordiæ, pascit per opera justitiæ, læcet per opera gratiæ. Novellæ olivarum dicuntur opera operum.

TIT. LXXIV. De præmiis arefactæ et mortificatæ carnis per religiosam obedientiam.

*Ossa arida, audite verbum Dei. Hæc dicit Dominus: Ecce introducam in vos spiritum et vivetis, etc. (Ezech. xxxvii).* His verbis loquitur ad eos Spiritus sanctus quibus ait Filius: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis regnum, etc. (Luc. xxi).* Laudat in eis rigorem mortificationis per contemptum peccati, mundi, et sui. Laudat decorem fortitudinis per amorem recti, Patris et Dei, æqui, justii, honesti. Ne vero eorum vacillet constantia, spem erigit ex dilectione resurrectionis, dicens, *ossa* propter dilectionis fortitudinem; *arida*, propter mortificationis exilitatem. *Audite verbum Domini, etc.* In his tota pulchritudo animæ consistit. In uno quidquid indecens est et inutile tollitur. In altero quidquid est pulchrum et honestum præparatur. In tertio quidquid salubre est statuitur. In uno quiescit perverse agere; in altero discit bene agere; in tertio, inquirere pacem et habere. Tales erant quibus dicebat Apostolus (Coloss. iii): *Mortui estis, ecce arida; et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo, ecce ossa. Cum*

*Christus apparuerit vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria, ecce resurrectionem.* De hujusmodi dicitur in psalmo: *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, etc. (Psal. xlii).* Et alibi: *In terra deserta, invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, etc. (Psal. lxi).* Tria sunt genera mortificationis: Primum iniquitatis per pœnitentiam, secundum carnis per abstinentiam, tertium voluntatis per obedientiam. Pœnitentia namque mortificatur iniquitas, abstinentia caro, obedientia propria voluntas. Prima virus exprimit malitiæ; secunda incentiva libidinis et gulæ excoquit; tertia illicita et incommoda voluntatis propriæ. Fit ergo terra *deserta* per pœnitentiam, *invia* per abstinentiam, *inaquosa* per spirituales obedientiam. In prima invenitur myrrha, quæ virus ejicit iniquitatis; in secunda gutta, quæ sanguinem abjicit immundæ voluntatis; in tertia casia, quæ naturalem virorem exprimit justæ necessitatis. Hinc Psalmista: *Ossa mea sicut cremium aruerunt (Psal. ci).* Cremium triplici de causa: Primo ex gratia salis, secundo ex industria hominis, tertio ex natura sanguinis. Ista, membrum Christi, sponsa Agni, cohæres Unigeniti carnem siccatur ab actu peccati, confitendo iniquitatem, sensum ligat a causa vagandi excludendo curiositatem, mentem servat ab affectu peccandi, eliminando vanitatem. Primo igitur sicca sunt ab iniquitate per confessionem; secundo, exilia per parcimoniam rigorem; tertio arida per spirituales subjectionem. Hæc est sponsa quæ primo ascendit quasi aurora consurgens (Cant. vi); secundo, per desertum sicut, virgula summi (Cant. iii); tertio, deliciis affluens (Cant. viii). Aurora a tenebris vitiorum elevata per confessionem agnitione veritatis, per desertum abstinentiæ occasione recisa curiositatis, affluens divitiis, id est spiritualibus exercitiis sub obedientiæ puritate. Sic arida, sed ossa, fortitudinem habent quadruplicem: Primo contra impetum vitiorum, secundo contra prosperitatem mundanorum, tertio contra turbines eorum, quarto contra astutias diaboli. Ossa ergo veritatis sunt amici Salvatoris discipuli, contemptus mundi, peccati sui, diaboli. Unde: *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? (Psal. xxxiv).* In corpore enim Ecclesiæ cutis sunt carnales, caro animales, ossa spirituales. Sic timore exsiccatis, dolore arefactis, auctor pietatis præmium promittit laboris in gloria resurrectionis. Unde sequitur: *Dabo super vos nervos, carnem, et cutem (Ezech. xxxvii).* In cute significatur corporis immortalitas, in carne animæ felicitas, in nervis utriusque æternitas. Magna igitur sunt afflictionis solatia, pretiosa mœroris gaudia, gloriosa certaminis præmia. Mira commutatio. Unde propheta: *Erit vobis in illa die corona pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris (Isa. lxi).* In ultimo corporis immortalitas, in medio animæ felicitas. In primo utriusque notatur æternitas. Hinc Apostolus: *Quod momentaneum et leve est tribulationis supra modum pondus gloriæ operatur in nobis (II Cor. iv): non aspicientibus*

quæ temporaria, sed quæ æterna. Virilis ergo compunctio mentis, afflictio carnis, constantia in tentatione, patientia in tribulatione, quoniam de compunctione delectatio, et de afflictione gaudium, de conflictu victoria, de pugna possidetur corona.

TIT. LXXV. *Quomodo Deus exaltetur in nobis, et de altitudine cordis nostri.*

*Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (Psal. LXXIII).* Tribus modis exaltatur Deus: per id quod habet de nobis, naturæ scilicet humanæ conditionem in qua exaltatus est super cælos cælorum; secundum quod habitat in nobis, per fidem videlicet et dilectionem, quia qui amplius diligit, amplius diligendus invenitur; secundum quoque quod capitur a nobis per cognitionem, quia quanto crescit in nobis ejus scientia, tanto major invenitur ejus eminentia. Instar montis, a quo quanto magis te elongaveris, tanto minor apparet; quanto magis appropinquaveris, tanto major et altior videtur. Est autem cor profundum et latum et altum: profundum desperatione, latum dilectione, altum contemplatione. Si vis ergo ut Deus, qui in se exaltari non potest, in te exaltetur, a profundo cordis accede ad latum per fidem et dilectionem, et de lato ad altum per cognitionem. Et exaltabitur Deus in nobis, quia quantum humani cordis affectio, ab inferiorum suspensa desiderio, in amorem æternorum promovetur, tantum charitas Dei ex magnis major, ex summis altior virtutibus, apud ipsum exaltatur.

TIT. LXXVI. *De triplici disciplina.*

*Apprehendite disciplinam (Psal. II).* Triplex est disciplina: correctionis, institutionis, conversationis. Prima et secunda ad magistrum, tertia ad discipulum. De prima et secunda dicit propheta: *Disciplina tua correxit me in finem; disciplina tua ipsa me docuit (Psal. XVII).* De tertia liber Sapientiæ: *Spiritus sanctus discipline effugiet scelum (Sap. I).* Duobus modis fit disciplina correctionis, monitis et flagellis; duobus traditur disciplina institutionis, præceptis et exemplis; duobus agitur disciplina conversationis, moribus et studiis.

TIT. LXXVII. *De quatuor agonibus Christianorum.*

*Persequatur inimicus animam tuam (Psal. VII).* Quatuor sunt agones militiæ Christianæ, plaga, fuga, impetus, triumphus. Aliquando enim persequitur inimicus hominem et comprehendit, et percutit plaga magna. Aliquando persequitur et comprehendit, sed elabatur fuga. Aliquando versa vice persequitur homo, et non comprehendit inimicum, quia indiscretus est impetus. Aliquando persequitur et comprehendit, et hic est triumphus. *Persequar, inquit, inimicos meos et comprehendam illos (Psal. XVII).* Quandiu distenditur homo in sæculo, persequitur eum inimicus et comprehendit; quando fugit de sæculo, persequitur eum et non comprehendit; quando fervore novitio pro redimendis vitiis indiscrete corpus avertit, tunc versa vice persequitur homo inimicum, sed non comprehendit; quando perfecto sensu sic vitium jugulat ut nec indulgeat, per-

PATROL. CLXXVII.

A sequitur et comprehendit. De primo propheta: *Plaga inimici percussit te (Jer. XXX).* De secundo Dominus: *Videte ne fiat fuga in hieme vel sabbato (Math. XXIV).* De tertio: *Qui festinus est offendit pedibus (Prov. XIX).* De quarto: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis (Jac. IV).* Nam restitisse in tentationibus, vicisse est.

TIT. LXXVIII. *De ira, facie et præsentia Dei; de fumo, flamma et carbonibus.*

*Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, et carbones succensi sunt ab eo (Psal. XVII).* Aliud in Deo ira, aliud facies, aliud præsentia. Ira judicii recordationem, facies cognitionem, præsentia ponit perfruitionem. Bona est recordatio, melior cognitio, optima perfructio. Cæterum aliud B fumus, aliud flamma, aliud carbones significant. *Fumus est amaritudo pœnitentiæ, flamma ardor dilectionis, carbones holocaustum consummationis.* *Tunc, inquit, acceptabis sacrificium justitiæ oblationes et holocausta (Psal. L).* Recordatio igitur judicii excitat compunctionem, dum timorem incutit, et ex timore ad pœnitentiam adducit. *Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui (Psal. CXVIII).* Quia post mortem inde afficitur amore. Cognitio exardescere facit affectionem, quia quanto magis cognoscitur Deus tanto plus amatur. Unde in præsentia non plene diligitur, qui non plene cognoscitur. Perfructio vero donat consummationem, quia, dum post mortem dabitur fructus gloria per majestatem contemplationis, consummabitur plenitudo dilectionis. Sed dum ex recordatione judicii excitatur compunctio, tunc ex ira Dei fumus ascendit; dum ex cogitatione incalescit dilectio, a facie ejus ignis exardescit; dum ex perfruitione præsentia datur cognitio, carbones succenduntur ab eo. Primo fumum, secundo flammam, tertio ponit carbones. Ignis cum rudem et humidam tangit materiam, non statim flammam excutit, aut totum in carbones absumit. Humida et rudis materia, peccatorum est conscientia, fluxu carnis et vitiis carnalibus quasi fucis quibusdam infecta. In hac autem materia Deus spanli (sic) divinæ indignationis a corde ad oculos usque ascendit; et effluit per lacrymas fumus compunctionis. Excitata autem materia corporis per abstinentiam, D contritionem et pœnitentiam a diversis tenebris ignorantiae, lucere per cognitionem, et ardere incipit per dilectionem, tantoque fit charitas ardentior quanto sapientia Dei fuerit perspicacior. Vel inde a facie ejus ignis exardescit, quando ex ejus cognitione charitas ignescit, inflammare potens cor humanum dum hic vivitur, sed ut totam materiam in carbones absumat vel consumat, nunquam potest in præsentia, quandiu corpus quod corrumpitur aggravat hominem (Sap. IX): tanquam enim aliquid habens adhuc humoris, materia flammam dilectionis habere potest, in carbones nunquam converti potest, donec veniat quod perfectum est, evacuato quod est ex parte (I Cor. XIII), ut ignis charitatis totum in se convertat hominem; et ut iterum in carbones redigat; ut

nihil ulterius obstet carni, utque amplius luctari non habeat amoris incendium. Fecit quippe, cum illuc perventum est, de fumo flammam, de flamma carbonem. Sicque post ignem qui ardet in Sion, carbonem succensorum caminus est in Jerusalem. *Venit, inquit Propheta, Dominus, cujus ignis in Sion et caminus in Jerusalem (Isai. xxxi).* Sion *speculatio*, Jerusalem *visio pacis* dicitur. Hic est laboris speculatio, ibi pacis visio. In speculatione igitur ignis est; sed in visione caminus. Quia hic a facie ignis exardet, ibi in camino carbonem succensum sunt ab eo.

TIT. LXXIX. *De triplici loco Dei.*

*Factus est in pace locus ejus (Psal. lxxv).* Locus Dei triplex, mundus, Ecclesia, fidelis anima. In mundo est ut imperator in regno, in Ecclesia ut pater familias in domo, in anima ut sponsus in thalamo. In mundo est creando et regnando; in Ecclesia, ad sacramentorum participationem et fidei perceptionem vocando; in anima, per charitatem inhabitando. Si in domo Dei es per conditionem, etiam diabolus tecum est. Si in domo Dei es per fidem, etiam demones tecum sunt; credunt enim demones et contremiscunt. Si per spem, etiam palea est cum granis in area ac horreo. Si autem fueris per charitatem, beatus es, quia non tam in domo Dei quam domus Dei esse cœpisti, ut intres et habites ubi pax est, et habitare dignetur cujus locus in pace factus est. Quem locum vel domum fac arcam diluvii, tabernaculum militiæ, arcam testamenti. In domo veneretur filius patrem. In diluvio ploret naufragus gubernationem. In tabernaculo honoret miles regem. In testamento auscultet assecla præceptorem.

TIT. LXXX. *De fonte patente et occulto, Christo scilicet Domino nostro.*

*In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ (Zach. xiii).* Fons occultus Unigenitus est Patris invisibilis. Fons idem patens Deus incarnatus, qui fons patens domui David dicitur, quia ex David genere ad nos Redemptor processit. In Jerusalem habitavit, quia in visione pacis intimæ. Mentem autem peccatricem significant peccator et menstruatæ; vel peccator eum qui delinquit opere, menstruatæ mentem quæ labitur prava cogitatione. Nam sicut menstruatæ est polluta quæ aliena carne non tangitur, et sua inquinatur, sic anima, etsi malum opus non peragit, polluta tamen immunda cogitatione sordescit. Unde: *Omnes qui quærunt eam non deficient, in menstruis ejus invenient eam (Jer. ii)*, quia maligni spiritus in illa bonæ cogitationis rectitudine repelluntur, cum in pollutis cogitationibus positam facile ad perversam cogitationem trahant. *In die igitur illa, etc.*, quia apertus est jam nobis fons misericordiæ, Redemptor noster qui in domo David incarnatus peccatorem lavat a perverso opere, et menstruatam mentem diluit a sæda cogitatione. Pater igitur fons, curramus cum lacrymis, lavemur hoc fonte pietatis. In hoc fonte David, lotus per

A pœnitentiam a gravi macula culpæ, quærebat hunc, cum diceret: *Redde mihi lætitiæ salutaris tui (Psal. l.)*, id est Jesu. In hoc fonte misericordiæ lota est Maria Magdalene, Petrus et Iatro. Cur ergo pigri sumus? Cur torpentes et frigidi remanemus, qui in hoc fonte pietatis tantos se lavasse cognoscimus? Ergone de mutatione nostri desperemus, qui tot exempla misericordiæ in pignore tenemus? Quærere misericordiæ fontem deberemus, si clausus esset, nunc vero patet, et negligimus. Mittamus oculos fidei in mundum universum, consideremus quam multi hodie in hoc fonte laventur, quam multi post lacrymas ad munditiam redeant. Curramus cum talibus ad aquam vitæ, consideremus quantum peccavimus; atque ut appareamus mundi, cor nostrum B illi lavemus in holocaustum, adjuvante nos ad hæc eadem gratia Redemptoris Domini nostri qui vivit et regnat, etc.

TIT. LXXXI. *De humiliatione triplici.*

*Bonum mihi quia humiliasti me (Psal. cxviii).* Non omnes sunt humiles qui humiliantur, quia alii cum rancore, alii patienter, alii libenter humiliantur. Primi sunt rei, secundi innoxii, tertii justi. Quia licet innocentia portio sit justitiæ, tamen consummatio ejus est apud humilem. Non enim intus murmuranti, non minus murmuranti, quia non humiliatis, sed humilibus dat Deus gratiam.

TIT. LXXXII. *De turpi mutatione hominis.*

*Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Psal. xlviii).* Turpis mutatio, ut cujus erat ante, cœlos meditatione penetrare, mente supernas mansiones circumire, devotione Patres et apostolos salutare, choros prophetarum, martyrum admirari triumphos, stupere pulcherrimos ordines angelorum, modo turpi se mancipet corporis servituti ad obediendum carni, ad satisfactionem gulæ et ventri, ut caro ancilla quasi domina imperet spiritui domino. *Exitus aquarum deducant oculi (Psal. cxviii)* super hujuscemodi animam, scilicet quæ cum nutriretur in croceis nunc amplexatur stercora. Pascit sterilem quæ non parit, et viduæ bene non facit. *Homo, cum in honore esset, non intellexit (Psal. xlviii).* *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est (Gen. iii).* — *Cum in honore esset non intellexit, inquit.* In quo habitabat? In paradiso, in loco voluptatis, gloria et honore coronatus, et constitutus super opera manuum Plasmatoris, cujus societas cum plebe angelorum, et omni militia cœlestis exercitus, sed mutavit istam gloriam in similitudinem vituli comedentis fenum (Psal. cv). Inde panis angelorum factus est fenum positum in præsepio, et appositum est nobis tanquam jumentis. Hoc fenum carnis Christi non est desiccatum, quæ est pro mundi vita. Illius utique feni carnis nostræ quod desiccatur, et cecidit flos, non ille qui de radice Jesse et virga ascendit. Cibum hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. En tristes mutatio et lacrymosa; homo incola paradisi, terræ Dominus, civis cœli, domes-

ticus Domini Sabaoth, super beatorum spirituum agmina, repentina mutatione jacet pecus in stabulo, indiget feno. Agnosce, o bos, possessorem tuum, et o asine, præsepe Domini tui. Cognosce, pecus, quem cognovisti; homo, adora in stabulo quem fugiebas de paradiso, et comede fenum, quia panem angelorum fastidisti, quia, cum in honore esses, non intellexisti nec Deum Creatorem tuum, nec te beatum esse creatum,

Duplex ista ignorantia damnabilis.

Prima facit jumentis parem, secunda posteriorem. Unde, si ignoras te, abi post gregem sodalium tuorum (Cant. 1). Vere post, quia reprobi homines igni traduntur perpetuo, non pecudes. *Melius fuisset ei si natus non fuisset homo* (Matth. xxvi), sed pecus. Propter primam ignorantiam pecudes habebat sodales; factus est similis illis in perfruendis bonis terræ; propter secundam, non est cum illis, sed post illas in perferendis tormentis gehennæ. Est enim hic ipsis bestiis bestialior, ratione vicens et ratione non vivens.

Tit. LXXXIII. *De claustris agro, in quo sunt uva, rosæ, lilia, violæ et oliuæ.*

*Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (Gen. xxvii). Ager est mundus, vel quilibet conventus. In his redolet uva, rosa, liliu, viola et oliua. Uua divini amoris, quæ calcata in torculari tribulationis reconditur in apotheca æternitatis et jubilationis. Rosa ex cruore martyrii redolens. Liliu, ex incorruptione virginitatis candens. Viola ex humilitate locum minimum tenens, et cælestis regni purpuram in mente habens. Oliua opere misericordiæ more olei refovens et lucens.

Tit. LXXXIV. *De virore calami et junci.*

*Orietur in ea viror calami et junci* (Isai. xxxv). Calamo scribitur et junco. Primus est prædicator, secundus auditor. Uterque ex eadem aqua proficit, quia et doctrina et profectus audientia est ex Deo. Horum viriditas operum ex aqua sapientiæ quæ ex ore Altissimi procedit, in Ecclesia nascitur. Sancti ergo spiritus est gratia, quæ et doctoris os aperit, et auditoris mentem ac profectum intus inspirat et illuminat.

Tit. LXXXV. *Quod dulcedo hominis vermes sint.*

*Dulcedo hominis vermis* (Job. xxiv), scilicet terrarum. Quisquis in hoc mundo appetit cæteros excedere rebus et honoribus tumere, huic nimirum cura sæcularis est in delectatione, quies in labore. Quia igitur natura vermium est momenti singulis moveri et rodere, per vermes inquietudo mentis et consumptio notatur cogitationum, quibus homo incessabiliter se pascit et depascitur. Vel vermis nomine caro signatur. Luxuriosi ergo carnis voluptatibus dediti quanta sit cæcitas monstratur cum dicitur: *Dulcedo illius vermis*. Quid namque caro nisi putredo et vermis est? Qui carnalibus desideriis anhelat, quid aliud nisi vermem amat? Quæ enim sit carnis substantia testantur sepulera. Quis parentis, quantumvis dilecti, vermibus scaturientem carnem tangere possit?

A Cum caro concupiscitur, pensetur quid sit quando est exanimis, et intelligitur quid ametur. Multum valet ad domandum desiderium qui vivum diligit pensare quid futurum sit mortuum.

Tit. LXXXVI. *Oleum de capite non deficere.*

*Oleum de capite tuo non deficiet* (Eccle. ix). Oleum in capite, charitas in mente: et a capite oleum deficit cum a mente charitas recedit. A pilis ergo tondemus caput, ne abijciant oleum, id est malas cogitationes mente, quibus perditur charitas.

Tit. LXXXVII. *Ut speciem suam visitet quisque.*

*Visitans speciem tuam non peccabis* (Job v). Species hominis est sicut homo. Speciem ergo suam visitat quisquis ad eum quem similem per naturam conspicit, passibus amoris tendit, et in altero sua considerans, ex seipso colligit qualiter infirmanti alii condescendat, qui ut in se alterum reficiat, se in altero pensat. Unde Moyses: *Tulit terra lignum habens sementem secundum speciem suam* (Gen. 11). Terra, inquam, benedicta, ante peccata; nam post maledicta spinas dat et tribulos.

Tit. LXXXVIII. *Quid sit sacerdotes caput non radere, nec tamen comam nutrire.*

*Sacerdotes caput suum non radant, nec comam nutriant, sed tondeant* (Ezech. xliiv). Sacerdotes sunt qui, ut sacrum ducatum præbeant, præsumt. Capilli in capite exteriori sunt cogitationes in mente. Quia igitur de vita subditorum sollicitudines habere debent, nec tamen eis vehementer incumbere, caput prohibentur radere et comam nutrire, ut illos nec funditus ampuent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. Quantum necesse est prodeant, et tamen recidantur citius, ne immoderatus crescant; serventur in capite sacerdotis, ut aurem operiant; recescentur, ut oculos non claudant.

Tit. LXXXIX. *De sacculo pertuso et integro.*

*Qui mercedes congregavit, in sacculum ens misit pertusum* (Agg. 1), de quo aliunde exit quod aliunde immittitur. Is enim est sacculus pertusus qui irreprehensibiliter vivens, odium in corde portat. Considerat quam sit mundus in opere, nunquam crudelis in mente, qui mercedem quam reponit ex bono opere, perdit ex odio; quod intrat per foramen boni operis exit per pertusum damni supernæ dilectionis.

D Tu, inquam, homo integer sacculus esto, ad conservanda bona, pertusus et scissus per contritionem poenitentiaæ ad ejicienda mala ut circumderis lætitia. Unde: *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia* (Psal. cxi).

Tit. XC. *Oculi sapientis in capite ejus.*

*Oculi sapientis in capite ejus sunt; stultus in tenebris ambulat* (Eccle. 11). Quia sapiens in capite Christo per imitationem oculos mentis figit, et stultus, in interioribus extra se studium intentionis ponens, quasi sine luce in tenebris ambulat.

Tit. XCI. *De abscondente frumenta.*

*Qui abscondit frumenta maledicitur in populis* (Prov. xi). Frumenta abscondere est prædicationis verba apud se retinere. In populis maledic-

tur talis, quia in sola scientia pro multis quos corrigere non potuit culpa damnatur. Unde: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (Jerem. XLVIII), id est prædicationis verba a carnalis vitæ interfectione.

**TIT. XCII. De proximi vitiiis perimendis.**

*Si quis Domini est jungatur mihi. Ponat vir gladium suum supra femur suum. Ite, redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum* (Exod. XXXII). Proximus est hominis homo, conditione originis. Item est amicus dilectione et frater in spiritu vel carne. Qui istos ita delinquentes gladio vult increpationis in vitiiis occidere, gladium prius supra femur suum ponat, id est illicitas prius in se suggestiones studeat edomare; et tunc de porta eat ad portam, id est a vitio usque ad vitium per quod ad mentem mors ingreditur, increpando discurrat per medium castrorum cum tanta æqualitate, ut in culpam delinquentium nullius odio vel favore declinet.

**TIT. XCIII. De adulatione perniciose.**

*Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas!* (Ezech. XLII). Pulvillus et cervical ut melius quiescat ponuntur. Quisquis autem male agentibus adulatur, sub capite et manu alterius consuit pulvillos. Hinc rursus: *Ipse ædificabat parietem, et alii linebant* (ibid.). Paries peccati duritia. Hunc ædificat qui contra se peccati obstaculum construit; hunc linat qui peccata perpetranti adulatur.

**TIT. XCIV. De divitiarum contemptu.**

*Dives, cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, et nihil inveniet* (Job XXVII). Cum enim peccator dormit in morte, videt et cognoscit quod nihil fuit quod vidit in vita, quia rapitur ad mortem de vita. Unde subditur: *Tollet eum ventus urens, id est malignus spiritus, qui viventem trahit ad vitia, morientem trahit ad tormenta. Hic succendit amor concupiscentiæ: ibi cruciat flamma gehennæ. Hic vento et flatu malæ suggestionis ad terrena desideria succendit corda iniquorum, teste Jeremia: Ollam succensam ego video, id est cor humanum vitiorum ardoribus servens, et faciem ejus a facie aquilonis* (Jer. I). Ab illius enim suggestionibus inflammabatur qui dixit: *Sedebo in monte testamenti; in lateribus aquilonis* (Isai. XIV). Ab hujus urentis ardore promittunt prophetæ in adventu Christi justos liberari a Domino. *Pro salianca, inquit, abies, pro urtica crescit myrtus* (Isai. LV). Pro abiectione terrenæ cogitationis, altitudo terrenæ contemplationis; et pro prurigine et ardore vitiorum, virtutum crescit temperies et tranquillitas mentis. Hoc desiderium Mariæ promittitur: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (Luc. I), quamvis hoc vocabulo Christi notetur incarnatio. Umbra enim a lumine formatur ex corpore. In materia autem lumen divinitatis corpus recepit humanitatis.

**TIT. XCV. Quod justus ut palma floreat.**

*Justus ut palma florebit* (Psal. XCI). Tripliciter. Palma enim tarde proficit, sed diu in viriditate subsistit; inferius tactu aspera, aridis corticibus involvitur; superius visu et fructibus pulchra. Cæteræ arbores, juxta terram vastæ, superius subtiliores redduntur. Palma, ab imis subtilior, vastior a summo succrescit. Talis est justus. Primo cum multis difficultatibus ad fidei statum quasi tarde proficit, sed in fidei gloria diutius subsistit. Inferius multis tribulationum corticibus despectus, superius est fructu retributionis gloriosus; et cum cæteræ arbores, id est mali homines, inferius sint fortiores, pro inferioribus multos labores tolerantes, superius debiles, quia unius horæ momento Domino servientes lassantur, sola palma, id est soli justus, in cælestibus fortiores, in terrenis sunt infirmiores, ut quantum cæteri in terrenis, tantum ipsi in cælestibus clareant, ut sicut exhibuerunt membra sua servire iniquitati, exhibeant eadem servire justitiæ (Rom. VI). Qui non ut cæteræ arbores in inchoatione fortiora proponunt, et per augmentum temporis debilia terminant. Nam justus conversio tanquam palma, plus finiendo peragit quam inchoando proponit.

**TIT. XCVI. De triplici habitatione Dei.**

*Non est hic aliud nisi domus Dei* (Gen. XXVIII). Tria Deus inhabitat: mundum, Ecclesiam, fidelem animam. In mundo est, ut imperator in regno per essentiam et potentiam. In Ecclesia ut paterfamilias in domo per præsentem justitiam, quia ipse est qui justificat eam. *De cujus plenitudine omnes accepimus* (Joan. I). Creat, recreat, conservat in anima per spiritualem gratiam.

**TIT. XCVII. De igni in altari semper ardente.**

*Ignis in altari semper ardebit: quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna per singulos dies* (Levit. VI). Ignem in altari semper ardere est charitatis flammam iudesinenter ad Deum accendere. Ligna ne deficiat subjicere, est exempla præcedentium Patrum, quasi quædam fuenta in exercitatione charitatis subministrare. Etenim quia in terra novitas quotidie ipsa hujus vitæ conversatione veterascit, ignis charitatis prædictis lignis nutriri debet et reviviscere. Hoc fit mane, quia nonnisi in nocte charitas exstinguitur.

**TIT. XCVIII. De pane subcinericio.**

*Factus est Ephraim panis subcinericius qui non reversatur* (Ose. VII). Ex natura bene condita inest homini intentio qua surgat in Deum. Ex intentione voluptas sincera quæ premat sæculum inferius. Panis subcinericius ex inferiori mundior, ex superiori cinerem portat. Qui ergo intentionem qua Deum quærere debuit negligit, et mundior partem inferius premit, et curam sæculi libenter tolerans quasi congestum superius cinerem portat; sed reversatur, si desideriorum cinerem abiciens, intentionem bonam quam opprimit superius ostendit.

**TIT. XCIX.** *De sententiæ supremi iudicii ad parturientem comparatione.*

*Sicut parturiens loquar (Isa. XLII).* Parturiens cum dolore ejicit quod diu in absconditis cum pondere portavit. Ita Deus qui apud se nunc tacitus tolerat, in ultione iudicii quasi cum longo dolore post silentium manifestat.

**TIT. C.** *Descendere in infernum cum armis.*

*Descendant in infernum cum armis suis (Ezech. XXXII).* Arma peccantium sunt membra corporis quibus prava desideria quæ concipiunt exsequuntur, cum quibus tolerant æterna tormenta cum principe ipsorum diabolo. Unde : *Ibi Assur et omnis multitudo ejus; in circuitu ejus sepulcra ejus (ibid.).* Assur diabolus, multitudo ejus, angelici spiritus quos ad culpam traxit. Qui mortem pertulit, cum sui Condiditoris vitam reliquit. Hujus tanquam mortui sunt sepulcra, qui in suis cordibus illum per desideria prava sepeliunt. Qui erunt in circuitu ejus, quia tunc sepulcra cum mortuis ardebunt, ubi ignis qui obscuratur, mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, ignis tenebrescit, mors vivit, finis semper incipit, defectus deficere nescit.

**TIT. CI.** *Ferro pœnam duram, sed transitoriam, ære signari æternam.*

*Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum (Job. XX).* Quia necessitas inopis vitam mœroris vulnere cruciat, per ferrum notatur. Unde de Joseph vendito : *Ferrum pertransiit animam ejus (Psal. CIV).* Judicium fraternum, quod ab avari meate non attenditur, per arcum innuitur. Si ergo in istis armis ferreis necessitate non perfruitur, sed illa fugiendo multa per avaritiam rapit, hunc extremi et occulti iudicii arcus districtius ferit. Et nota quod æreus dicitur, ut ferro durabilior, quia pœna quam fugit transitoria est, quam incurrit æterna.

**TIT. CII.** *Necessaria hujus vitæ non esse abominanda.*

*Non abominaberis Ægyptium vel Idumæum (Deut. XXII),* id est quamvis relinquenda Ægyptiaca, pristina scilicet conversatio de superfluis non cogitando, non tamen prorsus abominanda, ut de necessariis non cogitemus.

**TIT. CIII.** *Una trutina nos et proximos metiamur.*

Non sit pondus tibi majus et minus (Deut. XXV), ut aliter tibi, aliter proximo metiaris, imponens gravia quæ nec digito velis movere.

**TIT. CIV.** *Disputare a cedro ad hyssopum.*

*Disputavit Salomon super lignis, a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete (III Reg. IV).* Salomon Christus; cedri nomine, celsitudo gloriæ in electis; hyssopi, quæ herba humilis est petræ adhærens, humilitas Christi accipitur : *A cedro usque ad hyssopum Salomon disputavit;* quando ab alta gloria cælestium usque ad carnis humilitatem descendens Christus pervenit. Cedri quoque nomine pravorum elatio designatur. Unde : *Vox Domini confringentis cedros (Psal. XXVIII).* A cedro ergo Christus usque ad hyssopum disputat, quia superbos et humiles ipse dijudicat. Super ligna

autem disputat, quia in cruce dependens clamat scarabeus de ligno; et tum cedrorum superbiam ad humilitatem deduxit, dum eos ad humilitatem crucis et stultitiam per contemptibilem sermonem fidei inclinavit : *Verbum enim crucis pereuntibus stultitia; credentibus virtus Dei est in salutem (I Cor. I).*

**TIT. CV.** *De absconsione Eliæ in Carith.*

Absconditus est Elias in torrente Carith (III Reg. XVII), quod interpretatur *calvus*; et ibi de torrente bibit, et corvus pascebat eum, mane et vespere, pane et carne. Elias, qui interpretatur *Deus fortis*, Christus est qui in Calvariæ loco ubi abscondita est gloria ejus, de torrente immortalitatis nostræ bibit, pascitur mane et vespere., id est ab exordio gratiæ usque ad finem mundi, a corvo, id est genere humano peccatis nigro, pane fidei et carne resurrectionis. Quasi enim corvus Christo carnem et panem offert nostram salutem sitienti, dum peccator vitam suam per fidem componit, et carnem per penitentiam donatam Deo in sacrificio tribuit spe resurrectionis.

**TIT. CVI.** *De spiritu triplici quem ab Elia petiit Eliseus, et de largitate Christi.*

Dicenti etiam Eliæ, *Postula quod vis (IV Reg. III),* respondit Eliseus : *Obsecro, fiat spiritus tuus duplex in me (ibid.).* Elias caput, Eliseus corpus, quod est Ecclesia, notat. Elias noster dat locum petenti, cum dicit : *Petite et accipietis (Luc, XI),* hac fiducia Eliseus, id est Christianus petit ut spiritus ejus duplex fiat in assumptione virtutum et remissione peccatorum. Spiritus ista conferens simplex fuit in Christo, qui peccata non habuit et ideo remissionem peccatorum non exigit. Opera autem virtutum fecit in spiritu. Bene ergo Ecclesia spiritum duplicem petit, quia et remissione peccatorum indiget qua non indiget Christus; et collatione virtutum, quas ex plenitudine sua tribuit Christus qui suam in eo spem ponit. Hinc Elias dicit ad Eliseum : *Si videris me quando tollar a te, fiet; si non, non erit (IV Reg. II).* Quia nisi quis oculos fidei in illum figat credens resurrectionem, ascensionem et cætera credenda, petitionis fructum non recipiet. Elias pallio flumina percussit, quia Christus per incarnationem, qua tanquam indumento se induit, fluvium nostræ mortalitatis destruxit, et ipse transivit, et nobis ad vitam transitum dedit. Eliseus vero eodem pallio flumen percussit et non dividitur. Item dicit : *Ubi est nunc Deus Eliæ? (Ibid.)* et tunc dividitur, quia Ecclesia nisi ad invocationem Christi virtutes nullas potest facere, ipso dicente : *Sine me nihil potestis facere (Joan. XV).* Nihil enim humanum studium potest, nisi adsit divinum adjutorium.

**TIT. CVII.** *Quid sit a canibus et avibus comedi.*

*Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate comedent eos canes; qui in agro, vorabunt eos aves cæli (III Reg. XIV).* Quia et qui fide tenuis positus est in Ecclesia, si mortalibus peccatis moritur, a canibus qui circumierunt civitatem, id est sanctorum sententiis incropatur, arguitur et damnatur. Hi sunt qui infideles vel fures abiciunt foras, abigunt, et



mus, sagittas emittimus. Hoc autem ut fiat, Eliseus manus suas super manus regis ponit, quia exemplis suis et gratia actiones rectorum Dominus dirigit et protegit. Et notandum quod per fenestram orientalem sagitta salutis, id est prædicatio sancta ei mandatur, quia lumen scientiæ et doctrinæ primum debent recipere qui jacula verborum debent emittere. Iterum jubet jaculo terram percutere. Quod cum tribus vicibus fecisset, et stetisset, iratus est contra eum quod non quinquies vel sexies vel septies percussisset. Quia carnales non solum fide Trinitatis sunt imbuendi, sed ut quinque sensibus imperent, et bonis operibus quæ per senarium exprimentur, fructum impendant, ac septiformis Spiritus scientiam meditentur sunt edocendi. *Fides enim sine istis mortua est (Jac. II).*

**TIT. CXII. De virtute patientiæ per adversa monstranda, et ad granum sinapis comparanda.**

Unguenta nisi commota, aromata nisi incensa aut trita latius nesciunt redolere. Ita sancti qui virtutibus redolent tribulationibus innotescunt. Unde fides eorum grano sinapis comparatur, quod vim suam nisi contrita nescit demonstrare. Si ergo tu adversis moveris, si tribulationibus incenderis, tunc quod intus calor per charitatem gerebas et sapiebas, foris per opera ostendis. Si enim fides nostra fuerit similis grano sinapis, et dixeris monti: Transfer te, transferetur (*Math. XVII*).

**TIT. CXIII. De duplici pace.**

Est pax inchoata, est et plena. Inchoatam discipulis Veritas dedit, dicens: *Pacem meam do vobis (Joan. XIV)*, plenam Simeon posebat: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace (Luc. II)*. Prima est a vitii non a penis; secunda a vitii et a pœnis. Pax igitur desiderio Creatoris inchoatur; ex manifesta ejus visione perficitur.

**TIT. CXIV. De peccatoris captione et exæccatione.**

Occidit rex Babylonis filios Sedeciæ regis in oculis ejus, et post eidem oculos eruit, ut in Babylonem descendat et Babylonem non videat (*IV Reg. XXV*). Sic diabolus bona opera, quæ proles sunt operantis, interimat, ut hæc se amittere quod captus est dolens cernat; peccati tamen delectatione victus bona quæ genuit amens volens et videns perdit. Sed dum videns percutitur, ne contra regem Babylonis levet brachium virtutis, extinctis mox cunctis filiis oculos amittit, quia hæc ipsa intelligentia luminis subtracta, deinde in Babylone vitiorum ipsam sui confusionem non videt.

**TIT. CXV. De hypocrisi et simulatione virtutis.**

*Non induas vestem lana linoque contextam (Deut. XXII)*. Lana innocentia, lino subtilitas. Malitiæ vestis ex iis lino interius celat, lanam monstrat exterius. Ex lana ergo et lino vestem induit qui intus subtilitatem malitiæ operit et simplicitatem innocentiae foris ostendit.

**TIT. CXVI. De murmure vitando et concordia servanda præsertim in claustris.**

*I ræcordia fatui sicut rota carri (Eccli. XXIIII)*. Car-

rus portat senum et murmurat, sicut fratres sunt solo corpore habitantes in unum (quod bonum et jucundum est), sicut unguentum unitatis quod est in capite Christo, a quo in barbam usque, id est in majores et fortiores descendit. Quæ utique barba Aaron est, id est veri sacerdotis Christi. Quando non inveniens aliam dignam hostiam seipsum obtulit factus hostia et sacerdos, a barba venit in oram vestimenti. Vestimentum Ecclesia tensa in cruce, ut non habeat peccati maculam vel duplicitatis rugam. Ora accipitur pro fine seu perfectione. *Descendit ergo in oram (Psal. CXXXII)*, quia Ecclesia peperit monasteria. Per hanc oram caput intrat, quia Christus per fraternam charitatem.

**TIT. CXVII. De Ecclesiæ ad vitem comparatione.**

**B** Vitis ad imitationem vitæ nostræ ipsam defigit radicem, propagine oneratur, brachiis quidquid comprehendit stringens, se erigit; ex qua alia sarmenta inciduntur, alia ne reflectant ligantur. Sic radicatur Ecclesia, radicitur in fide, carnis propagine oneratur. Hæc est mulier quæ morbo inclinata sursum non potest respicere (*Luc. XIII*). Sed respexit eam Jesus, et terrena ejus disposuit onera, ut brachiis charitatis sursum se erigat, proximos per charitatem amplectatur, et usque in arboris cacumen se erigens cælo se inferat. Sterilia vitiorum reciduntur, cætera præceptis et exemplis ligantur.

**TIT. CXVIII. De Noe et Christo a suis irrisis.**

**C** *Noe plantavit vineam (Gen. IX)*. Christus Judaicum populum. Vineam enim Domini Sabaoth domus Israël est. Cujus vinum bibit in calice mortis. Tali calice inebriatus obdormivit, quoniam tradidit spiritum. Quod irridendo Cham, id est, Judaicus populus vidit: Quod scilicet per crucis ignominiam mortuum ita turpiter crucifixum nos ut Deum adoramus, hoc etiam hodie objicitur nobis. Hanc autem ignominiam duo fratres fideles, Græcus et Latinus testimoniis prophetarum operiunt. Evigilans itaque Noe, id est a mortuis resurgens Christus, illum maledixit, et hos benedixit.

**TIT. CXIX. De Christo et fide ejus in David perstragem Goliæ et arma ejus figuratis.**

**D** Goliath David, diabolus Christum, superbia provocavit humilitatem. Contra Goliath David, id est Christus, induit armis (*I Reg. XVII*), circumcissione scilicet, templi figuris, et multiplicibus sacrificiis. Sed quia arma prementia non adjuvantia erant, deponuntur. Lapides quinque accipiuntur. Deponitur lex et accipitur lex. Deponitur lex figurativa, accipitur figurata, dimittitur quod velabat; nam in morte Domini velum templi scissum est (*Math. XXVII*): et quod velabatur accipitur. Accipiuntur quinque lapides, id est libri de flumine prioris populi, ubi vacabant et inutiles erant semper; quos fluvius transgressione transibat. Mittuntur in peram pastoralem, id est in caulam boni pastoris Christi, ubi lacte gratiæ abundant oves; nam sine gratia lex intelligi et impleri non poterat. Hoc lac mater Ecclesia satagit dare; sed infidelis non quærit accipere, dolet illa, si

curi det non invenit. Lapidibus quinque torrentis gratiæ armatus uno stravit, quia quinque libri aperti sunt, sed in eis unitas charitatis vincit. In quinque enim porticibus multi jacebant languidi, sed unus sanabatur. Nam nisi charitas, ex qua lex et prophetæ, vincere non potest. Deinde proprio illi gladio caput abscidit. Gladius enim diaboli sunt mali, scilicet membra ejus quibus contra Deum et ejus membra pugnat. Hunc de vagina diaboli extrahit David noster, cum de potestate malorum Christus membra sua diripit. Sed per illum diaboli caput abscidit, quando ipsum per Evangelii prædicationem a suis membris ejicit.

**TIT. CXX. De rubo quem vidit Moyses incombustum.**

Mittens Deus Moysen ad gentem quam præsciebat nunquam igne charitatis arsuram, ostendit ei flammam in rubo, a qua non comburebatur rubus. Flamma in rubo, lex in illo populo peccatorum spinis pleno. Rubus non est combustus, quia verbo Dei non sunt peccata in illis consumpta. Flamma rubum inflammans non comburens, persecutio Ecclesiam purgans, non consumens. In qua tantum Moysi, id est solis credentibus, loquitur, ad quam accedere prohibetur, nisi tollat calceamenta prius de pedibus, id est nisi abjiciat prius vitia de affectionibus. Quibus tanquam pedibus itur vel ad bonum ardoris vel ad malum. Et tu ergo, homo, rubus conceptus es et natus, rubus in quem in vitiis et in peccatis conceptus et natus, spinas quotidie germinans vitiorum quantumcumque etiam proficias, quia nec puer unius diei sine peccato. Fiat autem in te flamma verbi Dei, quæ in te rubeat et consumat spinas peccati. Non sis rubus qui non consumitur. Est enim rubus alius bonus, alius malus: uterque habens flammam. Nam et bonus et malus aure corporis percipit verbum Dei, sed malum in malitia nequaquam consumit. Flamma quoque persecutionis est in bono et malo rubo. Malum consumit qui in tempore temptationis recedit. Bonus non consumitur, sed purgatur qui probatus qualis fuerit tribulationibus innotescit. Fornax enim ligna cremat, aurum purgat, quia tribulatio et bonum efficit puriorem et malum ostendit deteriorem. Ad rubum virtutis si vis accedere per imitationem, solve calceamentum de pedibus (*Exod. III*). Est autem aliud calceamentum, quod solvit accedens ut audiat et exaudiat Deum in rubo loquentem; aliud, quod solvit recedens dum non exaudit pro succitando fratris semine vicinam monentem. Primum sunt vitia quæ dimittit ad justum ac sanctum accedens; secundum prædicationis officium quod amittit proximi curam relinquens. Est etiam tertium calceamentum, quo Christus venit in mundum; dispensatio incarnationis suæ. Ad primum ergo calceamentum relinquendum omni conatu te præpara. Ad secundum procreandum omni sollicitudine stude. Ad tertium corrigiam solvendam te indignum cum Joanne judica (*Marc. I*; *Luc. III*), ut et vitia deponas, et curam proximi habeas, et my-

sterium incarnationis Christi temere discutere non audeas.

**TIT. CXXI. De ferculo Salomonis.**

*Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum. Media charitate constravit propter filias Jerusalem (Cant. III).* Salomon, Christus pax nostra qui fecit utraque unum; ferculum, Ecclesia vel quelibet sanctorum congregatio ad æternum convivium animas ferens; columnæ argenteæ, qui fortitudine operis alios exemplo portant, et luce prædicationis illuminant. Reclinatorium aureum, æternæ felicitatis fulgor, in qua reclinator et ab omni labore quiescit. Ascensus purpureus est, quia ad claritatem illius quietis nominis per tribulationem venit. Quid ergo nos miseri acturi sumus? In hoc sæculo columnæ nos esse non possumus, in quibus nec fortitudo operis nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium aureum non habemus, quia spiritualem regem needum mente aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro Christo effundere sanguinem non possumus. Sed ad hæc est certa consolatio, amemus Deum, diligamus proximum, et simul nos ad Dei ferculum pertingemus, quia scriptum est: *Media charitate constravit propter filias Jerusalem.* Per sexum enim femininum sermo divinus infirma vocavit mentium. Inter columnas ergo argenteas, inter reclinatorium aureum, et ascensum purpureum, media charitas inesse dicitur, quia si habes charitatem, eo sine dubio pervenis, ubi columna erigitur, et ascensus purpureus tenetur, et reclinatorium aureum invenitur. Hinc in propheta: inter thalamos quinque sunt cubiti (*Ezech. XL*), quia inter perfectos sunt minores qui quinque sensibus corporis adhuc depressi de sæculo aliqua cogitare coguntur. Rex itaque noster fecit ferculum sibi, quia congregavit Ecclesiam; de lignis Libani quæ sunt cedrina, id est, de patribus fortibus, mente impubilibus: et hoc sibi, quia ad glorificandum seipsum.

**TIT. CXXII. De mutatione vestis sacerdotatis.**

Cum personis supervenientibus animum mutare ordini sacerdotum valde est necessarium. Unde per prophetam dicitur, ut cum sacerdos intus ministrat, *D vestibus lineis utatur (Ezech. XLIV)*; cum egreditur ad populum, reponantur eæ in *gazophylacio sanctuarii (ibid.)*. Cum enim sacerdos intro ingreditur, subtilioribus contemplationis operibus quasi lineo indumento utatur. At cum ad populum egreditur grossioribus utatur, quia pro utilitate etiam ad terrena portanda mores suos componere debet.

**TIT. CXXIII. Tintinnabula cur pendebant olim ad vestem sacerdotis, et in eis mala punica.**

Vestimentis sacerdotis tintinnabula adhibentur, ne, si de eo sonitus ingrediens et egrediens non auditur, moriatur (*Exod. XXVII*); quia vitæ viam cum prædicationis sonitu opera sacerdotis clamare debent, et illis qui intus in districtiori vita spem ha-

bent, et iis qui extra, in habitu sæculari, ne contra A  
se iram Dei provocans moriatur. Tintinnabulis  
quoque mala punica junguntur. In malo punico, in  
quo sub uno exterius cortice multa grana continen-  
tur, fidei unitas notatur, quia Ecclesiæ sic multos  
unitas fidei foris contegit, ut intus diversitas meri-  
torum teneat. Ut ergo operibus verba jungantur,  
vestimentis tintinnabula adhibentur, ut per omne  
quod dicunt unitatem ejus custodiant, tintinnabulis  
mala punica junguntur.

**TIT. CXXIV. De aqua spirituali et naturali.**

Aqua spiritua'is inservit ei qui de die in diem re-  
novatur spiritu mentis. Aquarum usus est ad lavan-  
dum, ad potandum, ad cibos coquendos; sicque aqua  
spiritualis et immundum a sordibus purgat crimi-  
num, et sitiienti salutem fit fons aquæ salientis in  
vitam æternam, quam qui biberit non sitiet in æter-  
num (*Joan. iv*). Divinum etiam eloquium igne Spi-  
ritus sancti coquit cibos mentis, et in sensus spiri-  
tuales convertit.

**TIT. CXXV. De reginis, concubinis et adolescentulis  
mysticis veri Salomonis.**

Veri Salomonis multæ sunt reginæ, multæ concu-  
binæ, adolescentularum non est numerus (*Cant. vi*).  
Quia multæ sunt mansiones apud sponsum; alium  
regina, alium concubina, alium adolescentula locum  
tenet, terminumque pro meritis accipit quousque  
procedens liceat ei intrare in gaudium Domini sui  
et dulcia secreta sponsi rimari. Nam mulier com-  
puncta ad pedes locum invenit, justa ad caput, pia  
in toto corpore. Thomas in latere fidei, Joannes in  
pectore late charitatis, Petrus in sinu Patriæ, id est  
luce veritatis, Paulus in tertio cælo, hoc est in in-  
timo sapientiæ secreto, hujus gratiam sunt assecuti.  
Jacens in miseria et luto sæcis peccator homo plorat  
et clamat Plasmatori et Salvatori suo supplicans:  
*Eripe me de luto sæcis (Psal. lxxviii)*. Et quia in pec-  
catorum suorum stercore computruerat, ut lavandus  
erigatur, et dum abluitur ne cadens inquinetur, in-  
quit: *Stare supra pedes meos. Isti pedes sunt fides  
et operatio. Istis qui lotus est, ambulat, stat et elevatur.*  
Tria enim ista necessaria tibi noveris, quicun-  
que converti et ad Deum reverti desideras, ut scilicet  
ambules, stes et eleveris. Primum debes pro-  
ximo, secundum tibi, tertium Deo. Ambulandum est  
ut subvenias proximo; in templo standum, ne recidas  
in lutum, unde ereptus es, ut tandem eleveris ad  
cælum, unde es ejectus. Docendus est proximus,  
quod est ambulare, a se scilicet ad alium transitum  
facere, non tantum verbo sed etiam exemplo, ut  
quæ docueris non negligas facere, quod est stare, a  
tui videret cura non recedere, ut per hoc jam ter-  
tio in cælum debeas elevari: quod est ad Deum pro  
meritorum mercede ascendere. Hinc sancta anima-  
lia leguntur ambulare, stare, elevari, pariterque  
leguntur rotæ ea sequi (*Ezech. i*).

**TIT. CXXVI. Cum angelo luctari Jacob.**

Jacob cum ad parentes rediret, in via cum angelo  
luctatur, quem dum tenet in femore tenetur et tan-

gitur ac claudicat (*Gen. xxxii*). Parentes nostri an-  
geli sancti sunt et sancti viri in vita et patria cos-  
lesti positi. Angelus Deus, Jacob quilibet justus ab  
hoc exsilio ad patriam parentum tendens. In hac via  
cum angelo luctatur, quia, dum contemplari Deum  
nititur, velut in quodam certamine positus more  
pugnantium modo superat, cum de Deo aliquid intel-  
ligendo degustat, modo succumbit, dum penetrare  
lumen incircumscriptionem non sufficiens deficit quasi  
temere ausus. Vincitur angelus dum intellectu intimo  
apprehenditur Deus; sed victus vincentem in uno pe-  
de claudum efficit. Pes unus amor Dei, alter est amor  
sæculi. Qui ergo prius duobus pedibus ambulabat,  
dum Deum videbatur quærere et sæculum tenere,  
cum angelum tenet, uno pede claudicat, quia post  
suavitatem divinæ agnitionis crescit in homine for-  
titudine amoris Dei, infirmatur in homine fortitudo  
amoris carnis. Unus sanus remanet, alter clau-  
dicat, quia, debilitato amore sæculi, solus conva-  
lescit amor Dei. In ipso solo stat, quia pedem amo-  
ris sæculi quem in terra ponere consueverat a terra  
suspensum portat. Et nos si ad patriam redire volue-  
rimus, in via præsentis vitæ angelum teneamus ap-  
prehendendo Deum, ut, pede amoris sæculi a terra  
suspensum, solo pede amoris Dei ducamur. Quod non  
fit nisi rege superbo extincto. Unde *Isaias. Anno,*  
*in quo mortuus est Ozias, vidi Dominum seden-*  
*tem super solum excelsum et elevatum (Isa. vi)*;  
et plena erat domus a majestate ejus, etc., quia, cum  
diabolus a desiderio mentis occiditur, mens Dei glo-  
riam contemplatur.

**TIT. CXXVII. Pœnitentiam agere in cinere et  
cilicio.**

Pœnitentiam egissent in cinere et cilicio (*Matth.*  
*xiii*). In cilicio notatur asperitas peccati et punctio;  
in cinere pulvis mortuorum. Utrumque hoc adhi-  
beri ad pœnitentiam solet ut in punctioe cilicii  
cognoscamus quod per culpam fecimus, in cinere  
quid per judicium futuri sumus. Consideremus in  
cilicio pungentia incitamenta vitiorum; in cinere  
subsequentem pœnam. In asperitate cilicii videtur  
homo superbiendo qui fecit; in cinere, quo peccan-  
do pervenit.

**TIT. CXXVIII. De malarum cogitationum et peccatorum  
et ortu et defensione.**

*Orientur in domibus ejus spinæ et urticae, et pali-*  
*urus in munitionibus ejus, etc. (Isa. xxxiv)*. Urti-  
cæ cogitationum prurigo; spinæ peccati punctio. In  
domo igitur Babylonis et desideria cogitationum  
surgunt quæ exasperant, et peccata hominum quæ  
pungunt; sed hæc agentes nequiores habent defen-  
sores. Unde subditur: *Paliurus in munitionibus.*  
Qui tanta spinarum circulatione densescit ut præ  
asperitate vix tangi possit. Intus igitur urticae et  
spinæ nascuntur, sed utraque exterius per paliurum  
mununtur, quia minores iniqui mala faciunt, sed  
nequissimi majores eos tuentur. Unde *Job: Prote-*  
*gunt umbræ umbram ejus (Job xl)*, quia peccato-  
res in quo ipsi sibi coræccii sunt alios defendunt.

TIT. CXXIX. *De triplici osculo.*

Tria sunt oscula: ad pedes, ad manus, ad os. Pedes sunt misericordia et iudicium. Ex misericordia spes; ex iudicio nascitur timor. Hic timor initium, spes perfectionem, consummationem sibi vindicat charitas. Si iudicii timore compungeris, pedi iudicii labia impressisti; si timorem spe misericordiae temperaveris, misericordiae pedem amplexus es. Aliquando alterum sine altero osculari non expedit, quia recordatio solius iudicii desperatio est, et solius misericordiae securitatem vanam gignet. Manus sunt latitudo et fortitudo, eo quod tribuat affluenter, et defendat potenter quod dederit. Utrunque osculatur non ingratus, largitorem Deum confitens et conservatorem. Os vero est ipsa divinitas; caput enim Christi Deus. Hoc osculatur cui aeterna visio et Trinitatis donatur cognitio. In primo osculo offerimus poenitentiam cordis contriti et humiliati, et reportamus remissionem peccatorum, cum audimus: Dimissa sunt tibi peccata multa. In secundo offerimus cum gratiarum actione condignos poenitentiae fructus, reportamus perseverantiam honorum; et dicitur. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. xxiv). In tertio praesentamus consummationem, et accipimus glo-

riam, et audimus: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (Psal. xxxiii). Hoc osculo Patrem osculatur Filius, quia *Nemo novit Patrem nisi Filius* (Joan. x). *Ego in Patre et Pater in me est* (Joan. xiv). Osculum autem Spiritus sancti nobis datum est, quia nobis et revelavit Deus per Spiritum sanctum, ait Apostolus (I Cor. ii). Quibus autem revelat lucet et accendit: lucet ad cognitionem, accendit ad amorem. *Charitas enim diffusa est in cordibus per Spiritum sanctum* (Rom. v) qui nobis instar apisceram et mel portantis accendit lumen scientiae, et infundit saporem gratiae.

TIT. CXXX. *De laude et utilitate psalmodiae.*

Eliseus cum ei spiritus prophetiae deesset, psaltem sibi applicari praecipit, ut per laudem psalmodiae ad eum spiritus prophetiae descenderet (IV Reg. iii). Vox psalmodiae cum per intentionem cordis agitur omnipotenti Deo, ad cor iter paratur, ut intentae menti vel prophetiae vel compunctionis gratia infundatur. Unde: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei* (Psal. xliii). In sacrificio igitur laudis fit Jesu iter ostensionis. Jesus enim *Salvator* dicitur. In psalmodia igitur devotae menti semper gratia infunditur caelitus.

## LIBER QUARTUS.

## SERMONES, SERMONUM FRAGMENTA, EPISTOLAE, ETC.

TIT. I. *De Annuntiatione et incarnatione Verbi; de C paradiso spirituali et quae in eo sunt.*

*Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas. Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram. Mulier circumdabit virum* (Jer. xxxi). *Quasi dicat: Misericordiae Domini plena est terra* (Psal. xxxii), quia *veritas de terra orta est* (Psal. lxxxiv). Christus de virgine Maria natus est. Terra prius maledicta in peccatis primi hominis, nunc benedicta in gratia secundi hominis, tandem beata in gloria Dei Patris. Unde: *Benedixisti, Domine, terram tuam* (ibid.). Prius germinabat spinas et tribulos; hodie, quia *Dominus dedit benignitatem, terra dedit fructum suum* (Psal. lxxvi). O quanta benignitas quod missus Gabriel ait Virgini: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* (Luc. i). Et Elizabeth: *Benedictus fructus ventris tui* (ibid.). Vere Dominus dedit multam benignitatem angelicae salutationis et divinae benedictionis, quia item *terra nostra dedit fructum suum, id est Maria protulit Christum filium suum, non jam sicut prius spinas et tribulos, sicut scriptum est Deum Adam inobedienti dixisse: Quia obedisti voci uxoris tuae plusquam meae, maledicta terra in opere tuo* (Gen. iii). Cum operatus eam fueris, non

dabit fructum suum, sed spinas et tribulos germinabit tibi. Usque hodie obedit Adam voci uxoris suae. Maledicitur terra, germinat spinas et tribulos. Habet unusquisque in paradiso juxta se et in se serpentem, Evam, Adam, et terram, paradysum Dei et caetera. Paradysus est quaelibet congregatio; serpens, diabolus; Evae vox, carnis delectatio; Adam, spiritus. Terra est ipsa caro. Ad suggestionem serpentis Adam obedit voci suae uxoris, dum ad immissionem diaboli consentit spiritus delectationi carnis suae. Tunc maledicitur terra carnis nostrae, nec profert fructum vitae aeternae, fructum gloriae sempiternae, sed spinas culparum et tribulos poenarum. Sunt autem duo genera spinarum: unum carnis, alterum spiritus. Spinae carnis sunt peccata quae per carnem geruntur et per eam transiguntur, ut luxuria, gula. Spinae spiritus, quae per spiritum committuntur vitia, ut ira, invidia. Istae sunt spinae, quae juxta Prophetam produciunt *rhamnum* (Psal. lvi). Ex his spinis recipiuntur fructus vitae, sed duo tribuli poenae. Unus tribulus est ignis carnem exsuperans, qui nunquam exstinguitur; secundus tribulus, animum corrodens vermis qui nunquam moritur. Nobis itaque, fratres, valde metuendum est ne forte serpens qui in paradiso congregationis circuit

querens quem devoret, Evam nostram ita decipiat A ut Adam obediat voci uxoris suæ, id est spiritus noster consentiat delectationi carnis nostræ, carnis curam faciens in desideriis. Clamat enim quotidie in nobis Eva ad Adam cui si consentit maledicitur et germinat spinas culparum et tribulos pœnarum. Ergo priusquam spinæ nostræ producant rhamnum, scrutemur viam nostram ne per viam spinarum generemus nobis tribulos pœnarum; et revertamur ad Dominum per prophetam nos revocantem ubi dicit: *Revertere, Israel virgo*. Virgo est anima a Deo pura creata et integra. Virginum autem alia prudens, alia fatua: *Fatua, quæ acceptis lampadibus non sumpsit oleum secum; prudens quæ sumpsit oleum in vasis suis cum lampadibus* (Matth. xxv). Lampas est caro quam accepit prudens et fatua B virgo. Sed prudens in sua lampade oleum sumpsit, id est misericordiam. Sicut enim oleum cæteris liquoribus, sic misericordia præstat aliis charitatis operibus.

Hac primum seipsum debet ungere omnis homo tripliciter; deinde proximum. Tripliciter seipsum prius ungat miserando animæ suæ per cordis contritionem, oris confessionem, et operis satisfactionem. De hac prima prius sibi inferenda misericordia dicitur: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (Eccli. xxx). In proximo condonando, si læsit; docendo, si deliquit; necessaria ministrando, si indiget. Hoc triplex oleum misericordiæ sibi et proximo fatua virgo non sumit et ideo, cum venerit et pulsaverit, excluditur et tridetur in tenebras exteriores. Ideo C janna vitæ Dominus revocat eam a via sua prava dicens: *Revertere, revertere, virgo Israel*. Quasi dicat: O virgo fatua, si vis esse virgo sapiens, sis virgo Israel, quæ scilicet videas Deum; sic enim interpretatur Israel. Revertere et iterum revertere, quia dupliciter eam revocat, prius a malo ad bonum, a vitiis ad virtutes; secundo a bono ad præmium. Malum a quo eam revocat est locus miseræ et lutum fœcis, in quo jacens peccator homo plorare debet et supplicare. Ambulet igitur quicumque Domini est proximum docendo, stet seipsum corripiendo, elevetur mercedem operum a Deo expectando et recipiendo. Hinc sancta animalia rotas sequentes in Ezechiele leguntur ambulasse, stetisse D elevata esse (Ezech. i), quia sancti doctores, rotas, id est Scripturas sanctas sequentes ambulant docenda, stant se castigando, elevantur ad Deum tendendo. His itaque pedibus spiritualibus, fratres charissimi, revertatur unusquisque nostrum ad Deum, ipso nos ad se vocante: *Revertere, revertere*, etc. Primo ut revertamur de Ægypto ad desertum, ut ibi in via trium dierum sacrificemus Deo nostro; secundo, ut de deserto revertamur ad terram promissionis. Jam Ægyptum hujus mundi dimisimus, et pervenimus ad desertum monasticæ professionis. Est enim claustrum solitudo et desertum, ubi deseruimus non solum nostra, sed etiam nos ipsos. In quo omnino caveamus ne mente redeamus ad Ægy-

ptum, et suspiremus ad ollas carniarum Ægypti. Proficiscendum autem noverimus ad terram viventium non per latam viam quæ ducit ad mortem, sed per angustam quæ ducit ad vitam. Hinc præcipit Dominus filiis Israel: Per terram Seon regem Amorrhæorum transibitis: et cætera superius dicta usque ad regem diabolum qui nos quærit concludere ad tres civitates citra et ultra Jordanem positas, dum ad terram lactis et mellis tendimus. Revertamur. Hoc est enim quod sequitur, *revertere*, etc. Ubi? *ad civitates tuas* (Jer. xxxi), inquit. Tres sunt civitates spirituales ad quas revocamur. Prima est mens, secunda Ecclesia terrestris, tertia cœlestis. In civitatem mentis congregantur virtutes; in civitatem Ecclesiæ congregantur boni et mali; in civitatem cœlestem soli boni recipiuntur. In singulis singula dantur bona. In prima fides, spes, charitas, solis bonis. In secunda sacramenta, ut baptismus, bonis et malis. In tertia gloria solis beatis. De prima dicitur: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem* (Psal. c), id est ut destruerem omnes a mente immundos spiritus, qui operantur in ea vitia et peccata; de secunda: *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri*, etc. (Psal. xlvii). Hæc est Ecclesia quæ in monte sancto constituta est, in qua magnus Dominus peccata dimittendo, nimis laudabilis præmia promittendo. De civitate cœlesti dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (Psal. lxxxvi). Hæc est civitas de qua vere gloriosa dicuntur, et in qua dantur, quia *quod oculus non vidit*, etc. (I Cor. ii), ubi lux sine nube, vita sine fine, satiety sine fastidio, gloria sine termino. O quam gloriosum est choris angelicis, patriarcharum cœlibus, apostolorum senatui, turmis martyrum, confessorum et virginum interesse societatibus, et cum eis Deum laudando regnare! Nos itaque, ut ad civitatem istam perveniamus, revertamur in præsentem ad civitatem mentis et Ecclesiæ, sed quia *non est volentis, sed nec currentis, sed misærentis Dei* (Rom. ix); *creavit Dominus novum super terram*. Quasi dicat: *Revertere, virgo Israel*, quia in auxilium tuum fecit incarnari Filium suum Deus Pater qui creavit novum super terram. Quod novum: *Mulier circumdabit virum*. Maria virgo concipiet in utero Christum. Vere hoc est novum, nova generatione procreatum. Tres aliæ generationes præcesserunt; nam quatuor sunt: Prima, sine patre et matre; secunda, de patre et sine matre; tertia, de patre et matre; quarta, de matre sine patre. Prima generatione Adam venit in mundum, secunda producit Eva, tertia homo nascitur, quarta inaudita est et nova. Quia Christus venit in mundum, natus est et mundum redemit. Valde *creavit Dominus novum super terram*. Hoc est illud novum quo Eliseus aquam Jericho amaram sanavit. *Mulier igitur circumdabit virum*. Vir iste dicitur circumdatus a muliere, quia Moyses circumscriptus dicitur a fiscella scirpea. Hæc autem est Virgo beata, quæ virgo

concepit et virgo peperit Salvatorem, ut latius in A alio dicemus loco.

TIT. II. De Scripturæ statura, altitudine et aspectu horribili,

*Statura erat rotis et altitudo et horribilis aspectus* (Ezech. 1) Statura est bonæ vitæ operatio; altitudo, cœlestis regni promissio; horribilis aspectus, terror gehennæ. Statura est in rectitudine præceptionis; altitudo, in celsitudine supernæ promissionis; horribilis aspectus, in supplicii sequentis minis et terroribus. Scriptura ergo sacra, quæ est quasi rota, dum ab inferiori historiæ volvitur ad superius allegoriæ, habet staturam, quia mores ad standum dirigit, ut mens audientis ad inferiora non incurvetur. Habet altitudinem, quia vitæ æternæ gaudia promittit; horribilem aspectum, quia reprobus supplicia minatur gehennæ. Stat recta in præceptis cum dicit: *Declina a malo et fac bonum* (Psal. xxxvi). Et Paulus: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram* (Col. iii). Alta est in promissionibus cum dicit. *Erit vobis mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato* (Isa. lxi), id est perfectio gloriæ ex perfectione vitæ, et quies cœlestis retributionis ex cessatione pravi operis. Horribilis nimis dum dicit: *Vermis eorum non morietur et ignis non exstinguetur* (ibid.). Scriptura ergo sacra et admonendo recta est, et promittendo alta, et minando horribilis. Hæc tria breviter in quatuor comprehendit Apostolus, dicens: *Ut possitis comprehendere quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum* (Ephes. iii). *Latitudo et longitudo* ad staturam pertinent, propter opera charitatis quæ extenditur usque ad inimicos, quæ est *latitudo*, et propter perseverantiam quæ est *longitudo*. *Sublimitas* ipsa est altitudo æternorum quam *nec oculus vidit*, etc. (I Cor. ii). *Profundum* horribilis aspectus inestimabile.

TIT. III. De lamentationibus, carmine, et væ in libro Ezechielis scriptis.

In libro prophetiæ scriptæ erant lamentationes, quia in eo scriptæ sunt pœnitentiæ peccatorum; carmen, quia ibi prænuntiantur præmia justorum et gloria, et væ, quia expressa est illic damnatio reproborum (Ezech. ii). Ut ergo peccata punias, lege quæ in eo scripta sunt lamenta. *Scindite corda vestra*, etc. (Juel ii). Et iterum: *Miseri estote et lugete* (Jac. iv). Luctus vester in gaudium Domini convertetur, et gaudium in mœrorem. Ut de promissione gaudii sequentis hilarescas, cognosce quæ in eo scripta sunt æterna carmina. *Ex lapide pretioso et mundo omnes plateæ sternerentur, et per universos vicos ejus alleluia cantabitur* (Tob. xiii). Hoc nobis carmen cœlestis nuntiare venerant qui concorditer clamabant: *Gloria in excelsis Deo* (Luc. ii). Sed si adhuc mente inhiæres sæculo, si in terrenis voluptatibus delectaris, nec amare potes æterna gaudia quæ audis, cognosce quoque tu quod in eo scriptum est: *Ligatis manibus et pedibus mitte eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium* (Matth. xxii); ibi væ reproborum, scriptum est:

*Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (Isa. lxi). Ibi damnatis et repulsis dicitur: *Ite, maledicti in ignem æternum* (Matth. xxv). In his omnibus eruditio continetur. Peccasti et te pœnitent. Vis ad pœnitentiam agendam? docearis ibi invenies lamenta. Spe cœlestium gaudiorum revelari desideras? ibi ad consolationem tuam invenies carmen. Si vero mala perpetrasti, et ad nullas pœnitentiæ lamentationes inclinaris, et ad nulla cœlestium gaudiorum, velis nolis, inscriptum audieturus es væ, ut is quem nec timor ad pœnitentiam humiliat, nec spes ad superna præmia exaltat, in damnationis suæ pœnam quam prospicit cadat. Mala ergo quæ egimus per pœnitentiam puniamus, ut per lamenta compunctionis ad carmen vitæ perveniamus, ne si affligi volumus pœnitendo, væ postmodum sine fine sentiamus.

TIT. IV. De arca Noe ad Ecclesiam comparatione.

Arca quæ trecentos cubitos in longitudine, sexaginta in latitudine, triginta in altitudine habens, in uno cubito terminatur (Gen. vi), est Ecclesia quæ, inferius lata, superius est angusta. Lata carnalibus tanquam animalibus, angusta in paucis spiritualibus ad unum cubitum colligitur, ad unum scilicet hominem, qui est sine peccato. Videmus multos in Ecclesia carnis voluptate dissolvi, iracundiæ jurgis et odiis dirumpi. Quos cum Ecclesia tolerat, ut convertat, sic portat ut in arca latitudine deorsum bestiæ morantur. Videmus alios propriis contentos esse, injuriam non facere, odium non habere: sed quia isti jam pauci sunt, angustatur arca. Alios conspicimus etiam concessa contemnere, inimicos diligere, carnem a cunctis voluptatibus domare, contemplationis penna in altum levare. Sed quia tales valde rari sunt, jam arca juxta cubitum ducitur, ubi homines et volatilia continentur. Hujus unius cubiti est margo quam propheta vidit ante thalamos (Ezech. xlvi). Margo, fides; thalami, electorum corda in amore Dei ferventia. Margo ante thalamos, fides ante charitatem. Nemo enim potest amare quæ non credit. Est autem unius cubiti, non divisa per schismata, sed in unitate perdurans, ad thalamum charitatis et æternæ quietis perducit.

TIT. V. Cur candelabro comparatur Christus.

*Facies candelabrum ductile de auro purissimo, hastile ejus et calamos scyphos et sphæras ac litta ex ipso dependentin* (Exod. xxv). Candelabrum est Christus, qui in natura humanitatis illuxit divinitatis lumine, ut mundum candelarium fieret, cujus lumine videret peccator in quibus tenebris jaceret. De auro sit purissimo, quia sine peccato; ductile, quia perductus per passionem, ad gloriam venit resurrectionis. Hastile ejus Ecclesia est, quæ ejus corpus est; quæ inter prospera et adversa ad lumen divinitatis stat erecta. Calami sunt prædicatores, qui dulcem sonum reddunt, dum novum canticum cantant. Sphæra volubilitas prædicationis, quæ tanquam sphaera nullo impedimento retardatur. Unde *verbum Dei non est alligatum* (II Tim. ii). Post hæc

lilia ponuntur, quæ sunt virens patria et floribus æternis vernans. Patria ad laborem, lilia pertinent ad retributionem.

**TIT. VI. Quomodo Gedeon pœnitentis typum gesserit.**

Cum Jerobaal, id est Gedeon a paleis frumenta excutere (*Judic. vi*), id est pœnitens a vitiiis virtutes separaret, angelum vidit. Quia tantum quisque intus Deum videre meretur, quantum ab exterioribus purgat seipsum. Qui occidi hædum præcepit, id est omnem appetitum nostræ carnis immolari, et super petram carnes poni, id est corpus proprium imitatione Christi (qui petra dicitur) cruciari, et jus carnis desuper fundi, id est cogitationis carnis imitatione ejus exinanire. Ipse enim ait : *Dictum est antiquis : Non mæchaberis. Ego autem dico vobis : Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo* (*Matth. v*). Quæ mox virga tangit, quæ intentioni nostræ divinum adiutorium impendit, et de petra ignis exit, qui azy-mos panes carnemque consumit, quia affatus a Redemptore spiritus, cor nostrum flamma compunctionis concremat, et omne illicitum cogitationis et operis exurit.

**TIT. VII. Quomodo Job pœnitentem figuret.**

Job saniem radebat sedens in sterquilinio (*Job. ii*), id est, justus de peccatis suis dolens (sic enim interpretatur Job) duritia pœnitentiæ duplicem saniem peccati, cogitationis scilicet et operis, deleat. Vel Job, Christus pro nobis dolens factus, qui carne sua de substantiæ nostræ luto sumpta peccati nostri saniem deleat. Job sedit non in monte, sed in sterquilinio, quia superbos deserens in humilitate pœnitentiæ agit vere pœnitens ; qui dum mala sua flendo conspiciat, quantum peccati stercora coinquent, ab illis recedens cognoscit, neque enim prius fetere percipit quam ab illis recesserit.

**TIT. VIII. De cæcitate qua percutiuntur iniqui.**

Sodomitis vim inferre Lot volentibus et ostium infringere, ab angelo Lot introducitur in domum ostio clauso ; illi cæcitate percussi ostium non inveniunt (*Gen. xix*). Justus enim dum malorum insidias tolerat, ad domum mentis revocatur. Mali autem cæcitate percussi circumcunt, quia inveniunt sancta scripta quæ perscrutantur, ostium non inveniunt, quia corruptores mentium contra vitam justum nullum prehensionis aditum inveniunt.

**TIT. IX. De pœnitentia in vacca immolatione.**

Apud Moysen dum in sacrificium vacca mactatur, offerri cum hyssopo et ligno cedrino et cocco bis tincto præcipitur (*Num. xix*). Vaccam mactamus, cum carnem a lascivia suæ voluptatis exstinguimus ; cum hyssopo, ligno cedrino, et cocco bis tincto, quia cum maceratione carnis sacrificium fidei, spei et charitatis adolemus. Hyssopus interna nostra mundat, et Petrus dicit : *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore* (*I Petr. i*). Lignum cedrinum nulla putredine deficit, quia spem cœlestium terminus non consumit. Unde Pe-

trus : *Regeneravit nos in spem vivam* (*Ibid.*). Coccus rubeo colore flavescit, quia quem implet charitas etiam accendit. Unde Dominus : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc. xii*). Is dicitur bis tinctus, ut coram Deo charitas dilectione Dei et proximi coleretur.

**TIT. X. De mentis nostræ custodia per custodiam Isboseth figurata.**

Isboseth, qui in domo non ostiarium sed ostiariam habuit, quæ purgans triticum obdormivit (*II Reg. iv*), ab hostibus tunc ingredientibus, et spicas tollentibus, ac eum in inguine ferientibus, occiditur. Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia virtutes a vitiiis separat. Quæ si obdormierit a discretionis cura cessando, malignis spiritibus ad interficiendum Dominum iter pandit ; qui ingressi spicas tollunt, id est bonarum cogitationum germina auferunt, et in inguine feriunt, dum vitam delectatione carnis perforantes tollunt, quia ad mentis custodiam mollem custodiam deputant. Duplex enim debet esse mentis nostræ custodia, si Isboseth, id est vir confusionis esse nolimus : fortis et sapiens ; ut eam corporis somnus non opprimat, nec error ignorantia fallat. Unde Salomon : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit* (*Prov. iv*).

**TIT. XI. Quomodo boves mare æneum sustententes, sacerdotes pastores significant.**

Ante fores templi ad abluendas ingredientium manus, mare æneum, id est lutereum duodecim boves portant, qui quidem facie exterius eminent, sed ex posterioribus latent (*II Reg. vii*). Boves sunt pastorum ordo. Unde : *Non obturabis os bovi trituranti* (*Deut. xxv*). Hi ante fores lutereum portant ad abluendas ingredientium manus, dum condensationis suæ patientiam dilaudis proximorum confessionibus preparant, ut quisquis intrare æternitatis januam nititur, tentationes suas menti pastoris indicet, et quasi in bonum lutere cogitationis et operis manum lavet. Tales itaque pastores se exubeant quibus subjecti occulta prodere non erubescant, ut cum tentationis fluctus parvuli sustinent, ad pastoris mentem tanquam ad sinum matris recurrant, et sordes culpæ eorum solatio lavent. Hi facie videntur, posterioribus latent, quia nos opera, sed ejus quæ posterius maneant cognoscit.

**TIT. XII. Quod per pœnitentiam in unitate fidei servabitur peccator.**

Si quis abierit cum amico in silvam ad ligna cædenda, hoc est ad vitia reprehendenda, et ferrum a manu fugerit, hoc est prædicatio ab ejus operatione discordans recesserit, amicumque percusserit pravo exemplo, et occiderit in anima : *confugiet ad unam trium urbium* (*Deut. xix*), ut in una earum salvetur. Hoc est per lamentum pœnitentiæ conversus, in unitate sacramenti, sub fide, spe et charitate abscondatur, ne cum occisi proximus, id est districtus judex venerit, in judicio æterna pœna occidat.

**TIT. XIII. De Ecclesiæ doctoribus per vectes signatis.**

Vectes de lignis Setim (*Exod. xxxi*) indui auro operiti in quatuor circulis aureis positus per quatuor angulos arcæ, portant ipsam arcam. Arca Ecclesiæ

est; vectes, fortes et perseverantes doctores qui non inventam filia sessione pœnitentiæ operuit, ut mæterentes quatuor circulis, id est evangelicæ doctrinæ, Ecclesiam portant per quatuor partes mundi, et vectes arcam per quatuor angulos. Qui vectes jubentur auro operiri, ut cum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ fulgore fulgescant. De quibus subditur: *Qui semper erunt in circulis*, ut cum portandi arcam, hoc est docendi Ecclesiam, opportunitas exigit, pro intromittendis vectibus nulla tarditas generetur. Cum enim a subditis dubium aliquod spirituale pastor percunctatur, ignominiosum est valde, si tunc quærat discere cum quæstionem debet enodare. Unde primus Pastor pastoribus dicit: *Parati semper ad satisfactionem omni pascenti vos reddere rationem de ea quæ in vobis est [spe] fides (I Petr. III).*

**TIT. XIV. De virtute eloquii per citharam.**

Dum Saulem spiritus malus invaderet, cithara David ejus insaniam temperavit (*I Reg. xvi*). Quia cum sensus potentum per elationem in furorem vertitur, dignum est ut elocutionis nostræ tranquillitate quasi citharæ dulcedine ad salutem revocetur. Durus adamas incisionem ferri non recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit. Blandis enim dives exhortationibus placandus est, quia dura vulnera per lenia fomenta mollescunt, et furor insanorum medico blandiente sanatur.

**TIT. XV. Quid vita sæcularium bene viventium, licet non sit excellens, est tamen secunda.**

Lot qui ardentem Sodomam reliquit, Segor parvam civitatem inveniens, mox nequaquam ad cacumen montis ascendit (*Gen. xiv*). Ardentem Sodomam fugere est illicita carnis incendia devitare; cacumen montis conscendere, celsitudinem vitæ perfectæ arripere. Sed quia sunt multi qui scelera quædam deserunt, sed ad perfectionem montis nondum ascendunt, in medio inveniunt Segor, id est bonam vitam sæcularium, in qua salvent animas suas. Hæc enim vita etsi non sit virtutibus mira, est tamen a suppliciis secunda.

**TIT. XVI. Quomodo nobis sit facies per humilitatem velanda exemplo Eliæ.**

Elias, ut vocem Dei secum loquentis audiret, in ostio speluncæ suæ stat et velat faciem (*III Reg. xix*), quia cum vox intelligentiæ supernæ sit in mente, totus homo jam intra speluncam non est, quia mente carnis curam non possidet, sed stat in ostio, quia mortalitatis miserias exire meditatur. Sed tali necesse est ut faciem velet, quia quanto ad altiora intelligenda levamur, tanto nos submissius per humilitatem pœnitentiæ premere debemus, ne plus sapere quam oporteat conemur.

**TIT. XVII. Quod avaritia apud Deum et sanctam Ecclesiam non sit quærenda.**

Laban in furore insequens Jacob, qui ejus filias uxores acceperat, apud eum idola sua quærit (*Gen. xxxi*), quia, dum mundus in membris suis insequens Christum, qui Ecclesiam in sponsam accepit, apud eam avaritiam quæsit (quæ est idolorum servitus), Deum ipsum de avaritia tentavit. Quam apud eum

non inventam filia sessione pœnitentiæ operuit, ut nec apud eam inveniatur.

**TIT. XVIII. Sal discretionis, non mel adulationis nec voluptatis, esse sacris adhibendum.**

*Nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificiis; sed in omni sacrificio offeres sal (Levit. II).* Mel in sacrificio prohibetur offerri, quia nihil voluptuosum et suave hujus mundi apud Deum placet, nihil quod non habeat aliquid mordacis veritatis. Unde paschalis agnus cum lactucis agrestibus et amaris manducabatur. Sal vero in omni sacrificio offertur, quia sale rationis et discretionis omnia debent condiri.

**TIT. XIX. De schismate vitando.**

**B** *Si altare feceris, non ædificabis illud de sectis lapidibus (Exod. xx).* Quia divisus ab unitate et a societate superna per odium, in corpore suo non recipit Christum, nec in talibus potest sacrificium Deo acceptabile offerri. Unde addit: *Si enim super eo levaveris cultrum, polluetur, id est macula maligna et ignita polluetur.*

**TIT. XX. De superfluitate verborum et rerum vitanda.**

*Non plantabis lucum et omnem arborem juxta altare (Deut. xvi).* Et ad Gedeonem: *Nemus quædam circa aram est succide (Judic. vi).* Nemus juxta altare plantari prohibetur, quia infructuosi sermones circa Dominica dicta non sunt admittendi.

**TIT. XXI. Quomodo sol justitiæ ad auxilium bonorum nunc quoque stet. Et quod dæmones in mortis magis sint molesti.**

Cum fieret bellum contra quinque reges, sol et luna steterunt (*Josue x*), quia, dum pugnamus contra quinque sensus, non deserit nos sol justitiæ, qui ait: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (Matth. xxviii).* Quinque reges confugiunt ad speluncam corporis, sed pugnante Jesu, id est prædicante Evangelium, et Dei verbo ingrediente in nobis, intra speluncam corporis omnes interficiuntur pariter.

Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit (*Gen. xv*); quia circa finem vitæ quod in ara crucis offerimus, immundi spiritus conantur magis maculare. Quas ne illud raperent jussus abigit, cum immundis cogitationibus illud non sinit fœdari quod mens utiliter offerre Deo se putat.

**TIT. XXII. Quam aquam sapientiæ auferre conentur dæmones.**

Puteos quos Abraham fodit Allophyli terræ congerie replent (*Gen. xxvi*): quia iis qui in divinæ Scripturæ abditis sensibus ad alta penetrant immundi spiritus terrenas cogitationes ingerunt, et quasi inventam divinæ scientiæ aquam tollunt.

**TIT. XXIII. De consilio dando et pede figendo.**

Dare stulto consilium charitatis est sapienti ostentationis, ipsi sapientiæ temeritatis. Vitæ præsentis fluctus trahit quem levat. Valde autem demens est qui in unda volvitur et plantam figere conatur.

**TIT. XXIV.** *De egressu animæ a Deo, et de revocatione ejusdem ad eundem.*

*Egressa est Dina ut videret mulieres regionis (Gen. xxxiv).* Egreditur anima per aures, per oculos, ut ludat cum filiabus perditionis. Hanc Dominus revocat dicens: *Revertere, revertere, Sunamitis, etc. (Cant. vi).* Quater dicit, *revertere*. Ac si dicat: *Revertere a meis, quia mirabilia sunt; a tuis, quia prava sunt; a te, quia omnis caro fenum; ad me, quia summum bonum ego sum.* Sic ergo Deus vertit faciem a me, quia illi obverti tergum. Ideo, inquit, *ut intueamur te*, quasi dicat: Non potes me videre, nisi prius intueamur te. Nescio quid maculæ habes in facie; turpis es, alienam imaginem portas. Munda ergo eam ut intueamur te.

**TIT. XXV.** *Quid sit affligi in palea, luto et latere, et Pharaoni civitates construere.*

Pharao filios Israel affligit in palea, luto et latere (*Exod. 1 et v*). Palea carnalis delectatio. Lutum fit ex pulvere et aqua. Hoc fit, dum mala voluntas jungitur actioni. Ex his lateres producuntur, dum prava opera in duritiam pravæ consuetudinis decoquantur. Ex his ædificatur Rainesses, quæ commotione interpretatur, et hæc est avaritia; quæ etiam Phiton, qui interpretatur *os abyssi*, id est inferni vel omnium vitiorum; avaritia enim radix est omnium malorum, et Heliopolis, quæ interpretatur *civitas solis*, quæ est bona opera propter vanam gloriam, quæ est hypocrisis, construere. Ista tres civitates construit qui cupiditatem et mendacium et hypocrisim subintroducunt.

**TIT. XXVI.** *De primis, mediis et novissimis.*

*Fili, memorare novissima tua, et in æternum non peccabis (Eccle. vii).* Sunt prima, media, novissima: Primo pudor, secundo dolor, tertio timor, qui cæteris validior ad resistendum peccato. Pudor de multitudine, de qualibet mundi consolatione consilium sumit; timor non invenit solatium. Fili, ergo cogita unde veneris, erubescere ubi sis, ingemisce quo vadis, et time novissima pluraliter. Hæc sunt mors corporalis, districtio judicialis, pœna infernalis. Mors corporalis dura, quia quæ quis possidet cum amore, non relinquit sine dolore. Examinatio formidabilis, ubi tremunt angeli atque archangeli. Ubi enim conentietur cedrus Libani, quid faciet virgula sumi vel deserti. Quando vix justus salvabitur, impius ubi parebit? (*I Petr. iv.*) [Pœna periculosa, ubi *vermis qui non moritur, et ignis qui non exstinguitur (Isa. lxxvi)*. Mors autem provenit infirmitate, necessitate, effertate. Prima fit nec arte nec viribus, secunda sica, tertia in gloriandi cura. Unde ostendisti mihi tribulationes multas quantitate, malas qualitate. Districtio iudicii fit tribus modis: Per revelationem peccatorum hic non confessorum. Non ergo hic erubescere confiteri. Per confusionem, sed est confusio adducens aliorum gloriam, et est confusio adducens proprium peccatum, qua scilicet impeditur confessio. Confusio de aliena gloria est qua peccator punitur, videns gloriam sanctorum et dicens: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, etc.*

*Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei (Sap. v).* Contra has confusiones, primum remedium contritio cordis, secundum confessio oris, tertium afflictio carnis. Hi sunt tres fontes quibus lavatur anima: contritio per anxietatem, confessio per humilitatem, afflictio per asperitatem. Primus est qui irrigat terræ superticiem; secundus, qui positus est extra urbem; tertius, super quem Jesus sedit. Sequitur pœna infernalis, in qua tetra corrosio per vermes, et dira exustio per ignem, quia illic *vermis non moritur, et ignis non exstinguitur (Isa. lxxvi)*. Ex his duobus nascitur desperatio: Primo, roditur conscientia; secundo, cremantur corpora, tertio, cumulatur miseria. Primum punit peccatum cogitationis, secundum reatum locutionis, tertium usum operationis. Hæc sunt novissima. Sed magna Dei pietas, quæ contra viam erroris propositam, viam veritatis prædicat, errantem filium revocat, perseverantem pie flagellat.

**TIT. XXVII.** *Quid sit in spelunca duplici sepeliri.*

*Abraham conjugem mortuam in spelunca duplici sepelivit (Gen. xxiii)*, quia viator animam suam a mundi actibus mortuam, sub bonæ operationis et contemplationis regimine abscondit. Activa enim sepulcrum est, ut quæ a pravis operibus mortuæ sepelit, sed contemplativa perfectius tegit: quæ a cunctis mundi desideriis (susceptis in intimis) funditus dividit, quales erant de quibus Paulus ait: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in gloria (Coloss. iii).*

**TIT. XXVIII.** *Quid sit ab Jezabel ad speluncam fugere, et Dominum in spiritu leni agnoscere.*

Elias Jezabel fugiens, in spelunca absconditur (*III Reg. xix*): quia nonnunquam animus turpitudinem declinat, sed ad deserendam carnis mansionem nondum animatur. Concupiscentiam fugit, sed in spelunca latitat, quia non roboratur ad tolerantiam passionum. Unde illi divina voce per increpationem dicitur: *Quid hic agis, Elia? (ibid.)* Quasi dicat: Non ad hoc factus es, ut sub latebra carnis moram tibi facias, sed ad contemplandam speciem Creatoris. Surge ergo, *sta in ostio speluncæ (ibid.)*. Surge; id est ne terræ inhæreas, ad superiora erigere; quæ sursum sunt quære. *Sta perseverantia, sta patientia, sta paratus per desiderium exeundi, sta fixus per obedientiam sustinendi. In ostio speluncæ, ut nec ingrediaris per concupiscentiam, nec egrediaris per patientiam. Ecce pertransibit Dominus spiritus grandis et fortis, subvertens montes et conterens petras. Non in spiritu Dominus; et post spiritum commotio. Non in commotione Dominus; et post commotionem ignis. Non in igne Dominus; et post ignem sibilus auræ lenis (ibid.)*. Ecce præambulos Dei, spiritum, commotionem, ignem. Spiritus est terror æterni iudicii, qui si in cor peccatoris impegit, montes superbix dejicit, petras duritiæ dissolvit. Sed hic nequaquam Deus esse dicitur, quoniam anima quam adhuc timor afflicti perditionis, charitatis dulcedinem nondum sentit. Post spiritum commotio sequitur,

quia terrore iudicii mens mota, compunctionis amore inflammatur. Postremo igni sibilus auræ lenis succedit, quia post longa compunctionis incendia, purgata mens, afflata Spiritu sancto consolationis refrigerium sentit. In quo sibilo nequaquam Dominus inesse negatur, quia nimirum illa sola mens dulcedinem percipit, quæ post laborem pœnitentiæ et anxietatem, consolationis refrigerio percepto in spe propagationis divinæ requiescit.

**TIT. XXIX. Quomodo melior sit iniquitas viri, quam mulier beneficiens.**

*Melior est iniquitas viri quam beneficiens mulier (Eccli. xlii).* In interiori homine quiddam est ad cœlestia et superna intendens, et hoc sapientia dicitur; et rursus quiddam ad transitoria et caduca respiciens, et prudentia vocatur. Et dividit se hæc vis animæ in duo, in sursum et deorsum. Sursum in sapientiam, deorsum in prudentiam; sursum in masculum, deorsum in feminam, ut masculus superior sit et regat, et femina inferior et regatur. *Caput mulieris vir; caput viri Christus; caput Christi Deus (Ephes. v).* Prudentiam sapientia regat. Sapientia vero verbum est. Verbum autem ab ipso est cuius est. Prudentia, quasi mulier curam domus agens, circa ea quæ carnis sunt stringitur. Sapientia Dei, quasi vir in longinqua sagacitatem suam mittens vel extendens, per amplitudinem spiritualis contemplationis evagatur. Mulier igitur aliquando bene, aliquando male facit. Male facit quando prudentia vel per pigritiam ligata carnem suam negligit, vel per sollicitudinem distracta ad quærenda superflua se effundit. Bene autem facit, quando quæ necessaria sunt quærit, et commoda carnis suæ, quoniam ei causa ipsius commissa est. Vir similiter aliquando bene, aliquando inique agit. Bene quando sapientia sursum intendit, appetens et desiderans solummodo quæ beneplacita sunt Domino. Inique cum gustu interni saporis roborata non solum superflua resecat, sed etiam necessaria. Vidisti hominem necessaria causa sui studiosè perquirentem; hic erat *mulier beneficiens*. Vidisti rursus hominem instinctu vel intuitu supernæ remunerationis carnem suam affligentem; hic erat vir inique agens. Sic enim iniquitas est quando quod debitum est illi subtrahis, sed tamen *melior est iniquitas viri quam mulier beneficiens*. Melior qui per cœleste desiderium accensus carnem suam in subtrahendo necessaria affligit, quam qui per carnalem affectum resolutus, desideris ipsius per omnia commoda satisfacere contendit. Multum ergo distat ab iniquitate viri malofaciens mulier. Sed nec beneficiens mulier iniquitati ejus potest æquari. Quando enim bene facit mulier, virtus non est, quando male, culpa. Iniquitas autem viri desiderium justitiæ, bonitas perfectio gloriæ. Si ergo vir iniquus est ad justitiam, et mulier bona est ad naturam, *melior est profecto iniquitas viri, quam beneficiens mulier*, quia si natura bona est in conditione, justitia melior in retributione.

**TIT. XXX. De fuga quam suadet nobis Scripturæ et de pane quem ministrat.**

Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti (Isai. xxi). Multorum opere nobis fugam persuadet sacra Scriptura. Quid autem debemus fugere, quomodo, et quando? Tres sunt qui movent bellum contra nos: diabolus, caro et mundus. Diabolus ducit contra nos agmina vitiorum, caro malorum desideriorum, mundus prosperorum et adversorum. Felicius esset pugnare et vincere, sed infirmo expedit magis fugere et salvari, quam male pugnare et superari. Vitia igitur fugimus quando peccandi occasionem declinamus, ut in luxuria carnis spe intimæ contemplationis desideria fugimus, quando illorum irritationem cavemus, ne oleum in ignem projiciamus et exardescat, quantum valet. Prospera et adversa fugimus, quando nec etiam ea quæ delectant requirimus per cupiditatem, timentes dissolvi, nec in ea quæ cruciantur jactamur, frangi metuentes. Diximus quid et quomodo fugiendum. Nunc quando dicat Veritas. *Videte ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbate (Matth. xxiv).* Hiems vias aut gelu exasperat, aut pluvia lubricas facit. Hiems est torpor imminentis mortis, quando membra dolor carnis constringit passione et robor dissolvit compassione. Sabbatum tempus est post mortem, quando ab hac vita eductis operandi facultas tollitur. Si ergo vis fugere venturam iram, fugi, dum sanus es; quoniam in morte fuga gravis est post mortem impossibilis. Ne autem deficias in via, habitantes terram austri, si te fugientem viderint, occurrent tibi cum panibus ut reficiaris. In austro splendor et calor; splendor cogitationis, calor dilectionis. *Terram austri* inhabitant qui in cogitatione et dilectione veritatis pausant. Isti abundant in panibus verbi Dei. Occurrunt fugientibus compassione, consolatione reficiunt. Iste panis cum sit unus, diversa specie proponitur. Aliquando enim subcinericius, aliquando hordeaceus, aliquando triticus nominatur. Elias fugiens, in deserto subcinericio pane reficitur. Filii Jerusalem qui pacem inhabitant adipe frumenti satiantur; qui super fenum recumbunt, hordeaceum comedunt. Panis sub cinere refectio sub vilitate. Sacra Scriptura vilitatem habens in specie litteræ, et dulcedinem servans in profunditate spiritualis intelligentiæ, panis est sub cinere. Vis ut ostendam tibi panem subcinericium? Rachel et Liam de concubitu unius viri Jacob legis contendere. Magna ibi species vilitatis, magnus cumulus cineris, et acervus terrenitatis. Revolve cinerem, scrutare intus: panis ibi latet, refectio abscondita est. Duas sorores duas vitas, activam scilicet et contemplativam, intellige. Utraque pro amplexu viri contendit; altera ut utilitatem habeat actionis, altera ut jucunditatem percipiat contemplationis. Ecce invenisti panem sub cinere. Vis adhuc panem videre sub cinere? Vides foris infirmitatem Domini nascentis, vagientis, plorantis angustias cunarum, vincula fasciarum. Totum hoc cinis est,

terrenum et infirmum; sub hoc cinere latuit Verbum, refectio angelorum et hominum. Esurientem vides et sitientem, flemem et patientem, compatientem et moventem. Hæc omnia quid fuerunt nisi cinis, indicia corruptionis, signa mortalitatis et latuit sub his virtus divinitatis: quam qui revolvere potuit, satiari meruit. Ecce quomodo Scriptura panem subcinericium apponit. Vides alibi eloquium sacrum secundum litteræ superficiem durum, quasi paleam tenacem habens, ut vix ad medullam spiritualis intelligentiæ penetrari possit. Hic est hordeum. Palea quidem cum labore excutitur, sed si ad interiora pervenis dulcedinem invenis satiativam. Invenis alibi sacram Scripturam, et lenitate verborum et suavitate intellectus blandientem. Hic est triticeus in quo mentibus suaviter nutriendis dulcis refectio præparatur. Inter ista tria genera panis subcinericium laborantibus proponitur, ut eos reficiat semetipsos despicientes per exemplum humilitatis et abjectionis, hordeaceus servis, qui studiosiori exercitatione fortia et obscura loca Scripturæ quasi excussa palea detegentes, ad medullam spiritualis intelligentiæ gustandam perveniunt; illis triticeus, ut in suavitate æternæ dulcedinis reliciantur ad exultationem.

**TIT. XXXI. De triplici basi in Scriptura. Et de Samson e ejusque ænigmate.**

Tres sunt species basium in Scripturis: ænea, argentea, aurea (*Judic. xiv*). Prima fortitudinem, secunda cum fortitudine claritatem, tertia cum fortitudine et claritate habet fulgorem. Fortitudinem in opere, claritatem in sermone, fulgorem in mente, quia in his tribus patientiam servat, quam basis indicat ænea; claram veritatem, quam basis argentea; et conscientiæ fulgorem, quam basis aurea; quæ virtutum structuram portat omnium. His tribus usus est Moyses.

Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam (*Jud. xiv*). Vitula est caro lasciva, propositio, obscura locutio. Samson, qui sol eorum dicitur, typum tenet Solis justitiæ; illius sodales, typum studentium sapientiæ. Dicit ergo: Si non arassetis in vitula mea, etc. Ac si dicat: Nisi caro restringatur et fiat sobria, mens nequaquam se valerit erigere ad cœlestia. In vitula aratur, cum caro mortificatur. Invenitur problema, cum cœlestium arcanorum aperitur contemplatio. Sodales igitur Samsonis vitulam diligenter exarant, ut ænigma propositionis intelligant, quia veritatis amici Jesu Christi discipuli carnem sobrie macerant, corpus attenuant, ut obscura scientiæ intelligant, et arcana scientiæ penetrare valeant. Est igitur magni momenti abstinentia, qua purgantur vitia, impetratur venia, possidetur gratia, reparatur innocentia, arcana patefiunt cœlestia. Abstinentia vero quadrifaria est, vitiorum, ciborum, negotiorum immundorum et desideriorum. De his in Zacharia: *Jejunium quarti et jejunium quinti, et jejunium septimi et jejunium decimi erit domui Judæ*

**PATROL. CLXXVII.**

**A** in gaudium et letitiam et in solemnitates præclaras, etc. (*Zach. viii*).

**TIT. XXXII. De cæsarie Absalonis.**

Tondebatur Absalon semel in anno, quia gravabat eum cæsaries; et tunc crines ponderabantur ducentis siclis pondere publico (*II Reg. xiv*). Appetitus carnis cæsariem nutrit et producit, quia cogitationum superflua nutrit: quæ cæsaries gravat mentem dum deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap. ix*). Qui tonsus semel in anno ducentis siclis ponderat, quando in omni spatio vitæ suæ cupiditatibus sæculi renuntiat, et hoc in fine. Tunc enim ab iis quæ possidet spoliatur, quando morte ultima terrenis separatur. Ponderat autem plus terra quam cœlum; plus amant esse in domo lutea quam in non manu facta in cœlis, in transitoria quam æterna. Et hoc pondere publico non sanctuarii. Audi pondus sanctuarii, pondus Pauli. *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philip. i*). Audi pondus publicum. *Væ habitantibus in terra* (*Apoc. viii*). Non qui corpore, sed qui corde habitant.

**TIT. XXXIII. De bonis bonorum cum Domino natis, et terriculis matorum.**

Manna de cœlo descendit, gaudeant esurientes. De cœlo vinea dedit fructum suum (*Zach. viii*): lætentur sitientes. Oleum effusum est (*Cant. i*); exsultent ægrotantes. *Expectatio gentium venit* (*Genes. xlix*), respiscant errantes. *Lapis de monte præcisus est* (*Dan. ii*), timeant superbientes. *Factus est fons patens domui David in ablutionem peccatoris* (*Zach. xiii*): redeant prævaricantes. *A Domino factum est istud, et est mirabile oculis nostris* (*Psal. cxvii*), *Non est Deus sicut Deus noster; qui facit mirabilia solus* (*Psal. lxxi*).

**TIT. XXXIV. De pinguento descendente a Christo in oram, etc., id est in electos ejus.**

A barba Aaron descendit unguentum in oram vestimenti (*Psal. cxxxii*), qui a Christo (qui est mons fortitudinis, quod interpretatur Aaron) in quo est plenitudo gratiæ, descendit in suos, dum gratia (*Joan. i*) quæ est in barba ejus, descendit in apostolos qui per barbam, quæ significat fortitudinem, notantur, et ab eis usque ad minores, qui sunt in ora vestimenti, pervenit.

**D** **TIT. XXXV. De puero nato et oppresso, moraliter ad simulatum religionem applicito.**

Puer natus est nobis (*Isa. ix*). Vos, inquam, martyres, pueri vobis et in vobis nati, quia timorem Domini concepistis et parturivistis spiritum salutis. Vigila, o mater, super curam recens nati, donec formetur vitæ spiritus in eo qui natus est tibi, quia quo recentior est, eo facilius perire potest tibi, qui nunquam peribit sibi. Vigila, inquam, memor, quoniam æmula tua dormiens, oppressit filium qui natus erat (*III Reg. iii*). Quid est enim æmula nisi carnalis anima, quæ spiritum exstinguit? Tangit autem negligentia hujusmodi homines, qui cum religionis amiserint fervorem, ipsius tamen sibi arrogant nomen et gloriam. Inde contentiones carnalium

contra spirituales etiam in capitulis quibus noster Salomon invisibiliter iudex præsidet. *Filius meus*, inquit carnales, *vivit; tuus mortuus est (III Reg. III)*: dnm scilicet æmulantur sibi religionis auctoritatem; cujus consuetudines judicant pro sua libidine. Et revera mater vult dare æmulæ vivum et integrum, non invidens ei gloriam, dummodo habeat veritatem. Sed illa: *Nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed dividatur (ibid.)*. Quia sanctitatis cupit sibi retinere honorem, aliis relinquere laborem. Sed non errat qui judicat, etsi aliquandiu dissimulet. Gladius Salomonis matrem invenit cui adjudicat indivisum, sicut affectum charitatis, sic et effectum potestatis; sicut fervorem operandi, sic favorem operandi. Vos itaque, fratres, in quibus fides per dilectionem operans nata est de Spiritu sancto, custodite eam. Poscite nutrice tanquam parvulum Jesum, donec formetur vobis puer, qui natus est nobis, qui non solum nascendo, sed vivendo et moriendo formam cui imprimitur tradidit nobis.

**TIT. XXXVI. De dæmonum et vanarum cogitationum a sacrificio mentis abactione.**

In sacrificio Abram animalium cæterorum corpora dividuntur, avium non dividuntur (*Gen. xv*). Dum per diversa desideria carnales dividuntur, ut animalia sunt divisi; dumque spirituales unitatis vinculum tenent, ut volucres, indivisi. Supra corpora divisa volucres descendunt, quia in divisione carnalium desideriorum demones sibi pastum querunt. Sunt et aliæ volucres importunæ, cogitationes, quæ in orationis sacrificio se ingerunt et hostiam maculant; sed Abram eas abigit, qua manu sanctæ discretionis intus fugat et immundos spiritus et vanas cogitationes. Difficilius inde abiguntur muscæ quæ cito redeunt quam volucres. Unde non tam gravis est accessus volucrum quam importunitas muscarum, nec tam difficilis est sæpe abactio dæmonum quam cogitationum. *Resistite enim diabolo, et fugiet vobis; resistite cogitationibus: nisi cauti et muniti fuerimus mox redibunt iterum.*

**TIT. XXXVII. De rationis et sensualitatis officii in figura Abraham et Saræ.**

Abraham tribus angelis extra ostium occurrit; Sara post ostium subsistit (*Gen. xviii*). Quia spiritualis noster intellectus debet in cognitione Trinitatis carnem excedere. Cura vero carnis foris non apparet, sed quasi post tergum viri sub discretionem spiritus solis necessariis intenta audit promissiones Dei, et irridet, dum dicitur ut de se non præsumat. Subridens corripitur; correpta jam anus secundatur, quia confidentiam sui deserens contra spem ex promittente accepit quod se habituram humana ratione dubitavit. Unde qui nascitur Isaac, id est risus dicitur, quia mens fidens in Deo gaudium parit. Cura ergo carnis metas necessitatis non excedat, nec in eo quod moderate exsequitur de se præsumat.

**TIT. XXXVIII. De lignis frustra quærentibus sibi regem et de malis monachis præsidem.**

Lignis silvarum quærentibus olivam in regem dixerunt ei: *Impera nobis. Quæ respondit eis: Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear?* (*Judic. ix.*) Quia negligentibus religiosis professione, sed sterilibus operatione, dicit Spiritus sanctus, qui per olivam notatur: *Pinguedo, quam præfero, in spiritualibus et me quærentibus comparet; vos autem, quia estis steriles, indigni estis gratia mea. Eisdem venientibus ad ficum, id est legem, dicit eadem lex in Isaia: Excaeca cor populi hujus (Isa. vi).* Et ut id perficere lex intelligatur, ostendit Dominus, dicens: *Homo quidam plantavit vineam (Luc. B xx), et in ea ficum plantavit, id est Christus fecit gentem Judaicam et dedit ei legem. Unde et Jeremias: Vidit bonas valde et malas valde ficus (Jer. xxiv).* Observantia carnales ficus malæ valde sunt; intelligentiæ spirituales valde bonæ sunt. Veniunt etiam ad vitem, id est Christum; sed quæ conventio Christi ad Belii? (*II Cor. vi.*) Ac dicat Christus: *Ego factus sum obediens Patri usque ad mortem (Philip. ii).* Vos autem Belial estis, id est absque iugo, et ideo non potestis mihi associari. Repulsi ab his tribus: a Spiritu sancto, ab intellectu legis, et Jesu Christo; veniunt ad rhamnum, id est Antichristum: Nam sicut rhamnus prius mollis est in herba, postea densos et acutos aculeos profert, sic Antichristus in principio blandietur, post crudeliter persequetur. Erit enim *coluber in via, cerastes in semitu mordens (Gen. xlix).* Illic invitat eos, ut sub umbra sua requiescant, id est desideria hujus mundi appetant, et in operibus carnis quiescant. Sin minus egrediatur ignis de Rhamno (*Judic. ix*), scilicet percusso Antichristo: *qui decorabit non solum simplices, sed etiam cedros Libani (ibid.)*, id est majores et minores ejus assecelas.

**TIT. XXXIX. Quod Christus sit ros et pluvia, cælum Trinitas beata, nubes prophetæ.**

Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant justum (*Isa. xlv*). Ros de cælo descendit in terram sine sonitu, pluvia de nubibus cum strepitu. Christus est ros, Christus est pluvia. In hac vita Christus est ros gratiæ, in gremio misericordiæ peccatores collocando. In die judicii erit pluvia, super impios cum strepitu sæviendo. Christus est ros. O peccator, ad spem ascende. Christus est pluvia: O superbe, a tribunali cordis tui descende. *Rorate, cæli, desuper. Cælum Pater et Filius et Spiritus sanctus, trinus et unus, Rorent ergo cæli. Quasi dicat: Pater ut Filius ad nos veniat cooperetur, et Spiritus sanctus ut Filius nos redimat. Nubes pluant justum.* Nubes sunt prophetæ. In his nubibus ligatus et suspensus justus, quia in verbis prophetarum ante incarnationem clausus est Christus. Sed rogat genus humanum ut nubes pluant justum, quia tempus faciendi ut ante conspectum gentium revelet justitiam suam in nubibus pluviam.

TIT. XL. *Quomodo ad Deum redeant compuncti, mendicij, devoti et contemplativi.*

Prævaricatores, *redite ad cor* (Psal. XLVIII). Compuncti mendicij, devoti contemplativi vocantur. Compuncti procumbunt ad pedes rigantes eos lacrymis, et pro commissis clamantis: *Tibi soli peccavi* (Psal. L); *propitius esto mihi peccatori* (Luc. VII). Hi, cum Maria nostra Magdalene pro menstruis vitiorum ad pedes provoluti audiunt: *Dimissa sunt vobis peccata multa* (ibid.). His redimit humilis satisfactio quæ commisit superba transgressio, et experitur supernæ dulcedinis clementiam. Dæmonium a compuncto eicitur. *Egrediatur, inquit, diabolus ante pedes ejus* (IIabac. III). Ut ad pedes fiant mortui viventes, proscripti hæredes terreni cælestes. Ad manus accedunt mendicij, qui; licet de peccatis veniam sint adepti, sentiunt tamen se impotentes ad continendum et bene operandum, et ideo petunt et accipiunt gratiam. Ecce ostendit cui a rege benigno aurea virga clementiæ protenditur (Esther. IV): *Aperis tu manum tuam et imple omne animal benedictione* (Psal. CXLIV). Circa pectus versantur et assistunt devoti. Hi sunt qui innocenter vixerunt, vel pœnitendo crimina terserunt, nec ad pedes procumbere dicuntur, quia jam inundati, nec ad caput pertingunt, quia nondum contemplativi sunt, in quodam medio profectu pietatis operibus vacantes, et temporalia ac spiritualia indigentibus ministrantes. Scientiam hujus actionis et gratiam ministerit hujus non habent a seipsis, sed ab ipso fonte vivo hauriunt, a pectore scilicet Jesu qui est spirituale sacrarium cælestis armarii *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (Coloss. II). Tales debent esse prælati assistentes prætorio Jesu, id est lectioni sacræ Scripturæ; in quo sedes est sapientiæ, suscipientes et sugentes pacem de sinu Christi, populis eam annuntiaturi, ibi haurientes ad exemplum Joannis copiosam ubertatem doctrinæ spiritualis, ut plenus infusi possint effundere *stillicidia stillantia super terram*, ut Domino dante benignitatem terra nostra det, et fructum suum reddat in tempore suo. Haurire et propinare oportet. Quod non sit discurrendo sæculariter, sed conservando spiritualiter, et meditando diligenter quoniam non eructabit qui non manducavit. Aliud est oscitare de inanitate aliud eructare de plenitudine. A divinis ergo jejunis nihil saporum annuntiabit, sed neque potest a se quidquam habere quia non potest homo quidquam habere a se, nisi fuerit ei datum desuper. Accedunt ad caput contemplativi vel justificati. *Caput Christi Deus*: Isti qui per Dei gratiam meritorum privilegio se super se levant cum Apostolo quæ non licet homini loqui audientes (II Cor. XII). Igitur compuncti ad pedes, delictorum obtinent indulgentiam, mendicij ad manus, continendi a malo et bene operandi efficaciam, devoti ad pectus, ad instructionem subditorum moralem scientiam, contemplativi ad caput, sanctiorem de cælestibus indulgentiam. Timidi et ob crimina quodammodo incrudeli, veniæ

cum Thoma locum inveniunt in vulneribus et fluxuris clavorum. Divites fluxu sanguinis laborantes ad sibi gratiam sanitatis gratiam. Sic Christus homo factus pro nobis stat in medio Ecclesiæ, paratus omnibus subvenire. Accedamus ergo ad eum ne dicatur nobis: *Medius vestrum stat quem vos nescitis* (Joan. I). Judæi eum viderunt in quem non crediderunt. Nos ipsum fide operante per dilectionem videamus, ne sedentem aliquando timeamus. Sedens enim judicabit. Unde *throni positi sunt et libri aperti: et An iquus dierum sedet. Præoccupemus ergo in confessione faciem* (Psal. XCIV), judicaturi, nosmetipsos judicantes. Si enim, juxta Apostolum, *nos judicaverimus, non utique judicabimur* (I Cor. XI).

TIT. XLI. *De officio Moysi, id est legislatoris; Aaron id est sacerdotis, et Samuelis, id est prophetæ applicando monachis.*

*Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus* (Psal. XCVIII). Noverimus quoddam templum Dei vivum si Apostolo Dei de eo scribenti credimus. *Templum Dei, inquit, sanctum est, quod estis vos* (I Cor. III). Nequaquam credendum est hoc templum Dei sine sacerdotibus vel absque iis qui invocant Dei nomen debere esse, sed ut Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Queramus qui sunt isti *Moyses et Aaron et Samuel*. Per Moysen lex data est; per Aaron sacerdotium institutum; Samueli donum prophetiæ concessum. Officium igitur Moysi faciendæ præcipere, omittenda prohibere. Officium Aaron, ad ea quæ Moyses mandat Domini implorare auxilium, et de transgressionibus oratione et oblatione Deum verum reddere propitium. Officium Samuelis est prædicare quod præmium sperare valeant legis executores; et quam pœnam expectent legis prævaricatores. Si ergo videris aliquem nuper de sæculo venientem ac meditatione occupatum, ut de præteritis delictis satisfaciat, de futuris se cautum custodiat, tractare quomodo vultum moderari oportet; habitumque ac gestum componere, et defluere quid et quantum comedendum, quantum sit vigilandum, et quomodo resistat iræ, contradicat gula, conculcet superbiam, extinguat luxuriam, quam promptus esse debeat ad obediendum, et patiens ad sustinendum, scias Moysen in eo (qui hujusmodi corde est) surrexit et quasi quamdam novam legem condere. Si item videris eum corpus nuditate et frigore affligere, carnem attendere labore et verberare, mactare multiplices hostias in ara exteriori, et hausto prius igne ad ipsam non sine vituli sanguine in sancta sanctorum introire mactatoque superbiæ vitulo prius cum multis aliis hostiis mactatis in exteriori, in ara interiori consuescit offerre Deo gemitus, suspiria, preces et lacrymas, non dubites in eo Aaron novum sacerdotium inchoare. Ara quidem exterior, sensus carnalis est; ara vero interior affectus. In ara ergo interiori gemitus et lacrymæ offeruntur, et ea quæ cordis affectus commovent, sicut in ara ex-

teriori, vigiliae, jejunia, labor, et cætera quæ ad sensum carnis pertinent. De hoc autem altari ignis hauritur cum ad interiora transitur, quia de afflictione corporis, doloris vis ad cor transmittitur : unde postmodum compunctionis ince sum inflammatur. Ut autem sacerdotii officium plenius cognoscatur, duo sunt quæ ad ipsum præcipue pertinent : populum in lege Domini instituere, et pro populo Dominum verum placare, quorum unum Moyses, alterum Aaron exsequitur. Unde dicitur : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus*. In Samuele donum prophetiæ eminet. Cur ergo inter eos qui invocant, non potius inter eos qui prophetizant quam inter eos qui invocant? Samuel libenter prophetizat, et illi libenter Deum invocant inter quos prophetizat. Novi prophetia Samuelis est facere, vere invocare, et incitare orantes. Quanto enim quis frequentius cogitaverit quæ præmia justis in celo, quæ tormenta pravis sint reposita in inferno, tanto verius Deum invocet et attentius orat. Sed si desinit Samuel prophetare, sacerdotes desinunt invocare et orare, quia quanto sit futurorum contemplatio rarior, tanto redit oratio tepidior, et surgit invocatio tardior. Ut ergo Moyses discretus sit in præceptione, ut Aaron devotus permaneat in oratione, necesse est ut Samuel subtilis et diligens perseveret in contemplatione. Ut igitur ea quæ diffusius diximus ad compendium revocemus, ad Moysen pertinet quod faciendum est prudenter discernere, ad Aaron spectat ad ea quæ per nos non possumus divinum auxilium implorare; Samueli incumbit quid ex re qualibet utilitatis et periculi provenire possit caute providere. Per Moysen igitur discretio, per Aaron devotio, per Samuelem intelligitur circumspectio. Discretionis namque est mores componere, devotionis Deo supplicare; circumspectionis vero de superventuris providere. Si igitur deprehenderit vitam tuam in opere discretam, in oratione devotam, in circumspectione providam, poteris et tunc cum propheta dicere : *Moyses et Aaron*, etc. Nam cum ad sacerdotes pertineat populum præceptis informare et Deum precibus placare, manifestum est eos sine discretionem et devotionem, quasi sine Moysen et Aaron, sacerdotii sui officium non posse implere. Quos dum Samuel facit de futuris timidos, reddit eos in oratione devotos, et in Dei invocatione assiduos.

**TIT. XI. De septem fluminibus Ægypti, id est vitis mundi, et de musca, id est anima illis infecta, et de sibilo Dei quo ab illis avellitur. Et de ape, id est hypocrisis, etiam a Domino abacta, et de duplici terra, bonæ et malæ.**

In illa die sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, et apæ quæ est in terra Assur, et venient et requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum (Isa. vii). Ægyptus est mundus tenebris erroris peccati ignorantia involutus. In Ægypto septem sunt flumina ex uno fonte; in mundo septem vitia ex una radice superbiæ. Initium omnis peccati superbia. Quæ quamvis ex uno fonte sint,

A diversi tamen sunt coloris, et diverso modo perniciem ingerunt. Primum flumen inanis gloria, nitidum est, quodam nitore superducto placens, sed subito in se trahens incautos et demergens; secundum flumen invidia lividum est, quadam horrenda profunditate suspectum; tertium ira, fervidum et turbulentum; quartum tristitia, tetrum et nubilum, omnino periculosum; quintum avaritia, Scylla vel Charybdis rapax, omnia trahens ad se, deglutiens et absorbens; sextum gula, quædam vorago, et barathrum fœdas generans ex se exhalationes et corruptelas; septimum luxuria, luteum et viscosum. Musca igitur est anima nostra, inquieta, sordida et impudica quæ discurrendo hunc pungit, illum maculat, alium veneno malitiæ corrumpit, sicut musca, in-  
B  
quieta, sordida et lasciva, ita molesta omnibus et exosa ubicunque insidet, pungit vel maculat. Et hæc movens de fonte superbiæ, et per omnia flumina discurrens pervenit ad flumen luxuriæ quod est extremum flumen Ægypti hujus. Postquam pertransierit omnia flumina vitiorum, capitur musca nostra, delectatur, sordescit et ita implicatur ut non minus, non promissis, non verberibus, non predicatione vel exhortatione possit inde moveri, facilius occidi posset quam avelli, nec certe avellitur unquam nisi sibilo Dei. Sibilus iste dulcis, suavis lenis est inspiratio Spiritus sancti. Si igitur muscæ pius Dominus sibilare dignatur et compunctionis gratiam infundere, in flumine non poterit detineri. Gratias Deo qui nec tales muscas a sua misericordia repulit,  
C  
miseretur omnium et nihil odit eorum quæ fecit quia benignus est et misericors, etc. *Sibilat etiam apæ quæ est in terra Assur*. Assur enim interpretatur elatus. Illic est diabolus superbiæ caput; hujus terra est maledicta. Est autem alia terra benedicta: Unde: *Benedixisti, Domine, terram tuam (Psal. LXXXIV)*. Deus mandat nubibus suis ut pluant in eam, et ipsa imbrem suscipiens germinat herbam virentem devotionis quæ bonis aquis alitur. Terra vero maledicta producit spinas et tribulos. Unde: *Maledicta terra in opere tuo*, etc. (Gen. iii). Ille est terra Assur. In hac morantur apes, id est hypocrisis, qui sicut apes mel in ore, sed aculeum habent in cauda, de quibus Dominus sic conqueritur: *Circumdederunt me sicut apes (Psal. cvii)*. Veniunt Judæi cum Herodianis dicentes: *Magister, scimus quia verax es*, etc. (Matth. xxi). Ecce quomodo componant favos et mella congregent, sed quia capere quarunt in sermone, aculeum habent in cauda, de quibus propheta: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo (Psal. xxvii)*. Ecce mel in ore; mala autem in cordibus eorum, ecce aculeus in cauda. Apes ergo habitans in terra Assur est hypocrisis, totis desideriis habitans in mundo. Si ergo huic et muscæ sibilat Deus, venient passibus fidei et amoris, et requiescent in cavernis petrarum, melius quam in extremo fluminum Ægypti vel terra Assur, quia *tributatio et angustia in omnem animam operantis malum (Rom. ii)*. Illius enim quietis extrema luctus occupat.

TIT. XLIII. *Quæ servi, quæ mercenarii, et quæ filii A offerre debeant Deo.*

*Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum (Psal. xxviii).* Sicut in lege alia est hostia principum, alia sacerdotum, alia pauperum, sic alia convenit filio, alia servo, alia mercenario. Servo sufficit pro terrore gehennæ de malis pœnitere; mercedis causa mercenario a malis abstinere; filio parum est pro patre Domino animam ponere. Pertinet ad servos itaque pœnitentia, ad mercenarios abstinentia, filiis congruit patientia. Si quis igitur tanquam ovis ad occisionem ducitur et coram tondente se non aperit os suum, inter filios numeratur, qui offerunt filios arietum. Servo, qui non sufficit ad tantam hostiam, sufficit offerre turturem vel columbam, plangendo et gemendo quasi columbino cantu satisfacere. Mercenarius, quamvis petulantia et dilectionis hardum mactat, ne mercedem amittat, ad holocaustum Agni immaculati non facile pertingit. Si ergo ad adoptionem filiorum suspiratis, patientia agnos afferte Domino. Non autem agnos, sed *filios arietum* dicit, quod idem est, ut quoties perfecta opera habere desideramus, ad Dominici gregis duces prophetas et apostolos recurramus, et si qualia habemus desideria, talia et dicta facta geminantes imitari et nutrire studemus, filios arietum immolamus. *Afferte* igitur, aut *Domino afferte*, bis ponitur afferte, ut hostia duplicetur, pro gemina stola. Pro stola corporis afferte Domino hostiam bonæ actionis, pro stola mentis, hostiam piæ devotionis. Qui hostiam non duplicat, duplici contritione conteretur. *Dictum enim est: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animæ non habent quid faciant (Matth. x).* Et ideo ipsi sunt Domini terra, non Domini: *Illum time, illi munera afferte qui potest et animam mittere in gehennam (ibid.).* Afferte Domino corpora, afferte Deo spiritum. Primum Deo, quia domiatur in æternitate; secundo Domino, quia dominatur in tempore. Domino quia cui vult donat temporalia bona vel mala; Domino iterum, quia qui placuerit, dabit æterna præmia vel tormenta. Et nota congruam verborum distinctionem. *Afferte Domino, filii Dei.* Sicut Deus bonitatem sonat, ita Dominus potestatem. Satis ex hac distinctione innuit quod filii sumus, servitium debitum exhibemus, debitum est beneficium. *Afferte Domino gloriam et honorem.* In primo versu bis ponitur afferte. Primo propter nos, secundo propter proximos. Primo ad meritum, secundo ad exemplum. Et quia proximi alii boni alii mali, *afferte Domino gloriam*, et hoc propter bonos, *afferte gloriam nomini ejus* propter malos. Si boni videntes opera vestra bona, quod scilicet filios arietum offeritis, et opera mansuetudinis habetis, Deum laudant et in eis operari student, obtulistis Domino gloriam et honorem. Laudibus enim glorificatur Deus, operibus honoratur. Propter bonos ergo *afferte Domino gloriam, afferte Deo gloriam et honorem.* Propter malos, qui mutari nolunt, *nomini ejus*, ut solum quod reprehendant non inveniant. In bonis ergo Domino

obtulistis, non solum gloriam, sed honorem, qui laudando glorificant, operando honorantur, in malis saltem gloriam nomini ejus, qui ejus disciplinam laudant, quamvis non custodiant.

TIT. XLIV. *Quid sit adorare in atrio Domini.*

*Adorate Dominum in atrio sancto ejus (Psal. xxviii).*

Superius hostias offerre præcipitur; hic intus adorare jubemur. Prius ne intremus vacui; secundo, ne stemus otiosi. Si claustrum cum voto professionis et abrenuntiatione tui ipsius ingressus es, atrium cum hostiis intrasti. Si autem ibi instituta regulæ conservasti, et subjecti omni humanæ creaturæ propter Deum, non solum bonis et modestis, sed etiam dysscolis, non solum majoribus, sed etiam minoribus, per omnia obedistis, humiliter in atrio Domini adoratis. Adorare enim est totum corpus etiam usque ad pedes et infima scilicet membra prosternere. Cum hostiis ergo intrate inchoantes arctam viam et ingredientes angustam portam. Ingressi adorate in habitu religionis, voto professionis, et institutis regulæ, in domo disciplinæ omnibus obedite.

TIT. XLV. *De cedris Libani confRACTIS in bono religioso, et de duplici vitulo.*

*Vox Domini confringentis cedros: et confringet Dominus cedros Libani, etc. (Psal. cxxviii).*

Difficile est et quasi impossibile camelum per foramen acus transire, cor tumidum superbia obedientia angusta penetrare; sed apud homines, non apud Deum, qui quæcunque voluit fecit, non solum in cælo, sed etiam in terra, id est non solum in illis quorum cor est intelligentia lucidum directum in cælum, et mens firma in terra, sed *in mari et omnibus abyssis (Psal. cxxxiv)*, videlicet qui habent cor amarum et instabile ut mare; animum tenebrosum ut abyssum, fecit quod voluit, qui ad aspectum suum et vocis tonitruum contrivit omnes montes arrogantia, incurvavit colles superbia, et *deposuit potentes de sede*, quia vox confringentis cedros et etiam cedros Libani. Aliæ sunt cedri aliorum montium. Libanus decandidatio interpretatur. Decandidatio autem sanctorum est justificatio. Unde Joannes: *Byssinum enim sunt sanctificationes justorum (Apoc. xix)*. Unde vox justi: *Super nivem dealbabor (Psal. l)*. Et Domini: *Si fuerint peccata vestra [ut coccinum] (Isa. i)*. Cum talis decandidatio creverit in montem, et attolli cœperit super alios: cum se scilicet quisquam magnum putaverit et cæteris sanctiorem, natam scias cedrum in Libano. Si autem nuper de sæculo venisti, et super hoc adhuc pro litteris tuis vel pecuniis te jactas et extollis per nobilitatem generis vel pro habiti honoris dignitate, talium elationes cedri quædam sunt, sed Libani non sunt, quia de vanitatis nigredine non de sanctiatis candidatione surgunt. Quod si in principio bonæ conversationis tuæ, sæcularium pomparum cedri minuuntur, *vox Domini est confringentis cedros*. Et si forte postmodum, ut fieri solet, post instituta opera, quasi de perfecta institutione surgant quædam magnarum elationum cedri, addet Dominus et illas confringere, quia *confringet Dominus cedros*

Libani. Idcirco pro illis præsens non futurum ponit, *dicens, confringentis cedros, dum cedros vero Libani futurum ponit, et confringet cedros Libani. Additur: Et comminuet eos ut vitulum Libani (Psal. xxviii). Vere hæc est mutatio dexteræ Excelsi (Psal. lxxvi), comminere rigorem cedri ad similitudinem vituli Libani, et quælibet tumida corda inclinare ad humilitatis Christi imaginem. Quomodo prius contritus est propter scelera nostra, Vitulus ille singularis veniens a Libano de monte umbroso et condense, id est a supremo cælo ubi splendet candor lucis æternæ? Quomodo, inquam, comminutus est? Qui cum in forma Dei esset, humiliatur immensitate attritionis, quia tormento crucis nihil acerbius, morte nihil ignominiosius. Audiat quomodo inclinari debeat qui se ut vitulum Libani comminui desiderat, asperrima et vilissima, sponte sua, etiam sine culpa sustineat. Ille venit facere voluntatem Patris sui, et tu fac prælati tui. Ecce invenimus vitulum quem in holocaustum Domini mactare debemus, nihil ita flagrat Domino quam si mactetur vitulus propriæ voluntatis. Sed interest utrum sit de Libano an de Carmelo. Vitulum in-pascuis Carmeli nutriunt, qui in rebus carnalibus voluntatem suam adhuc non deserunt. Vitulum, in Libani vertice pascit, qui voluntatem suam in rebus spiritualibus sequitur. Is autem qui lautiores cibos et vestem molliorem quam cæteri, petit, vitulum impingat de feno Carmeli. Qui abstinere a concessis volens, fugit comedere quod cæteri, et usurpat sibi habitum hippocripi, vitulum suum nutrit in pascuis Libani. Uterque pascua quærit vitulo suo, sed unus de Carmelo, alius de monte Libano. Quidquid enim propter violentiam mentis vel teneritatem carnis agitur, ad Carmelum pertinet, quia *molle* vel *tenerum* interpretatur; quidquid quasi pro sanctitate supra ordinis institutum vel prælati consilium præsumitur, inter armenta Libani annumeratur. Sed *væ vobis qui confiditis* in vinculo *Samarie (Amos. vi)*, servientes tanto studio voluntati propriæ. In Judæam venistis, ubi mactatur Domino vitulus propriæ voluntatis. Ad quid descendistis ad Samariam, ubi vitulus pro Deo adoratur, propriam voluntatem custodientes et descendentes. An nescitis quod Judæi non contutur Samaritanis! Prius a sæculo venientes propriam voluntatem damnaveratis. Nunc curri is de Judæis Samaritani ellici. Si in Judæa es, vitulum Deo in sacrificio interficis; si in Samaria, vitulo tuo servis. Si enim carnis curam in desideris facis, vitulum de feno Carmeli pascis. *Omnis enim caro fenum (Isa. xl)*. Vide autem quomodo lex hujus vituli carnes comminuat et flammis in cinerem dirigit. Prius mactatur, cum obedientiæ amore singularitas abdicatur. In frustra dividitur, cum quæque singularitatis opera distinguuntur, quousque omnis arrogantis voluntas sopiatur solo cogitationis cinere inde remanente, quo conscientia ex recordatione humiliata confundatur magisque vereatur*

A Tit. XLVI. *De duplici igne, et multiplici puritate per tres pueros figurata.*

*Vox Domini intercedentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum (Psal. xxviii)*. Alius est ignis quem venit Dominus mittere in terram; alius quem venit extinguere. Primum de cælo veniens secum attulit; secundum invenit. Omnis amor ignis, sed non omnis bonus. Amor igitur bonus ignis bonus, quem Dominus venit mittere in terram ut ardeat (*Lev. x*). Amor libidinis malus quam venit extinguere. Unde per Moysen ignem alienum prohibet offerre super altare suum: de suo præcipit ut semper ardeat in altari suo; flammam alieni semper exstinguit. Unde *Angelus Domini descendit et excussit flammam ignis (Dan. iii)*. In pueris autem exstinguitur, qui a puritate dicuntur. Est autem alia puritas cordis, alia oris, alia actionis. In corde simplicitas, in ore veritas, in opere sinceritas. Hos tres pueros habemus cum sanctum est quod meditatur, verum quod loquimur, justum quod operamur. Felix nimium et Deo grata horum trium puerorum societas, propter unam puritati concordiam, in voluntate, sermone, actione. Videt ergo rex Babylonis et invidet, et eos adorare statuam æream desiderat, dum eos ex sua sanctitate in superbiam erigi suadet. Statuam enim æream adorare est super hæc studiis operam dare et deservire. Qui cum eos videt despiciere, flammam parat ut quos per gloriam elationis non potest superare, per flammam occidat libidinis. Flamma enim accenditur quando caro nostra ardore libidinis inflammatur. Ab angelo autem Domini flamma excutitur, et medium fornacis quasi ventum roris flantem effecit, dum intima cordis flante Spiritu sancto cælesti rore perfundit, et refrigerata conscientia puerorum linguam in laudem Creatoris convertit. Quibus liberatis Chaldæos flamma consumit, quia insidiantes innocentis, invidiæ ac gehennæ ardor exurit.

Tit. XLVII. *De proprietatibus cervi imitandis.*

*Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa, etc. (Psal. xxviii)*. Cervus animal velox, timidum, serpentibus inimicum. In agilitate pedum, velocitas denotatur actionum. Vis videre cervum alacriter currentem? *Viam*, inquit, *mandatorum tuorum cucurri (Psal. cxviii)*. Vis videre vocem præparantis ad cervinam velocitatem? *Sic currite ut comprehendatis (I Cor. ix)*. Vis audire vocem mentis ad cervinam formidinem? *Beatus homo qui semper est pavidus (Prov. xxviii)*. Quia sapiens in omnibus metu it (*Eccli. xviii*). Vis audire vocem moventis cervum ad serpentinam interfectionem? *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, etc. (Colos. iii)*. Tria itaque hæc ad cervum videntur pertinere: viam mandatorum velociter percurrere, dæmonum insidias suspectas habere, venena vitiorum audaciter destruere. Actio igitur expedita, pavidam, et iustam cervos facit, quia inquantum expedita, velocitatem tribuit; inquantum pavidam, utiliter pavidum quia cautum reddit; inquantum iustam, vitiorum venena exstinguit. Multi

in eo quod velociter currunt, serpentes non occidunt, sed nutriunt, quia in eo quod fortiter agunt, superbia et vana gloria et alii serpentes convalescunt. Alii in bonis operibus bonam intentionem habent et serpentina vitiorum venena mortificare student, sed dum modum et tempus servare nesciunt, in demonum insidias quasi venantium laqueos incidunt. Est ergo vox præparantis cervos, juxta illud: *Fili, accedens ad servitum Dei, sta in justitia et in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (Eccli. II). Et illud: *Serrite Domino in timore* (Psal. II). Ut igitur ad cervorum numerum pertineant, oportet eos et velociter currere, et caute timere. Talibus cervis sic præparatis revelabit condensa Scripturarum, profunda allego- riarum, opaca sacramentorum mysteria, mysteriorum secreta. Dabitque in montibus condensis et umbrosis requiescere, ubi contra venatorum insidias latebras reperient, et contra solis æstus refrigerium accipient. Quanto enim altius Scripturarum intelligentiam perceperint, tanto securius et quietius quasi in condensis latitabunt, et in umbrosis quiescent.

TIT. XLVIII. *Quæ a dextris et quæ a sinistris Dei stent, et quid sit charitatis varietate vestiri.*

*Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumamicta varietate* (Psal. XLIV). Dominus virtutum, ut ait psalmista, *ipse est Rex gloriæ* (Psal. XXIII). Hinc dicit David: *Astitit Regina*, etc. Merito regina virtutum charitas dici creditur, quia virtus virtutis nomen amittit, quæcumque charitati non famulatur. A sinistris Dei sunt bona temporalia; a dextris æterna. A dextris ergo charitas dicitur stare, quia bonis æternis, non temporalibus munitur. In solis namque illis charitas regnat, quos amor æternorum inflammat. *Astitit ergo regina charitas, sed a dextris et in vestitu deaurato*. Summi Regis oculis vult placere, quæ tam pretiosas vestes vult habere. Probatio charitatis exhibitio est operis. Opera bona ejus vestimenta sunt, *In vestitu*, inquit, *deaurato*. In vestitu opera justitiæ, in auro intellige claritatem sapientiæ. Vestimenta igitur aurea, opera sunt discreta. Fortassis tu agis omnia fortiter, minime tamen suaviter, quia non sapienter. Ideoque vestimenta quidem habes, claritatem sapientiæ non habes, quia *Sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. VIII), a fine inchoationis usque ad finem consummationis. Tu fortiter inchoas, tepide consummas. Cnr? Quia non disponis, omnia suaviter, nec scis operari sapienter. Incipis, curris, festinas, lassaris, deciperis. Non dicam ad finem, sed nec ad medium pertingis. Procedit ergo charitas, imo assistit, quæ nunquam, *a Dei dextris recedit, in vestitu deaurato, circumamicta varietate*. Decet sane utpote reginam multiplicem vestem habere et variam. Tu nescio quis semper vis esse in contemplatione, nescis ut audio, vestiri varietate. Alius quærit assidue esse in oratione, nec animadvertit quod charitas ornari vult varietate. Quisquis uno quolibet pretioso quo delectatur in opere, sic

ornari cupit, ut alium æque utilem aspneretur; charitatis ornatum non habet quæ vestitur varietate.

TIT. XLIX. *De opprobrio et contemptu.*

*Aufer a me opprobrium et contemptum* (Psal. CXVII). Opprobrium est culpa, contemptus pœna. Culpa iniquitas, pœna mortalitas. Propter iniquitatem factus sum exprobrabilis; propter mortalitatem, contemptibilis. Abominabilem me facit concupiscentia, vilem miseria. *Aufer a me opprobrium, aufer contemptum*.

TIT. I. *De extremo terræ unde producentur nubes, fulgura et pluvix.*

*Producent nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit*, etc. (Psal. CXXXIV). Terræ nostræ extrema peccata infima et opera abjecta. A tali extremitate nubes producit; quia ex turpitudinis nostræ recordatione caligo confusionis generatur. Nubes hujusmodi dum mentem obnubilat contra concupiscentiæ æstus quasi contra solis ardores refrigerium præstat. Nam qui peccasse se meminit, et se peccasse erubescit, quanto magis de præterito dolet, tanto de futuro se cautiorem reddit. *Fulgura in pluviam fecit*. Ante fulgura nubes producit; post fulgura pluvia sequitur. Nubes caligo confusionis; fulgura, terror majestatis; pluvia setus compunctionis. Dispensata ergo divina pietate, prius ob mentis oculos turpitudinis nostræ memoria reducit, post, mens recordatione divini terroris formidine concutitur; tandem, inter confusionem et formidinem deprehensa et diu fatigata in fletu componitur. Nubem super me aspexi, quotiescumque *confusio faciei meæ cooperuit me* (Psal. XLIII): fulgura excipio quando terrores Domini militant adversus me; pluvia descendit, quoties potui lectum meum rigare lacrymis.

TIT. LI. *De primogenitis Ægypti.*

*Qui percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus* (Psal. CXXXIV). Primogenita Ægypti sunt diabolicæ elationes et humanæ presumptiones. Alii superbiunt de rebus temporalibus, alii intumescunt in rebus spiritualibus. Vere brutus et animalis est sensus, quando ad imaginem Dei factus amens ex his intumescit quæ communia sunt cum pecoribus. Alii igitur superbiunt de vanitate; alii de sanctitate. Superbia vanitatis est primogenitum pecoris. Arrogantia sanctitatis est primogenitum hominis. Ægyptus autem erroris tenebræ. Talia generant primogenita. Flante autem divini Spiritus aura, percutiuntur primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus, quia flante spiritu timoris Domini dejicitur omnis tumor elationis.

TIT. LII. *De vulva, liberis, et uberibus.*

Quid dabis eis? Da eis vulvam absque liberis et ubera arentia. Vulva est studiositas, semen, veritas, bona voluntas. Ad hoc debes legere, propter hoc oportet intelligere, ut studeas adimplere. Vulvam habes, desiderium discendi habes. Si veritatem con-

ceptam amas et opere perficis, liberos nutris. Qui sunt hi liberi? Affectus boni et ordinati. Quid enim docet divina Scriptura nisi amare religionem, servare unitatem, habere charitatem? Sed multos video studiosos, paucos religiosos. Amant lectionem non religionem, imo amore lectionis in odium incidunt religionis. In his impletur quod dicitur: Dabo eis vulvam absque liberis. Doctores et prædicatores esse volentes, et primas cathedras et salutationes ambientes in populo, sed dantur eis ubera, id est verba arentia. Sermo debet esse ad hortandum sive ad exponendum obscura lucidus, ad persuadendum utilis, quod hæc sunt quasi ubera duo, unum expositionis, alterum exhortationis. Hæc multi accipiunt tumentia quidem, sed arentia; apprehendunt scientiam quæ inflat, carent charitate quæ ædificat; quorum ubera per scientiam tument, sed arentia sunt, quia dulcedinem spiritus non habent. Et videmus hodie permultos habere linguam magniloquam, raras melliloquam.

Tit. LIII. De uberibus sponso attributis.

Meliora sunt ubera tua vino (Cant. 1). Duo sunt ubera sponsi, videlicet ingenitæ mansuetudinis et longanimitatis quibus patienter expectat delinquentem, et clementer recipit pœnitentem. Gemina est ista dulcedo suavitatis in pectore Domini Jesu; longanimitas in expectando, et in donando facilitas. Vis videre longanimitatis, uber? Audi Apostolum: An divitias bonitatis et longanimitatis et patientiæ ejus contemnitis? An ignoras quod benignitas ejus ad pœnitentiam te adducit? (Rom. 11.) Ad hoc siquidem diu suspendit sententiam ultionis in contemnentem, ut quandoque gratiam remissionis infundat pœnitenti. Non vult enim mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (Ezech. xviii). Accipe exemplum et de altero ubere quod est remittendi facilitas. Legitur enim de ipsa: Quacunque horu peccator ingemuerit (ibid.). Legitur etiam: Derelinquat, inquit, impius viam suam: et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, ei miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum (Isa. lv). Pulchre David utrumque paucis comprehendit, dicens: Longanimis et multum misericors (Psal. cii).

Tit. LIV. De gratiarum actione pudica et mera ad Deum ut ad fontem unde omnia bona, referenda.

Origo fluminum et fontium, mare virtutum et scientiarum Dominus Jesus, quia juxta Annæ canticum: Deus scientiarum Dominus est (1 Reg. 1), dans casta consilia, justa judicia, recta desideria. illius fontis rivuli sunt cordis munditia, carnis continentia, oris puritas. Ex isto fonte manant ut ad locum unde exeunt flumina gratiarum revertantur, ut iterum fluant (Eccl. 1). Remittatur itaque ad suum principium cœleste profluvium. Spirituales rivi proprio fonte sine fraude et sine intermissione reddantur, ut arva mentium rigare non desinant, et iterum uberibus refundantur. Qualiter? Inquis. Audi Apostolum: In omnibus gratias agentes (Ephes. v), ut

quidquid sapientiæ, quidquid virtutis habes et gratiæ, totum Dei virtuti et Dei ascribas sapientiæ. Sed non omnis gratiarum actio Deo est accepta, sed quæ pudica est et mera. Pudica dixerim propter eos qui de malis suis gloriantes cum fortium vel homicidium vel adulterium fecerint, Deo gratias dicere solent, quasi Deus more eorum lætetur, cum malefecerint, et exsultet ut ipsi in rebus pessimis. Audiet quia talis est: Existimasti inique quod ero tui similis? etc. (Psal. xl.) Mera vero dixerim, propter hypocritas; qui Deum quidem de bonis suis verbo tenus glorificantes dolose agunt, in conspectu Dei invenitur iniquitas eorum ad odium. Primi mala sua impie Deo; securi bona Dei fraudulenter intorquent sibi. Quorum vox est: Labia nostra a nobis sunt (Psal. xi). Sed quid lingua tua nisi calamus scribæ? (Psal. xlii.) Et hoc ipsum intuitu accepisti a te repetendum cum usura. Si inventus fueris ad opus inpiger, ad referendum fidelis, pro labore mercedem accipies et audies. Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multum te constituam, etc. (Matth. xxv). Sin minus, vocaberis servus nequam et piger. Non laus calami est, sed laudabilis est illo bene exarata Scriptura; nec gloria linguæ aut labiorum, sermo bonus, sed mentis, et qui eam dedit Dei.

Tit. LV. De funiculo triplici.

Funiculus triplex (qui difficile rumpitur [Eccl. 1v]) ad extrahendas animas de carcere diaboli, et ad regna cœlestia post retrahendas, est recte servare, utiliter proferre, et efficaciter adimplere.

Tit. LVI. Oratio funebri et lamentatio de morte prudentis amici et religiosi.

Multam mœrorum tristitiam imperat (Job vi). In statera mea tristitia exsuperat, et calamitas quam patior, tanquam ignis, triste pectus adurit. Interiora depascitur clausus dolor, latius serpit, et sævit acrius. Quid mihi et lætitiæ, qui in amaritudine sum? Vis doloris omnem abducat lætitiã. Indignatio Domini ebibit spiritum meum, subtracto quem diligebat anima mea, simul quia cor meum dereliquit me. Quo mihi avulsus es? quo mihi raptus e manibus, homo unanimis, homo secundum cor meum? Amarissima separatio, et quam non posset nisi mors efficere. Opus mortis est tam horrendum divortium, totius suavitatis inimica mors, unum rapiendo, duos furiosa perimit. Mitius enim me privares, o austera mors, vitæ usu, quam fructu; sine quo ipsa vita gravior quam mors est. Nam carnis frater, si charos amisit, chariores invenit. In me transierunt, o mors, iræ tuæ, super me confructus est furor tuus, qui elongasti a me amicum et proximum. Erat ambobus grata presentia, dulce consortium, suave colloquium; sed tantas utriusque delicias ego perdidici; tu super mutasti et quidem in mutatis retributio multa ad omnem locum quo emergerit respicio; ad charum ubi consueveram, et non est. Heu! quantum istic ingemisco, sicut homo sine adjutorio, quem posthac consulam in

ambiguus! cui fidam in adversis? Quis nostra portabit onera? quis imminencia propulsabit pericula? Porro super nivem multiplicatur mihi et dolor. Vivam? Quousque vivam? Et si multum vivam, in amaritudine vivam, in mœrore vivam, in luctu vivam, non parcam mihi, et juvabo manum Domini? *Etenim manus Domini tetigit me (Job xix)*, cum succidit illum, nec enim dixit mihi se succisuram quam plantarat vineam. Ego illic portio misera in luto jacens, truncata parte sui et meliori. Frustraque dicitur mihi: Ne senseris. Sentio enim vel invitus, quia nec fortitudo lapidum fortitudo mea (neque enim mihi cornea fibra) nec caro mea ænea est. Sentio prorsus et doleo: *Et dolor meus in conspectu meo semper*. In virga indignationis suæ percussit me Dominus; digne pro meritis, dure pro viribus. Etenim dextera manus mea, lumen oculorum meorum, pectus meum lingua mea truncata sunt. In ipso quidem operabar, providebam, sentiebam, loquebar; quippe cujus os meditabatur sapientiam et lingua loquebatur iudicium. Nunc ille, uti spero, pro meritis sempiterna fruitur gloria, et ego pro commertis in hac communi derelictus sum miseria. Dixi.

TIT. LVII. *De venatore et laqueo animarum, et de verbo aspero ad monachos.*

*Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero (Psal. cx).* Ex quo homo positus in honore non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus illis (*Psal. xlviii*): et tetendit ei venator diabolus callidissimus et nequissimus laqueo. Et silvestribus et omnino bestialibus sæcularibus loco aperto satis laqueos expandit, ut quos facile capiendos non dubitat: Vobis autem qui tanquam cervi prudentiores, serpentes necatis, et perferre desideratis ad fontem vivum, subtiliores occultat laqueos, ideo vos, o novellæ plantationes, qui nondum habetis exercitatos sensus cordis vestri, nolite abundare in sensu vestro; sed humiliamini sub potenti manu pastoris vestri, acquiescite consiliis ejus qui melius novit versutias venatoris illius, ne versutus venator, vos tanquam rudes et incantos decipiat. Sed venatores jam et bestias novimus. Quis sit laqueus audiamus. Dic nobis, B. Paulè tu qui non ignoras astutias ejus quis sit iste laqueus. Qui volunt, inquit, divites fieri, *incidunt in tentationem et laqueum diaboli (I Tim. vi)*. Ergo laqueus diaboli sunt divitiæ hujus mundi. Heu me, quam pauci sint qui volunt ab isto laqueo liberari! Quam multi sunt, qui dolent quod parum sunt irretiti! Vos autem qui reliquistis omnia et secuti estis eum qui non habet ubi caput reclinet (*Matth. xix; Luc. ix*), exultate et dicite: *Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero*. Bestia, si non times laqueum, time malleum, verbum scilicet asperum: *Ite, inquit, maledicisti, in ignem æternum (Matth. xxv)*. Durum est penitere, ut qui audiunt penitentiam agite (*Matth. iii*), dicant: *Durus est hic sermo (Jo: n. vi)*. Sed si hoc verbum asperum revogitaverint, inve-

nient quod *jugam Domini suave, et onus ejus leve (Matth. xi)*. Vos autem pennati, quorum ante oculos frustra jacitur rete (*Prov. i*), quidquid in vobis est bestiarum mactate, corium detrahitte, ne quando venator capta bestia clamat: tolle, tolle, infige verubus, infer prunis, infer caldariis. Si enim liberati fueritis a laqueo non timebitis a verbo aspero. Pretiosioreem igitur habere paupertatem vestram divitiis hujus sæculi, et de labore vestro Christum pascite et vestite; ut in die illa gratias agendo exultetis et dicatis: *Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero*.

TIT. LVIII. *De quatuor generibus ovium, et de caula earum ac carnis custodia quadruplici.*

*Nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus (Psal. xciv)*. Quatuor sunt genera ovium. Infirmæ, setæ, vagæ, validæ. Hæ sunt incipientes, proficientes, errantes, perfectæ. Unaquæque indiget proprio pastu: incipientes eruditione, ut ulterius proficiant; proficientes admonitione, ut ad summum perveniant; errantes correctione, ut peccatum abjiciant; validæ exhortatione, ut coronæ inserviant. His quasi caulæ quædam claustralis debetur observatio: quæ quodammodo quadrangula est, sicut claustrum, ut singuli a suis proprietatibus non exclusi sint, finibus suis contenti. In primo latere erit subiectio scholastica, ut nascatur humilitas; in secundo, lectio moralis ut acuat subtilitas; in tertio correctio spiritualis, ut evellatur iniquitas; in quarto, meditatio spiritualis, ut cognoscatur veritas. Denique canis necessarius est, id est vigilantia pastorisque custodia quadrifida, ut sicut canis latratu lipos et latrones fugat, sic prælatus comminatione diabolum et vitia propinquare vetet. Sicut canis propria lingua se sibi medicum præstat, sic, si excesserit, linguæ confessione se curet, sicut canis venaticus feram a longe præsentit, ita virtute fidei vitam post mortem speret; et sicut canis domino suo fideliter adhæret, sic ab unitate fidei se usque ad mortem non separet.

TIT. LIX. *De panibus Salomonis, et duplici amore, pravo et bono.*

Tres sunt panes Salomonis: Contemptus mundi, et sui, et amor Dei. Primum proponit in Ecclesiaste, secundum in parabolis, tertium in canticorum Canticis. Quia enim duo sunt mala, quæ sola maxime militant adversus animam, vanus scilicet amor mundi, et superfluous amor sui, pessimi utriusque duo isti priores sibi obviare noscuntur. Quia vero unum solum summum bonum, quo frui et quod amplecti desiderat sponsa, Deus scilicet sponsus est, hic in tertio, id est canticis frangi dignoscitur. In primo igitur, ad refectionem nostri docemur hujus mundi contemnere vanitatem; in secundo cognoscere et sequi veritatem, sequi scilicet Agnum quocumque ferit; in tertio, veritate frui et ad ipsum pervenire: et hic est fructus amborum priorum. Cum tertium istum sumpserit panem qui de via venit amicus, unde murmuret non habebit. Sed quis franget?

Adest paterfamilias cognoscendus Dominus in panis fractione (*Luc. xxiv*), pauper et inops ad eum pulset, quia aperit et nemini claudit.

TIT. LX. *De triplici unguento bonorum.*

Tria sunt unguentorum genera : contritionis, devotionis, pietatis. Primum pungitivum, dolorem faciens; secundum temperativum, dolorem leniens; tertium sanativum, morbum expellens. Primum conficit anima multis criminibus irretita, quando incipit cogitare vias suas, ut colligat, congerat, et conterat in mortariolo conscientiae suae multas et varias species peccatorum, et mire æstuans peccatoris olla simul omnia coquit igne quodam doloris et pœnitentiæ, ut possit dicere : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis (Psal. xxxviii)*. Secundum conficit anima multis virtutum beneficiis accensa, cum sancta devotio beneficia Dei cum lætitia et gratiarum actione recolit, illa in vasculo pectoris pistillo crebræ meditationis conterit, et igne sancti desiderii concoquit, et deinde oleo lætitiæ impinguat, et tunc psallit et intelligit in via immaculata, ut possit dicere : *Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine (Psal. c)*. Tertium sibi conficit pia hominis anima de necessitatibus pauperum, de perturbationibus tristium, de culpis delinquentium, postremo de omnibus hominum ærumnis, et si sint inimici, quia *jucundus Deo homo qui miseretur et commodat (Psal. cx)*, pronus compati, subvenire paratus ignosceret facilis, irasci difficilis et ulcisci. Sic omnibus omnia factus sit sibi tanquam vas perditum, ut cæteris sit præsto et occurrere et succurrere. Mortuus denique sibi, ut vivat, omnibus speciebus diare curat, et impinguare, perfundens prædictas proximorum inopias quasi quodam aromate, oleo misericordiae, et decoquens charitatis ardore, ut de hujuscemodi fratre, in congregatione sanctorum digito ostenso dicatur : *Hic est fratrum amator populi Israel; hic multum orat pro populo, et universa sancta civitate (II Mach. xv)*. Primo unguento pedes Jesu, secundo caput, tertio totum corpus a bonis mulieribus ungitur. Jesus dicitur caput et sponsus; corpus et sponsa dicitur Ecclesia. In qua boni et mali: pectus boni, pedes mali; corpus boni et mali; caput vero Deus. Mulier igitur, id est anima peccatrix pedes istos ungit (*Luc. vii*), malitiam in mortariolo cordis terendo : Anima justificata caput ungit, de collatis ipsi beneficiis capiti suo, id est Deo non sibi attribuens gratias agendo. Ipsum Jesum, id est totum corpus ungit pia mulier, charitatem suam usque ad inimicos corporaliter et spiritualiter exercendo. Primum quamvis pedibus tanquam extremis membris offeratur, non est tamen vile, cum de eo dictum sit : *Et domus impleta est ex odore unguenti (Joan. xii)*. Est enim odor vitæ ad vitam. Quamvis pœnitens in Ecclesia totum dicitur, ut non solum ad terrenam, sed ad cœlestem etiam Ecclesiam attingat odor pœnitentis; teste enim veritate *gaudium sit inter angelos super uno peccatore pœnitentiam agente (Luc. xv)*. Hujus

ungenti species in propriis hortulis invenimus. Quis enim de proprio suo ad manum non habeat iniquitates et peccata, si non dissimulat? Si autem aromata, beneficia scilicet Dei, procul et de ultimis finibus ea accepit, quia : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est (Jac. i)*. Hoc unguentum est sacrificium de quo dicitur : *Sacrificium laudis honorificabit me (Psal. xlix)*. Non est igitur pauperis hoc unguentum : de quo nimirum quia tangi caput illud venerandum non ducit indignum, judicat honoris esse insigne. Illis duobus tertium præfertur; sanativum enim est de quo dicatur a Domino : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (Matth. v)*. Unde eo non tantum pedes, nec tantum caput, sed et totum ungitur corpus. Primum itaque bonum, secundum melius, tertium optimum. Quia discipulo dicente : *Ut quid perditio hæc (Joan. xii)*? dictum est a Domino : *Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me (ibid.)*. Potest tamen dici quod hoc unguentum priora designet. Cum enim qui prodesse multis posse putatur, soli tamen sibi vivit, et ad pedes in recordatione peccatorum sedens, ad caput in recordatione beneficiorum proficit, ut cæteris prosit et præsit vocatur : quid aliud dicitur nisi, *ut quid perditio hæc? Potuit unguentum istud venundari multo et dari pauperibus*. Hujusmodi autem reuente onus, et Domino congaudente in tali vocatione dicitur : *Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum, etc.* Quasi dicat : Non vir, ut putatis, qui possit mittere manus ad fortia; sed mulier stet in hoc bono, donec convalescat ad melius.

TIT. LXI. *De quatuor unguentis in quorum odore currit sponsa.*

*Curremus in odore unguentorum tuorum, etc. (Cant. i)*. Quatuor sunt unguenta in quorum odore nostra sponsa currit : primum sapientiæ, secundum justitiæ, tertium sanctificationis, quartum redemptionis. Hæc quatuor factus est a Deo sponsus homini, dicente Apostolo : *Qui factus est nobis a Deo sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio (I Cor. i)*. Sapientia in prædicatione, justitia in absolute peccatorum, sanctificatio in conversatione quam cum peccatoribus habuit, redemptio in passione quam pro peccatoribus sustulit. Vides quadrifariam unctionem.

TIT. LXII. *De quadruplici Dei in nos beneficio, illuminationis, justificationis, doctrinæ et redemptionis.*

Sedehas in tenebris et umbra mortis per ignorantiam veritatis vinculis delictorum catenis, et descendit ad te veritatis Doctor, umbramque depellit ignorantiae tuse, luce sapientiæ suæ. Per justitiam deinde quæ est ex fide, solvens funes peccatorum, gratis justificans peccatores et in his duobus Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Addidit sanctificationem, qua sancte inter peccatores vivens tradidit formam vitæ et viæ qua homo rediret ad patriam. Adjungit et redemptionem,

eam tradidit in mortem animam suam et de proprio A latere protulit pretium sanctificationis, quo Patrem placaret, ut cognosceres quod apud Deum est misericordia, et copiosa apud eum redemptio (Psal. cxxix).

TIT. LXIII. De tribus sagittis expetendis.

Tres sunt sagittæ: timor, sermo Dei, et charitas. Primam postulat qui dicit: *Confige timore tuo carnes meas* (Psal. cxviii). De secunda Apostolus: *Penetrabilior est omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus* (Hebr. iv). Tertia vulnerata est quæ dicebat: *Stipate me malis quoniam amore lingueo* (Cant. ii). Prima sagitta transfodiuntur delectationes carnis, secunda interficiuntur vitia animæ, tertia excutitur omne vitium vel noxium ab ipsa anima: tangitur illa pax Dei B quæ exasperat omnem sensum (Philipp. iv), quæ facit ut iam non delectet, in quo carnalis sit sensus.

TIT. LXIV. De quatuor tentationibus conversi ad Dominum.

*Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in tenebris, a negotio perambulante in die, et dæmonio meridiano* (Psal. xc). His tanguntur quatuor genera tentationum quæ sensit et sentit qui conversus est ad Dominum: Timor nocturnus, sagitta volans in die, negotium perambulans in tenebris, et dæmonium meridiano. Nam primordia conversi primus exagitat timor de terrore vitæ et austeritate instrictæ disciplinæ. Unde dicitur: *Fili, accedens ad serritatem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (Eccli. ii). Hic timor dicitur nocturnus, vel quia nox designare solet adversa, vel quoniam propter quod adversa agredimur nondum revelatur. Si enim dies ille lucret, cuius lumine labores et præmia viderentur, timor nullus esset laborum præ desiderio præmiorum, quia *non sunt condigne passionis hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (Rom. viii). Sed quia nox est, ideo tentamur a timore nocturno pro his quæ videntur, adversa tolerandis. Primo igitur intrantibus orandum est et vigilandum contra hanc tentationem, ne subito preoccupati a pusillanimitate spiritus et tempestate nocturna, bono cæpto resiliant. Hæc autem superata, armandum est contra sagittam volantem in die, quæ D est inanis gloriæ fama: quæ quidem volat, quia levis; et ideo in die, quia ex operibus lucis. Sed hæc facile superatur tanquam inanis gloriæ aura. Tertio a negotio perambulante in tenebris. Die, id est ab hypocrisi timendum est, et ideo procurandum ei qui non curat laudes, ne appetat divitias et dignitates, circumventus: *a negotio perambulante*, tam in die quam in tenebris quod est hypocrisis. Hæc enim negotiatur omni tempore, formam retinens pietatis, et ad se occultam virtutem vindicans ad emendos honores et prælaturas. Hoc negotium perambulat in die, quia speciem habet virtutis et simulat virtutem; re autem ipsa est in tenebris, quia in tenebris habitatio ejus abscondit quod est, et quod non est

mentitur. Qui autem superaverit hujusmodi favores et honores, postremo tentatur a dæmonio meridiano; ab eo qui transfiguratur se in meridianum, id est in angelum lucis, cum sit vere dæmonium et angelus tenebrarum. Hinc dolum suspicans Josue non prius amicum angelum recepit quam esse amicum novit (Josue v). Discipuli quoque Dominum super mare ambulantes dum procellis agitantur videntes, Domini virtutem et misericordiam per apertam suspicionem deprimunt, putantes eum phantasmam (Matth. xiv). Unde et quarta vigilia noctis venit; quarto loco contra istam tentationem vigilare suadens. Tu autem, o homo nocturno, juxta prophetam: *Non timebis a timore nocturno a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano* (Psal. xc). Si veritas Domini circumdat te scuto suæ protectionis et bonæ voluntatis.

TIT. LXV. De duplici impetu spiritus et carnis.

*Fulminis impetus lætificat civitatem Dei*, etc. (Psal. xlv). Duo sunt impetus, unus spiritus, et alter carnis: Primus beatorum, secundus malorum: Impetus carnis ad odium, ad iram, ad exteriorem gloriam et voluptatem animum impellit; impetus spiritus ad charitatem, ad patientiam, ad æternorum fidem, et ad contritionis lacrymas pertrahit mentem. Unde necesse est magna cura considerare qui nos impetus ducat a cogitatione nostra. Nam dum per impetum impellimur amare terrena, ultionem de inimico querere, temporalia non ad necessitatem, sed ad voluptatem et superfluitatem postulare, impetus est carnis. Econtra amare cælestia, ignoscere nos offendentibus, amare inimicos propter Deum, temporalia ad usum necessitatis querere impetus est spiritus. Hinc de sanctis animalibus dicitur: *Ubi erat impetus spiritus gradiebantur* (Ezech. i). Et quia sic ad bona tendunt ut ad mala non redeant, recte subditur: *Non revertentur dum ambularent* (ibid.). Quia ab Ægypto egressus, ad ollas Ægypti mente non debet reverti. Ab eodem autem propheta dicitur, quod *ibant et revertentur in similitudinem fulguris coruscantis* (ibid.). Quia duplex est gressus justi, de malo ad bonum, in quo gressu non debet esse retrogradus, et de bono active ad bonum contemplative, a qua sit regressus ad activam in similitudinem fulguris coruscantis, percutiendo vitia et ad Dei amorem inflammando; fulgur enim percutit et incendit.

TIT. LXVI. De tribus filiabus Job.

Sunt Job tres filie: Dies, Cassia, et tertia Cornustilii nomine. Quæ figurans genus humanum a Christo conditum, redemptum et reassumptum: fuit enim Dies in prima conditione, quia in innocentia creatum est; die autem innocentie per peccatum finito, et in mœroris nocte absconso, secundo in redemptione fit Cassia; amarum siquidem est sicut cassia, per confessionem et corporis macerationem a vitio redimi. Ergo ut ad salutem revocetur, amarum ei poculum dandum est, sed odoriferum per virtutis fragrantiam ex gratia Redemptoris. Qui vero tertio

in re assumptione carnis per resurrectionem Christi, naturam nostram renovatam, in æterna laude assumemus, Cornustibii nomine tertia filia vocatur: in quo nomine lætantium cantus exprimitur. Ibi enim Conditor noster laudum suarum veraces cantus accipit, qui genus humanum condendo diem, et redimendo cassiam, et assumendo cornustibium fecit. Qui enim lux et dies fuimus conditi, et sumus Cassia redempti, erimus quandoque Cornustibii in exaltatione æternæ laudis assumpti.

TIT. LXVII. *De ostio et fenestris arcæ Noe.*

Duo sunt exitus arcæ Noe: Alter per fenestras, alter per ostium. Fenestra significat exitum per cogitationem; ostium, exitum per operationem; ostium deorsum, fenestra sursum est, quia actio ad corpus, cogitatio pertinet ad animam. Hinc et aves emisse sunt per fenestram; homines et bestię per ostium, quod clausit et aperuit Dominus. Sed fenestram homo aperuit, quia gravius est opere et cogitatione quam sola cogitatione peccare.

TIT. LXVIII. *De quatuor modis exeundi per operationem et totidem per cogitationem.*

Quatuor modis exitur per operationem: Primo ad usum voluptatis, et hæc sunt animalia immunda: secundo ad usum necessitatis hæc quidem animalia, sed munda; tertio ad curam regiminis ex præcepto obedientiæ, et hi sunt filii Noe, qui extiens obtulit sacrificium; quarto ad eandem ex ambitione cætero despiciendo, et hi similes erant Cham qui patris verenda derisit. Quatuor modis per cogitationem. Primo considerando quid ex se sit, secundo quid ex dono Creatoris, tertio quomodo Deus creaturis utatur, tribus his loquens vocibus: Accipe, redde, fuge. Accipe beneficium, redde debitum, fuge supplicium. Prima vox est famulantis, secunda monentis, tertia minantis. Prima voce dicit terra, aqua, aer, ignis: Accipe me in beneficium; secunda: Redde pro beneficio laudem; tertia: A me deglutiens, combureris, absorberis, submergeris. Qui enim beneficia Dei accipit, nec gratias refert, merito hæc patietur. Quarto modo per cogitationem exitur, dum cogitatur non necessitatis subsidium, sed libidinis oblectamentum: et hi similes sunt Evæ, quæ vidit lignum quod pulchrum esset, etc., et corvo, quia ad arcam conscientiæ non rediit. Primi tres similes sunt columbæ, quæ præmissa primo rediit, et nihil reportavit; secundo rediit et attulit ramum olivæ; tertio non rediit ad arcam, sed mansit in loco a Deo aquis purgato. Ex prima consideratione adducit contemptum mundi, quia, contempto mundo aquis diluvii, id est voluptatis cooperto, ad arcam rediit; ex secunda laudem Dei quia ramum olivæ in signum pacis attulit. Pax autem gloriæ Dei conjungitur, cum ab angelis canitur: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax*, etc. (*Luc. II*). Ex tertia amore in pariter et timorem Dei, quia ab eo nec voluit nec ausa est amplius discedere; ex quarta vero, si redire contingat incentivum adducat libidinis.

TIT. LXIX. *De duabus zonis in Veteri Testamento.*

Duas zonas legimus Veteris Testamenti. Quarum zona pellicea renes cingit, zona aurea mamillas stringit. Elias cinctus zona pellicea circa renes, est timor carnem restringens a libidine. Zona aurea circa mamillas, amor virtutis cor comescens a libidinosa voluptate. Zona timoris, quæ non veniam dilatat, sed pœnam cingit. Zona aurea ubi latens voluptas in corde castratur. *Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam*, etc. (*Math. V*). Zona præcinctus est pellicea, qui crucifigit carnem cum vitis et concupiscentiis qui dicit: *Confige timere tuo*, etc. (*Psal. cxvii*). Zona aurea strictus est, cuius cor non polluit cogitatio sæda, qui pepigit fœdus cum oculis, ut ne cogitet quidem de virgine (*Job xxxi*). Utrumque postulabat qui dicebat: *Ure renes meos et cor meum* (*Psal. xxv*). Carnem a fluxu libidinis, mentem a passione voluptatis. Zona pellicea si rumpatur, filo et acu resarcitur; filum in acu eleemosyna est, quam in manu exercet cum acu, id est cum pœnitentia quæ pungit.

TIT. LXX. *De quatuor montibus.*

Quatuor sunt genera montium: Montes Gelboe, ubi gladius Saul repellitur: hi sunt viri fortes in Ecclesia, in quibus insidiæ diaboli repelluntur; montes Israel, qui multum extenduntur; hi sunt apostoli quorum sonus in omnem terram exivit; montes Samariæ, qui in aera eriguntur: hi sunt hæretici, qui ponunt in cœlum os suum; quarti montes sæculi, de quibus propheta: *Contriti sunt montes sæculi* (*Habac. III*); sunt divites et potentes mundi, quorum potentiæ multis modis conteruntur. TIT. LXXI. *De quatuor vinculis Pharaonis et quatuor vestimentis noxiis.*

Quatuor sunt vincula Pharaonis, quibus alligat animam: Luxuria in fetore, superbia in furore, invidia in livore, avaritia in fervore. Et ut hæc mulier non differat a mulieribus Ægyptiacis, quatuor ei induit vestes similes propriis: Malum malæ intentionis incitamentum, per deliberationem: malum malæ operationis offendiculum per exhibitionem; malum malæ consuetudinis ergastulum, per ostensionem; malum malæ expectationis periculum, per desperationem. Hanc cum sponsus his vinculis cupit levare, ait: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion* (*Isa. LI*). Tunc ad ejus vocem si sponsa dicat: *Deus in adjutorium meum intende* (*Psal. LXXIX*), præsto sponsus dirumpit vincula singulis opponens contraria: Puritatem corporalis munditiæ, contra luxuriam; gratiam spiritualis innocentiae, contra superbiam; veritatem liberalis eloquentiæ, contra invidiam; frequentationem operantis justitiæ, contra avaritiam. Quibus dum liberata est, gratias agit, dicens: *Dirupisti vincula mea* (*Psal. cxv*): Benedictus Deus in donis suis.

TIT. LXXII. *De vestimentis contra noxias vestes.*

Sponsus pro benedicto atrahens vestes Ægyptiacas, contrarias adhibet: primam, sanctum piæ devotionis affectum in desiderio contra malum

malæ intentionis incitamentum; secundam, san- A clum sacræ religionis profectum in exercitio, con- tra malæ operationis offendiculum; tertiam, sanctum consummatæ virtutis effectum in jugi studio, contra malum malæ consuetudinis ergastulum; quartam, sanctum æternæ beatitudinis fructum jure hæredita- rio, contra malum malæ exspectationis periculum. Quibus ornata dicit sponsa: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (Psal. cxiii). Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto.* Mox sponsus tenens ejus dexteram, in cubiculum matris suæ deduxit eam, et benigne supponens capiti levam, dextera amplexatus est, dicens: *Tota speciosa, sponsa es [palestra, es amica], amica mea, et macula non est in te (Cant. iv).*

TIT. LXXIII. *De duobus calcaribus.*

Duo sunt calcaria quibus Balaam propheta urget asinam suam: Pudor, ne temporaliter polluatur; timor, ne æternaliter crucietur.

TIT. LXXIV. *De dispositione domus quadruplicis.*

*Dispone domui tuæ, quia morte morieris et non vives (Isa. xxxviii).* Familiaris fuit hæc admonitio et semel facta Ezechie; generalis est et quotidiana ad quamlibet fidelem animam; specialis et annua in hoc tempore Quadragesimæ. Ezechie superbienti et non ægrotanti dicitur ut disponat domui suæ, providendo sibi successorem, quia, nisi poenituerit, morte moreretur. Generaliter ad unumquemque nostrum clamat Spiritus sanctus: *Dispone domui tuæ, quia nisi disposueris, morte animæ morieris, et post mortem æternam non vives, id est denuo ad vitam non revocaberis.* Specialiter autem unicuique nostrum dicitur in hoc tempore Quadragesimæ: *Dispone domui tuæ ad recipiendum Christum, ad manducandum carnem ejus et sanguinem digne, quia, si indigne sumpseris, morte morieris, judicium tibi manducans.* Hoc enim tempore mundanda et disponenda est domus: quod est parasceve Paschæ. Sed videndum cui patrifamilias et de qua domo loquatur. Sane quatuor domus leguntur: Domus dæmonis, domus hominis, domus animi, domus Dei. Domus dæmonis sunt filii diffidentie, de qua dicitur: *Revertar in domum meam unde exivi (Matth. xii).* Sed quia ille paterfamilias induratus tanquam lapis est, ad eum non dirigitur sermo vel admonitio. Domus autem hominis est manufacta et visibilis, domus animi creatura est rationabilis, domus Domini regnatura est in æternum. Domum suam homo inhabitat, animus dispensat, Dominus illuminat. De domo hominis dictum est a villico iniquitatis: *Ut cum amotus fuero a villicatione, recipient me in domum suam (Luc. xvi).* De hujus dispositione non dicitur: *Dispone domui tuæ, cum potius dicatur: Exi (quod inquit Deus ad Abraham) de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui (Gen. xii).* Domus animi homo ipse, cui credita custodia, mandata est disciplina. De qua dicitur: *Tria eji- ciunt de domo hominem: fumus, stillicidium, mala xor (Prov. xxvii), id est peccatum ignorantie*

suggestionis et propriæ conscientie. Hujusmodi in domo sua rationem non permittunt dominari, sed cogunt ancillari. Domus autem Dei est animus. Unde: *Sapientia ædificavit sibi domum (Prov. ix).* Et ita mirum in modum animus est domus Dei et hominis. Istum vero patremfamilias admonere de dispositione domus suæ, superfluum est. Quis enim adjuvit spiritum Domini? Animo ergo dicitur: *Dispone domui tuæ.* Quærat ergo Scripturas, et inveniet ad dispositionem deputatos clientes, alios exteriores, et ad exteriora deputatis; alios interiores qui semper assistunt vultui ejus. Exteriores sunt quinque sensus corporis. Horum dispositionem sæpe in pluribusque locis docet Scriptura: *Averte, inquit, oculos meos ne videant vanitatem (Psal. cxviii). Prohibe linguam tuam a malo (Psal. xxxiii)* Obtura aures tuas, ne audiant contra proximum. Comprime nares, ne quærant peregrinis odoribus delectari. Claude manus, ne accipiant munera. Super innocentem injice pedes in compedes sapientiæ, ne currant ad effundendum sanguinem. Interiores clientes sunt quatuor: Gaudium, dolor, spes, timor. Projanitore dolor, pro dapifero gaudium, pro pincerna spes, pro cubiculario timor. Legitur enim de timore: *Initium sapientiæ timor Domini (Psal. cx).* Ille custodit duas portas, et in medio earum est ostium: quæ clauduntur muscis ad suavitatem unguent: intro irruere quærentibus. Prima porta est carere visione Dei; altera ignis qui non extinguitur. Ostium *vermis conscientie, qui non moritur (Isa. lxvi).* Irruentibus igitur ho- tibus obviam dicat, nequaquam intrabitis ne forte propter vos careat visione Dei, et igne crucietur æterno, ne propria conscientia teste et accusante pereat.

TIT. LXXV. *De duabus tribus sacerdotalibus.*

Duæ sunt tribus, Levi et Judæ ex quibus sacerdotum sumuntur, Aaron et Christus, et eorum successio. Quod qualiter conveniat ex nominum interpretatione poterit conjectari.

TIT. LXXVI. *De quadruplici sacerdotum officio*

Quadrupartitum est officium sacerdotale: Vivam carnis hostiam immolare: quod Leviticum est; virtutum charismata Deo offerre: quod est aromata incendere: et filiorum Aaron est; cum fervore martyrii cælum intrare: quod est introire cum sanguine in Sancta sanctorum; gratiarum et precum vota cælo transfundere: quod est panem et vinum Deo offerre.

TIT. LXXVII. *De tribus panibus quibus alimur.*

Panes quibus alimur in hac vita tres sunt: Pur- gatorius cum amaritudine, quem mulier Sareptana ministrat in fame (*III Reg. vii*); consolatorius cum dulcedine quem angelus apponit quiescenti in umbra (*III Reg. xix*); solidus cum fortitudine, qui perducit ad montem Dei Horeb (*ibid.*).

TIT. LXXVIII. *De tribus rivis e corpore Domini.*

Tres rivi salutis fluxerunt a corpore Jesu: ver- bum doloris, in quo confessio; sanguis aspersionis,

in quo afflictio; aqua emundationis, in qua com- A punctio.

**TIT. LXXIX. De tribus piscinis Scripturæ**

Piscinæ tres inveniuntur in Scriptura: vetustas erroris, quæ est post duos muros; sensualitas carnis, in quam descendebant languidi; perspicacitas rationis, quæ est in via agri fullonis. In his adquantur ovès et holocausta lavantur.

**TIT. LXXX. De tribus fomentis ignis**

Fomenta ignis tria in nobis: Stipula cogitationis immundæ, fenem locutionis pravæ, lignum operationis illicitæ. Hæc ad ignem nos nutriunt, nisi superioribus fontibus extinguantur.

**TIT. LXXXI. De tribus contemplantium fenestris.**

Contemplativorum fenestræ tres sunt: originaria, quæ est versus orientem; gubernatrix, quæ vergit B ad austrum; consummatoria, quæ respicit ad occidentem.

**TIT. LXXXII. De quatuor fontibus paradisi**

Quatuor fontes irrigant hortum Domini: reatus proprii deploratio, quæ circuit terram Æthiopiæ; excessionis fraternæ compassio, quæ vadit contra Assyrios; indultæ gratiæ consideratio, quæ medium intersecat Babylonis; desideriosa charitatis affectio, quæ circuit omnem terram Eulath. Hi fontes habent irriguum inferius atque superius, habentes aquas maris, fontis et nivis.

**TIT. LXXXIII. De tribus ostiis ad vitam.**

Ostia per quæ transitur ad vitam tria sunt: Fidei veritas, postquam Sara ridet; spei firmitas, quæ est C in latere arcæ; charitatis soliditas, quam observat cherubim cum flammeo gladio.

**TIT. LXXXIV. De triplici vino in scypho Domini.**

Triforme est vinum in scypho Domini: rubicundum in longanimitate sanctorum, quod lactificat Isaac in ægritudine; album in remuneratione iustorum, quo inebriatur Noe; nigrum et acidum in damnatione pravorum, quod Jesus gustavit, sed noluit bibere.

**TIT. LXXXV. De triplici sacerdotum veste.**

Vestis qua sacerdos uti debet triplex est: Exterioris operis grossitudo, qua induitur Aaron coram populo, spiritualis sanctimoniam habitudo, quam apud se Rebecca abscondit: et ea utitur Aaron in tabernaculo; contemplativæ dulcedinis pulchritudo, D quæ inconsutilis est: et ea utitur Jesus.

**TIT. LXXXVI. De tribus religiosorum tunicis.**

Tunicæ quibus vestimur tres sunt: castigativa corporis edomatio, quæ pellicea est, et induit Adam; constantis perseverantiæ longitudo, qua dilectus agnoscitur Joseph; remuneratrici gratiæ largitudo, qua vestitur Jesus.

**TIT. LXXXVII. De sex alis Seraphin.**

Seraphin, sex alæ uni sunt: duæ pedales, pudor de præteritis, et metus de futuris; laterales duæ quibus volat, timor deprimens, et spes sustollens; capitaneæ duæ, humilitas provebens, et charitas perficiens.

**TIT. LXXXVIII. De duobus solis Domini.**

Solia duo Deus habet: angelicam substantiam, quæ est solium excelsum; et humanam naturam, quæ est solium elevatum.

**TIT. LXXXIX. De quatuor pennis animalium**

Quatuor animalibus quatuor sunt pennæ: timor et pœnitentia, quæ corpus velant; amor et spes, quæ sibi junguntur et volant.

**TIT. XC. De sex alis animalium novæ legis**

Animalibus novæ legis sex alæ insunt: naturalis suggestio, legalis institutio, prophetalis assertio, evangelica sanctio, apostolica jussio, Ecclesiastica consuetudo.

**TIT. XCI. De duplici domo Dei.**

Duæ sunt domus Dei: exterior rerum ministra curiositas, quæ est tabernaculum super quod apparet Gloria Domini et recedit; Deo vacans et serviens devota simplicitas, quæ templum est, et de eo non movetur.

**TIT. XCII. De duplici arca veteris legis.**

Duæ sunt arcæ in veteri lege: textus historiæ litteralis, quæ habet in se homines et jumenta; et sensus conscientiæ spiritualis, quæ habet manna et virgam Aaron.

**TIT. XCIII. De triplici curru in Scripturis.**

In Scriptura inveniuntur tres currus: Elatio potentiam temporalem, cuius auriga est tumor præsumptionis et audaciæ, habens equum robur propriæ confidentiæ. Rotæ ejus præceps mobilitas vanitatis, et felix successio prosperitatis, hic est currus Pharaonis in quo moritur Rechab. Sequitur altitudo conversionis et vitæ; auriga ejus sermo commo-  
nitionis divinæ, habens equum votum perseverantiæ. Rotæ ejus horrenda terribilitas tormentorum, et mira delectabilitas præmiorum. Hic est currus in quo legit cum Philippo eunuchus (Act. viii). Sequitur celsitudo contemplationis et gratiæ; auriga cuius est amor cælestis patriæ, habens equum beatitudinis. Rotæ sunt improbatio gloriæ mundialis, et divinæ reverentia majestatis: hic est currus igneus in quo Elias rapitur in cælum (IV Reg. ii).

**TIT. XCIV. De fluviiis in quibus balneant peccatores.**

Fluvii quibus se peccatores lavant duo sunt: Fluxus corruptionis et lasciviæ, pestis adulationis et fallaciæ, qui sunt Abana et Pharohar fluvii Damasci (IV Reg. v).

**TIT. XCV. De fluviiis in quibus lavantur justi.**

Quibus justi se balneant duo sunt: invectionis correctionis et contumeliæ, sanvitas consolationis et gratiæ, qui sunt Jor et Dan fluvii Judææ.

**TIT. XCVI. De quatuor fidelium canticis.**

Cantica fidelium quatuor sunt: victoriæ quod terram pommisionis concinunt intraturi, lætitiæ, quod de susceptione filii cantat Anna, fortitudinis, quod David cantat de manu Saulis ereptus (I Reg. ii).

**TIT. XCVII. De pedibus et equis quibus inniti debemus**

Duo sunt pedes quibus uti debemus: natura et

consuetudo. Equi quibus ad cælum evehimur tres A sunt : dolor ex pœnitundine, cuius ungulas coluber mordet, hujus sella est de veniæ perceptione præsumptio; frenum et chamus, solatia Scripturarum et exemplaria veterum; calcaria quibus urgetur, de reatus enormitate confusio, de pœnæ consideratione formido, fovea, desperatio. Sequitur fervor ex religione, cui supersedet Mardocheus in veste regia, hujus sella temperans discretionis gravitas, frenum et chamus suspecta conditio carnis suæ, et utilis emensio perseverantiæ. Calcaria exercendæ honestatis cupiditas, et fraternæ commoditatis aviditas; fovea in quam præceps ire potest, est intemperantia. Sequitur desiderium ex amore, cui datur fortitudo, et circumdatur binnitus. Calcaria, fluxa labilitas præsentium, stabilis æternitas futurorum, B ductor, affectuositas videndi Deum, fovea, indiscretio.

Tit. XCVIII. *De tribus speluncis in Scripturis.*

Speluncæ in libris sanctis inveniuntur tres : per-versa impietas voluntatis, quæ est latroum in qua Saul purgat ventrem; solida firmitas æquanimi-tatis, quæ fit in altari, et est unius cubiti; exerci-tium geminæ pietatis. Hæc est spelunca duplex, in qua prophetæ sepeliuntur.

Tit. XCIX. *De tribus cælis ad quos rapimur.*

Cæli ad quos rapimur tres sunt : Dignitas eccle-siasticæ puritatis, ad quam rapitur Paulus; contem-platio cælestium, ad quam rapitur Ezechiel in Spiritu, C dicens : *Aperti sunt cæli, et vidi visiones Dei (Ezech. 1).* Summæ incircumscrip-tio Deitatis, ad quam rapiuntur electorum animæ.

Tit. C. *De sex civitatibus refugii.*

Sex sunt refugii civitates : interdictæ prævarica-tionis cautio, sequendæ præceptionis obeditio, propitiandæ Divinitatis ambitio : hæc sunt in terra Cha-naan; mundanæ fabricæ consideratio; urbis tyran-nicæ jugis inspectio, et supereminens verbi Dei cognitio : hæc sunt trans Jordanem, et sunt de sorte Levitica

Tit. CI. *De triplici paradiso.*

Paradisorum tria sunt genera : voluptuosa dul-cedo visibilibus, quæ irrigatur sicut hortus delicia-rum; sincera puritas spiritualium, quæ in se con-servat hominem; deliciosa veritas super cælestium, D ubi Paulus audit *arcana verba quæ non licet homini fari (II Cor. xii).*

Tit. CII. *De quatuor aliis montibus.*

Montium genera quatuor sunt : montes Gelboe, ubi abjicitur clypeus Saulus; montes Samarix, qui nimis eriguntur; montes Armeniæ, super quos arca Noe requievit; montes Israel, qui expandunt ramos suos.

Tit. CIII. *De duobus nos ab instituto devocantibus.*

Quæ nos devocant a proposito nostro duo sunt : rubor incepti operis, et desperatio exsequendæ virtutis. Ili Rechab et Banaa, qui occidunt Isboseth in stratu suo (II Reg. iv).

Tit. CIV. *De quatuor nuditatis nostræ palliis.*

Pallia quibus nostra nuditas operitur, quatuor sunt : vetustas erroris et nequitix, quæ est perizi-ma verendorum; novitas conversationis et vite, qua Rebecca descendens camelo operuit vultum suum; integritas cælestis sanctimonix, quam Elias reliquit Eliseo, et qua divisit Jordanem; claritas immortalitatis æternæ : quod est pallium sapphiri-num, quo in die festo utitur Mardocheus.

Tit. CV. *De tribus hostibus quibus tradimur.*

Hostes quibus tradimur tres sunt : immundorum desideriorum impuritas, qui sunt quasi mures ro-dentes posteriora; corporalium passionum obsceni-tas, quæ sunt quasi locustæ more scorpionum percutien-tes; rationis et sensus obstinata perversitas, qui sunt serpentes igniti.

Tit. CVI. *De quatuor latronibus rerum nostrarum.*

Latrones qui nobis optima quæque furantur qua-tuor sunt : hebetati intellectus socordia, tollens nobis scientiam veritatis. Illic latro apud Psal-mistam dicitur : negotium in tenebris (Psal. xc) Indomitæ carnis lascivia rapiens meritum integritatis, et dæmonium dicitur meridianum (ibid.); favoralis jactantia tollens plenitudinem sanctitatis, et dicitur sagitta volans in die (ibid.); vite hujus amor et appetentia rapiens præmium æternitatis, et dicitur timor nocturnus (ibid.). Hi sunt latrones Syriæ.

Tit. CVII. *De tribus osculis.*

Oscula tria sunt : reconciliatorium, quo duo pe-des Domini misericordia et justitia tanguntur; remuneratorium quo due manus opus creatricis ju-stitiæ, et nodus gubernationis complectuntur; con-templatorium, quod sumitur ad os et verbum Dei, atque hominem unitate miranda conecit. Possunt quoque dici naturale, quando spontanea voluntate ducimur ad bonum; doctrinale, quando admoni-tione alterius invitamur ad Deum; gratiosum, quando inspiratione trahimur ad bene agendum.

Tit. CVIII. *De triplici in Scripturis virga.*

Virgæ tres sunt : virga Moysi, quæ dividit mare Rubræ; virga Aaron, quæ confert sacerdotium; virga David pastoralis, propulsans adversarium.

Tit. CIX. *De cibo triplici Israelitarum.*

Cibi israel tres sunt : Azyma scientiæ sæcularis in exitu de Ægypto, manna intelligentiæ in deserto, palma victoriæ triumphalis in promissionis regno.

Tit. CX. *De tribus liberatis et tribus ad sacerdotium assumptis.*

Tres ex omni populo liberantur : Noe, Daniel et Jacob. Tres in sacerdotium assumuntur, Moyses, Aaron et Samuel.

Tit. CXI. *De gladio et arcu quibus Dominus nos partem suam tulit de manu Amorrhæi.*

Pars tua sumus, Domine, quam tulisti de manu Amorrhæi in gladio et arcu tuo. Gladius tuus sermo vivus et efficax, arcus tuus incarnatio tua. Ibi enim velut curvato sapientiæ ligno, et pio quodammodo nervus carnis extensus, et humanitas ineffabiliter aucta cognoscitur. Pars ergo tua sumus et populus

acquisitionis tuæ, quam acquisivisti verbo prædicationis tuæ et mysterio incarnationis.

**TIT. CXII. De circumcisionis mysterio.**

In circumcisione nec nervus rumpitur, nec os comminuitur, ut robustissima quæque et firmissima ferventur illæsa. Aperitur autem cutis, amputatur caro et sanguis effunditur, ut illecebrosa molli-  
tates castigetur. In carne quidem peccatum quod in ea manet intellige. Porro in cute operimentum est, in sanguine vero incentivum. Hæc igitur vera circumcisio spiritu non littera, si velamen excusationis et dissimulationis per compunctionem cordis et confessionem oris amoveas, si peccati consuetudinem correctione conversationis abscindas, si denique, ut necessarium est, occasiones quoque peccati et fomitem fugias concupiscentiarum.

**TIT. CXIII. De mystica aquarum divisione.**

Usque hodie in civibus Babylonis aquarum effusio, id est confusio cogitationum, terram facit inanem et vacuum. Dum enim fluitat circa carnem cogitatio universa, nullum ex ea sperare est fructum salutis. Dividantur ergo aquæ ab aquis, quatenus anima quæque, ut dictum est, partem sibi vindicet sollicitudinis aut meditationis. Sane inferiores certis limitibus coercentur, certis contineantur alveis, necessitatis terminos non excedant. Proinde superiores copiosius dilatentur. Ex hoc sane dat Dominus benedictionem, et terra nostra dabit fructum suum.

**TIT. CXIV. De desiderio unde spirituales carnalesve censendi sunt homines juxta benedictionem Jacob et Esau.**

Cum in populo Dei carnales alii sint, alii spirituales, nec illi tamen æternorum nec isti careant omnium temporalium desiderio, in eo sane distant, quod plus alia alii appetunt, et secundum ea quæ præferunt aut spirituales aut carnales judicantur. Hinc est quod, in benedictionibus Jacob et Esau, et ros cæli et terræ et pinguedine nominantur, sed non eodem ordine in utroque: *Det tibi Deus de rore cæli et de pinguedine terræ* (Gen. xxvii), abundantiam, ait Isaac ad Jacob. Ad Esau vero inquit: *In pinguedine terræ, et in rore cæli desuper erit benedictio tua* (ibid.). Quid autem singuli præferant, a studiis eorum et sollicitudinibus animadvertenti immolescat facile.

**TIT. CXV. De tabernaculis, atriis et domibus quid differunt.**

Tria sunt mansionum genera: tabernacula, atria, et domus. In tabernaculis sunt omnes justi in carne viventes et laborantes, quia tabernacula laborantium sunt et militantium. Tabernaculum vero habet tectum, sed fundamento caret, et portabile est, quia justi in presentibus non sunt fundati, sed inquirunt civitatem desursum fundamenta habentem. Fides etiam eorum, quæ est fundamentum, non est in terrenis, sed in Domino. Tectum habet, id est munimentum gratiæ et protectionem. Atria sunt domui vicina amplitudinem habentia. In illis

A sunt animæ sanctæ corporibus exutæ, quæ in latitudine sunt, deposita carnis angustia. Atria habent fundamentum, sed non tectum, quia animæ quæ in amore Dei sunt non ruunt. Unde: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis* (Psal. cxxi). Sed non habent tectum, adhuc sperantes augmentum; quod non erit nisi in resurrectione corporum suorum. Post ipsam sane resurrectionem cum angelis erunt in domo, quæ habet fundamentum et tectum. Fundamentum est stabilitas æternæ beatitudinis, tectum consummatio et perfectio ipsius.

**TIT. CXVI. Duo clementium esse ubera.**

Duo sunt clementium ubera: compassio de qua fluit lac consolationis, quo nutriuntur infirmi; congratulatio, unde fluit lac adhortationis, quo sustentantur validi.

**TIT. CXVII. De pedibus, id est sensibus nostris laudandis.**

*Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lauret* (Joan. xiii). Pedes sunt corporis sensus qui ferunt nos extra nos, maculantur in nobis. Porta visus ad mulierem, et ibi maculatur: indiget lavari; auditus ad detractionem, gustus ad crapulam, et sic de cæteris. Qui igitur lotus est in baptismo et post maculatus, pedes istos lavari curet; aliter cum Deo partem non habet. Dixit enim Petro: *Si non laveri te, non habebis partem mecum* (ibid.)

**TIT. CXVIII. De duobus denariis erogandis.**

Stabularius duos accipit denarios, dum prælicitor ac pastor et doctrinam habet qua instruat, et vitam qua provocet.

**TIT. CXIX. De pastoribus omnium, de mercenariis et lupis**

Pastores sunt qui oves diligunt. Hi custodiunt in prosperitate, defendunt in adversitate. Mercenarii sunt qui oves custodiunt lucri gratia. Lupi sunt qui carnes comedunt, non custodiunt; non defendunt, sed occidunt. Primi salvant subditis quod sunt et habent. Secundi ipsos custodiunt non bona ipsorum. Peccantque quod subditos a peccatis ideo tantum cohibent, ut bona ipsorum auferant. Tertii ipsos occidunt, et bona ipsorum rapiunt. Primi salutem quarunt, secundi lucrum, tertii per materiam et licentiam peccandi, quam tribuunt, occidunt.

**TIT. CXX. De quadruplici cruce et crucifixionis casu ac fine.**

In cruce Christi est gloriatio, in cruce Simonis coactio, in cruce dextri latronis consolatio, in cruce sinistri confusio. In cruce Christi pœna sine culpa, et post pœnam glorificatio. In cruce Simonis culpa cum pœna, et post pœnam laudis captatio. In cruce dextri latronis pœna pro culpa, et post culpam remissio. In cruce sinistra, pœna pro culpa, et post pœnam damnatio. Dicit t quidam quando patiuntur: *Si meruissemus, non erubesceremus. Vah, oculi qui non vident. Imo si pro culpa pateris, erubescere; si sine culpa, gloriare. Latro magis vis esse quam*

Christus; et sinister, ut fias blasphemator, non confessor.

TIT. CXXI. *Mons Oliveti cur sit mons trium luminum dictus, et cur Trinitatem figuret, et de triplici lumine in nobis.*

Mons Oliveti dicebatur olim mons trium luminum: Ex parte templi habens lumen lucernæ ex adverso; ex altera parte lumen orientis solis; in seipso lumen olivæ. Mons iste Divinitas, scilicet lumen lucernæ paternæ Filius, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, et lumen orientis solis, Pater. Unde *oriens est nomen ejus* (Zach. vi): cujus radiis mons illuminatur. Tertium lumen, quod est Oliveti, est Spiritus sanctus. Unde nectio dicitur: *Unctio ejus*, inquit apostolus, *docet vos de omnibus* (I Joan. ii). Similiter in nobis est triplex lumen, naturæ, gratiæ, doctrinæ. Primum commune bonis et malis, quia omnes ad imaginem et similitudinem Dei; secundum solis bonis, qui secundum imaginem et similitudinem, ad quam facti sunt, vivunt; tertium illis tantum, qui præ cæteris acceperunt cognitionem divinæ legis et veritatis.

TIT. CXXII. *De januis tribus et ostiis disciplinæ adversario claudendis.*

Exemplo discipulorum, licet non propter metum Judæorum, tamen propter metum peccatorum congregatos vos admoneo et exhortor: Claudite januas vestras. Quid enim prodest si non exitis ad inimicos vestros, si eos ad vos intrare permittitis? Sive de caulis ad lupum ovis exeat, sive ad eam lupus intret, mors similis est. Propterea *sobrii estote et vigilate* in orationibus, *quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Cui resistite fortes in fide* (I Petr. v), et claudite januas vestras super vos. In hac enim domo disciplinæ tres sunt januæ. Prima observantia est regularis, ut silentium, abstinentia, et cætera ejusmodi; quæ si fuerint laxatæ aut apertæ, intrant loquacitas, crapula, et cætera vitia, illis opposita; patetque locus dissensionis, nec habet pacem. Secunda quinque sunt sensus per quos commercium est inter mundum et animam. Hanc si aperueris mors intrat quasi per fenestras. Tertia est voluntas, per hanc apertam omne malum et solum, per clausam omne bonum et solum intrat ad illam. Hæc est nimirum

janua de qua propheta: *Porta hæc clausa erit et aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam* (Ezech. xliv). Itaque ut breviter dicamus, tria sunt clausura in quæ ad discipulos suos clausis januis intrat Christus: Primum corporis, quod est exterius; secundum animæ, quod est interius; tertium spiritus, quod est intimum. Habet unumquodque januas suas. Primum observantias quasdam et traditiones majorum; secundum, oblectamenta sensus corporis; tertium, præsumptionem propriæ voluntatis. His apertis semper diabolus intrat per eas, Christus non nisi per clausas recipitur, receptus pacem loquitur. *Pax vobis* (Joan. xx), inquit, et in

PATROL. CLXXVII.

A primo inter virum et fratrem suum; in secundo, inter animam et spiritum; in tertio, inter spiritum et Deum. De his tribus claustris Isaias: *Vade, populus meus, intra in cubicula tua; claudere super te ostia et abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio mea* (Isa. xxvi). In primo cubiculo sive claustris, quoniam, scriptum est, monstrum est monachus in urbe; abscondit carnem a tumultu vitæ sæcularis; in secundo, ab ipsa carne animam, ne curam ejus perficiat in desideriis; in tertio, etiam a semetipso spiritum, ne eum reperiat præsumptio propriæ voluntatis. De hoc Dominus: *Cum oraveris intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito* (Matth. vi). Primum fuga hujus sæculi facit et cura disciplinæ et regulæ, et in eo proximus ædificatur, et caro crucifigitur, et concupiscentia oculorum moritur, fallacemque recipit dispensationem. Secundum contemptus voluptatis, in quo homo seipsum moderatur, anima sepelitur, carnis concupiscentia moritur, et vix ullam recipit dispensationem. Tertium perficit amor Dei, in quo Deus honoratur, spiritus resurgit, superbia vitæ moritur, et prorsus nullam dispensationem recipit.

TIT. CXXIII. *De arantibus allegorico officio.*

Bubulcus qui in bobus arat, debet habere duo. Vocis suavitatem, qua mulceat laborem bonam operantium; et aculeum pungentem, quo torporem excutiat pigritantium.

TIT. CXXIV. *De triplici modo et fine faciendi.*

C Ea quæ agimus, vel in lumine vultus hominum facimus, ut hominibus placeamus; vel in lumine vultus nostri, ut bene nos facere quod malum est credamus; vel in lumine vultus Dei, ut ipsi soli quidquid boni in nobis est humiliter ascribamus.

TIT. CXXV. *Quod mors tripliciter est pretiosa.*

Pretiosam mortem aliquando facit vita, ut in confessoribus, aliquando causa, ut in martyribus, aliquando vita et causa, ut in plerisque.

TIT. CXXVI. *De his quæ in fronte præferimus.*

In fronte aliquando lepram, aliquando thau, aliquando laminam auream gerimus. Lepram luxuriantes et petulantes; thau pœnitentes; laminam auream, gloriose Deo viventes, dum sic lux nostra lucet coram hominibus, ut glorificent Patrem qui in cœlis est (Matth. v).

TIT. CXXVII. *De funiculis quibus trahimur.*

In mundo isto inter paradysum et infernum constituti, a diversis ad diversa trahimur et diversis funiculis. A Patre luminum ad gloriam cœli, triplicis funiculo, fidei, spei et charitatis. A patre tenebrarum ad tenebras exteriores, funiculo triplici, incredulitatis, desperationis et odii. Primo postulat trahi cui *cecidissent funes in præclaris* (Psal. xv), et qui dicit: *Trahere me post te* (Cant. i). De secundo dicitur: *Væ qui trahitis funem in funiculo iniquitatis, et facitis longam vestem!* (Isai. v.)

TIT. CXXVIII. *De contemplativo ad activum comparato per palmam masculinam et femellam.*

Palma quæ dactylos generat, prætendens am-

plexus speciem, inclinat ramos suos arbori palmæ, A *meæ* (*ibid.*). Quem ? illam qui præcedit. Quo ? ad vitam, si diligens, ad mortem, si negligens, quia *si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in fossam cadunt* (*Matth. xv*). Quomodo præcedit ? vita et doctrina. *Sic fiet unum ovile et unus pastor* (*Joan. x*). Unus in se et unus cum grege. Unus in se, ut quod docet verbis impleat operibus; unus, ut non mutetur prosperis vel adversis; unus cum grege, ut a subditis non dividatur per pretiosorem cibum vel habitum, dum sit unus per compassionem infirmis, per dispensationem cum delicatis, ut dicat cum Apostolo : *Omnia omnibus factus sum* (*I Cor ix*), non fugientes ea quæ præcipiunt, non imponentes *onera gravia, quæ nec digito volunt movere* (*Matth. xxiii*). Talis est pastor negligens, qui et mercenarius dicitur. Tales sunt

**TIT. CXXIX. De culcitra, cervicali et coopertorio conscientiæ.**

Sit animæ beatæ culcitra conscientiæ suæ puritas, sit cervical aut capitale tranquillitas, coopertorium æcuritas, et in hoc strato delectabiliter dormiat et feliciter requiescat.

**TIT. CXXX. De diversitate eorum qui præsumunt et eorum quibus præsumunt.**

Scire, posse, et velle præesse, charitatis est si velint prodesse; superbiæ, si nolint. Scire, posse et nolle, humilitatis est, si renuunt; inertie, si omnino desistunt. Nec scire, nec posse, sed velle, ambitionis cupiditatis est, vel stultitiæ. Nec scire, nec posse, nec velle, discretionis est et ad hoc cœlitus datæ prudentiæ. Quatuor ex his, id est stultitia, inertia, cupiditas et superbia negligentiam generant. Reliqua vero quatuor, id est prudentia, discretio, humilitas et charitas, si nutrita fuerint, negligentiam eliminant. Ad prudentiam quidem pertinet consilium, ad discretionem iudicium, ad humilitatem custodia, ad charitatem diligentia. Consilium prudentiæ separat malos a bonis, iudicium discretionis eligit quæ meliora sunt, humilitatis custodia, damna vitat virtutum, diligentia, periculum. In his negligentia locum non habet. Illos vero qui prudentiæ oculos apertos habent, caligine tamen stultitiæ, quia a bono opere inertes torpent, quod per cupiditatem ad voluptuosa distrahuntur, et per superbiam humilibus non condescendunt, negligentia possidet. Per stultitiam intrat negligentia; per inertiam manet. Cupiditatis desiderio pascitur, per superbiam regnat. Audiat negligens pastor quid sibi a diligenti pastore dicitur : *Bonus pastor animam suam ponit pro ovis suis* (*Joan. x*). Ponit qui per ostium intrans inter linguas adulantium et detraherentium medius incedit omnium, omnibus se subdens, et pusillanimes consolatur et confortat, superbis resistit. Talis potest dicere : *Cognosco oves meas et cognoscunt me meæ* (*ibid.*). Cognoscunt oves malæ pastorem increpantem, consolantem bonæ. Cognoscit pastor oves mores et actus earum diligenter inspiciendo. Unde dictum est : *Vultum pecoris diligenter considera*, per confessionem; *corda*, per circumspeditionem opera. Addit Dominus : *Et vocem meam audiant* (*ibid.*). Tres sunt voces pastoris, suavis, dulcis, alta. Suavis ad infirmum, dulcis ad morientem, ad surdum pertinet alta. Infirmatur qui tentatur, moritur qui desperat, surdus est qui non audit. Sed infirmus suavem audit vocem consolationis, desperans dulcedinem obsecrationis, surdus asperitatem increpationis. *Et seannuntur me*

**B** qui prava agunt, et reprehendi nolunt. Libet, inquit Gregorius, ut cum licentier etiam illicita faciunt, nemo subditorum contradicat, cunctis se existimant amplius sapere, quibus se vident amplius posse. Hoc amant, videri sapientes, et esse potentes. Hæc est causa angelicæ et humanæ ruinæ. Angelus cum vellet esse potentior, ruit; homo cum sapientior, desipuit. Tres autem sunt species negligentiarum prælatorum. Prima est eorum qui bene vivunt, et subditos male vivere permittunt. Secunda est qui male vivunt, et subditos bene vivere cogunt. Tertia est qui male vivunt, et subditos male vivere volunt. Primi similes Heli, cujus filii cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi dormiebant; qui venientes in Silo sacrificare non mittebant, sed antequam incendebatur ad opus sacrificii carnem crudam rapiebant (*I Reg. ii*). Quasi filii Heli sunt qui sub prælatis bene viventibus dormiunt, vel realiter cum carnis desideriis se conjungunt. Illos qui veniunt in Silo, ne sacrificii impediunt, cum noviter conversos, verbo et exemplo retrahunt a bono. Accipiendi adipem jus sacerdoti non permittunt, quia extincto igne charitatis dulcedinem cordis bonæ actioni non infundunt. Carnem crudam non coctam quærunt, quia tribulationis ignem fugientes, paupertati et labori se subtrahunt. In camino enim paupertatis decoqui solent vitia carnis, carnem crudam ideo desiderant, ut quando, quam, et quantam volunt sibi coquant. Tales sunt qui id claustro quasi in Silo nil faciunt, nisi quod, vel quando vel quantum volunt.

**TIT. CXXXI. De prælatorum constantia et duritia.**

Tanta constantia debet inesse bonis pastoribus et fortitudo, ut nec laudibus nec blanditiis a veritate flectantur, nec conviciis moveantur. Quod ostendit Dominus dicens ad Prophetam : *Ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam* (*Ezech. iii*). Lapidis utriusque duritia magna est, sed unus, id est adamas, in pretio habetur; alter pedibus conculcatur. Est ergo sicut adamas pastor Ecclesiæ quando laudatur ab hominibus et honoratur, nec tamen laude vel adulatione a recto deflectitur. Est etiam duritia boni pastoris sicut duritia silicis, quando pro justitia despicitur et conculcatur et indigne a malis tractatur

nec tamen deficit vel lassatur, sed invicta virtute in defensione justitiæ perseverat. Horum nihil habent mercenarii intendentes non propulsandis damnis animarum, sed acquisitioni rerum temporalium; non resistentes lupis, sed insudantes lucris. Duo autem sunt genera luporum, scilicet visibillum et invisibillum. Visibiles sunt homines, invisibiles dæmones. Illi damna inferunt, isti vitia inferunt vel suggerunt. Boni pastores contra primos officio, contra secundos doctrina, se et orationem opponunt. Nos itaque, fratres, ut id irreprehensibiliter efficiamus, castigemus corpus nostrum et in servitute redigamus; ne forte, cum aliis prædicaverimus, ipsi reprobri efficiamur. Respondeant opera coram Deo et coram hominibus, ut utilis, grata, dulcis, sit prædicatio nostra, ut oves nostræ libenter audiant vocem nostram, et nos præcedentes per semitam justitiæ alacrius subsequantur. Ad hoc vigilate, intendite, et laborate, fratres, quatenus pro labore pastoralis officii mercedem recipiatis æternam. largiente pastore æterno Domino nostro.

TIT. CXXXII. *De triplici oleo, et de fide ac charitate.*

Oleum aliud effusionis, aliud puritatis, aliud exultationis. Oleum effusionis, verbum prædicationis, quo boni et mali bonis et malis participant; oleum puritatis, quo lucernæ operam igne divini amoris debent ardere: quod bene sequitur primum oleum, quia post perceptionem divini verbi, accedit homo ad bene operandum. Oleum exultationis est charitas, qua ita accenditur, ut non nisi quæ Dei sunt diligit, et non gloriatur nisi in Deo suo. Primum oleum est verbum prædicationis, secundum devotio charitatis, tertium dilectio charitatis. Sed olei effusione videndum est ne retineamus quæ effundenda sunt, et retinenda effundamus. Quiddam in nobis est quod nostrum est, quiddam quod non est nostrum, sed proximorum. Si effundimus quod nostrum est, stulti et vani sumus; si retinuerimus aliena, fraudulentum. Nostra sunt sine quibus nemo salvatur, fides, spes, charitas. Hæc non sic sunt effundenda, ut pro aliis in nobis amittantur. Fides facit servos, qua creduntur inferni pœnæ; spes mercenarios, qua merces exoptatur; charitas filios, qua bonitas Dei Patris amatur. Fides facit animam ancillam, spes concubinam, charitas sponsam. Fides dicit: Sic est, time; spes: Habebis; charitas dat gloriam Deo. Fides est bonorum et malorum scientia aut saltem credulitas; spes adipiscendi commodi et vitandi incommodi fiducia. Charitas est utriusque gratia. Hæc recipienda sunt, ut præservemur, conservemur, salvemur. Fides præservat a peccato, spes conservat in bono, charitas salvat in beatitudine. Alia sunt in nobis data a Deo quæ sunt proximorum, ut sermo scientiæ, genera linguarum et cætera Dei dona. Ista sunt effundenda; sed retinemus ea quandoque tepide, trepide, invidiose. Tepide, dum de auditorum diffidimus intelligentia; trepide, dum de nobis ipsis desperamus, credentes quod auditoribus non possumus sufficere, cum de-

beamus potius cogitare quod nos non sumus quod loquimur, sed spiritus Patris; invidiose, proximum non amantes. In primo fides destruitur, in secundo spes reprobatur, in tertio charitas damnatur. Non ergo retineamus quæ aliorum sunt, ne fraudulentissimi. Sed si effundatur, cavendum est ne effundatur temere vel incaute, ne sanctum detur canibus, et ne ambitiose, ne propter commodum temporale. Ecce quomodo retinenda sunt et effundenda gratuita sancti Spiritus dona, et si ita nostra aliis impertimus, ipse sua operabitur in nobis. Oleum autem tres habet proprietates: pascit enim, lucet, ungit. Ita oleum verbi Dei, id est charitas, se pascit, proximo lucet, Deum ungit. Et per eam bene ordinatam olei effusionem, *adolescentulæ dilexerunt te, Jesu Christe, animarum sponse, quia oleum effusum nomen tuum* (Cant. 1).

TIT. CXXXIII. *De quadruplici siti restringenda per totidem flumina paradisi.*

Quatuor sunt flumina paradisi contra quatuor genera sitis: Prima sitis est rerum præsentium, sitiens pecuniam; secunda malitiæ in deliciis exæstians; tertia justitiæ, a peccato redire et bonum facere cupiens; quarta est præsentiae Domini, eam habens et adhuc sitiens. Prima est cadentium, secunda jacentium, tertia resurgentium, quarta regnantium. Contra primam Bibe Phison qui interpretatur *os pupillæ*, ut extendas pupillam ad interiora bona, et statim exteriora vilescant. Incanduit sitis tua ad malitiam, ut doceas linguam loqui mendacium, et inique agere labores, veni ad Geon, qui interpretatur *pectus*: in pectore sapientia notatur. Unde sine pectore dicuntur qui quasi insani sunt. Bibe ergo sapientiam, quia sapientia vincit malitiam. Jam explosisti sitim divitiarum, jam ferum malitiæ virus deserbuit, jam sitim justitiæ concepisti, ut in perpetuo pastu nutrias sitim justitiæ, veni ad Tigrim. Tigris dicitur *quasi theogris*, id est Dei gressus, hoc est humilitas. Hoc gressu venit in virginem, ambulavit super terram, ascendit in crucem. Et cum sint tres gradus humilitatis, ultimum elegit, scilicet subijci minori. Humilitas Christiana est proposita velut jugum quo comprimamur. Bibe ergo Tigrim Dei gressum, id est humilitatem, ut de siti justitiæ venias ad sitim præsentiae Dei, quando satiabit te ne esurias, accendet ne fastidias; tunc bibes Euphratem qui interpretatur *frugifer*, ut in agro divinæ præsentiae frugem colligas omnis lætitiæ, et ita divina visio erit frugifera, ut semper ex gaudio nascantur gaudia. Bene vero Phison circuit terram Hevilath, Geon Æthiopian, Tigris vadet circa Assyrios (Gen. 11), quia et oris confessio dolentes relevat, et sapientia nigros dealbat, et humilitas superbis repugnat, de Euphrate autem siletur, per quam regionem labatur, quia bona alterius jure nobis inexplicabilia sunt.

TIT. CXXXIV. *De iis quibus conservatur virtus.*

Tria sunt quibus conservatur virtus patientia, humilitas, charitas. His armari debet miles Christi, patientiam habens quasi scutum, quod ferat et cir-

sumferat contra omnia adversa; humilitatem, qua A  
conservet interiora præcordia; charitatem quasi  
lanccam, per quam sicut dicit Apostolus *omnibus  
omnia factus* (I Cor. ix), belligeretur bellum Domini.  
Oportet etiam ut habeat galeam salutis, quæ est  
spes, caput et principale mentis muniens et conser-  
vans. Habeat quoque gladium verbum Dei, et equum  
boni desiderii.

TIT. CXXXV. *De triplici longanimitate.*

Triplex est longanimitas: Dei ad hominem, homi-  
nis ad Deum, hominis ad hominem. Prima est  
expectatio qua Deus longanimitè expectat homi-  
nis conversionem; secunda est sustentia illa qua  
justus infatigabiliter Dei expectat repromissionem;  
tertia est qua spiritualis pater præoccupatum in  
aliquo filium in spiritu lenitatis instruens æquani- B  
miter ejus expectat repromissionem. Est ergo  
longanimitas longa per patientiam expectatio; non  
prolixitate rei, sed voti. De hac duplici longanimi-  
tate hominis ad Deum et ad hominem dicitur: *Vae  
illis qui perdidit sustinentiam!* (Eccli. ii.)

TIT. CXXXVI. *De orationis multiplici modo.*

Triplex est oratio: Vocis sine devotione, de qua  
Apostolus: *Si orem, inquit, lingua mea, sine fructu  
est* (I Cor. xiv). Devotionis sine voce, de qua Domi-  
nus: *Intra in cubiculum et clauso ostio ora Patrem  
tuum* (Matth. vi). De quo ostio dicitur: *Pone, Do-*

*mine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ lar-  
bis meis* (Psal. civ). Sic oranti Dominus ait: *Quid  
clamas ad me?* (Exod. xiv.) Vocis cum devotione,  
quando ex sensu vocis, suscitatur affectus devotio-  
nis: Unde: *Cantate Domino, psalmum dicite ei* (Psal.  
lxvii). Est et quarta devotionis cum voce, quando  
ex intimo cordis affectu prorumpit in vocem laudis  
et orationis. Unde: *Exsultavit cor meum in Domino,*  
etc. (I Reg. ii.)

TIT. CXXXVII. *De tribus bene faciendi gratiis.*

Bene faciendi tres sunt gratiæ, præveniens, coope-  
rans et subsequens. Prima dat voluntatem, secunda  
facultatem, tertia perseverantiam: quas in Scriptu-  
ris frumenti, vini, et olei nominibus autumo ap-  
pellari.

TIT. CXXXVIII. *Qui plenus sit gratiæ et veritatis.*

*Plenum gratiæ et veritatis* (Joan. i). Est gratia  
sine veritate, popularis gratia. *Fallax, inquit, gratia  
et vana est pulchritudo* (Prov. xxxi). Et est veritas  
sine gratia, quando parit odium. Est gratia cum  
veritate, gratia verorum. Est et veritas cum gratia,  
grata veritas. Plenum ergo se gratia veritatis, et  
gratiæ veritate exhibuit, qui nec gratiæ humanæ  
discretionis veritatem, nec veritatis humanæ gra-  
tiam requirens, gratiam ad hominum salutem pos-  
posuit.

## LIBER QUINTUS.

### TRACTATUUM MORALIUM FRAGMENTA, EPISTOLÆ, ETC.

TIT. I. *De reparatione nominum per duplicem Tri-  
nitatem divinarum personarum et virtutum theolo-  
gicorum.*

Lapsus naturæ nostræ reparavit illa beata Tri-  
nitas, memor misericordiæ suæ, et non immemor  
culpæ nostræ. Missus venit a Patre Dei Filius, et  
dedit fidem. Post Filium Spiritus missus charitatem  
contulit, et per hæc duo, per fidem et charitatem, facta  
est redeundi spes ad Patrem. Et hæc est trinitas,  
fides, spes, charitas, per quam vehit per tridentem  
de limo profundi ad amissam beatitudinem incom-  
mutabilis trinitas mutabilem et lapsam trinitatem  
reduxit, fides quidem illuminavit rationem, spes  
erexit memoriam, charitas purgavit voluntatem.  
Cum igitur venit Dei Filius, tanquam bonus medicus  
dedit præcepta, quibus servatis salus amissa resti-  
tueretur: ut præceptis faceret fidem, exhibuit signa;  
ut eorundem præceptorum utilitatem ostenderet,  
promisit beatitudinem. Est ergo fides alia præcepto-  
rum, alia signorum, alia promissorum, id est qua  
credimus in Deum, quod est eum diligere; qua cre-  
dimus Deum, id est ipsum omnia scire et posse;  
et qua credimus Deo, quod est quod quidquid pro-

mittit veraciter complet. Similiter spes triplex, et  
procedit de prædicta triplici fide. Nam de fide præ-  
ceptorum oritur spes veniæ; de fide signorum, spes  
gratiæ; de fide promissorum, spes gloriæ. Charitas  
inde ternario numero colligitur: *De corde puro,  
conscientia bona, fide non ficta* (I Tim. i). Puritatem  
debemus proximo, conscientiam nobis, fidem Deo.  
Puritas autem est ut quidquid agitur aut ad utilitatem  
proximi aut ad honorem Dei fiat. Hæc maximo  
proximo debet exhiberi, Deo enim manifesti sumus.  
Conscientiam bonam in nobis duo faciunt, pœni-  
tentia et continentia. Quando per pœnitentiam com-  
missa punimus, per continentiam puniendi non  
committimus, et hanc debemus nobis. Post hæc  
fides non ficta, quæ Deo vigilanter est exhibenda,  
ut nec propter nos, nec propter proximum minus  
exsequamur obedientiam mandatorum Dei. Dicitur  
autem *non ficta* ad differentiam mortuæ, quæ est  
sine operibus. Est igitur Trinitas creatrix, Pater, et  
Filius, et Spiritus S. Ex qua cecidit creata trinitas,  
memoria, ratio, voluntas; trinitas per quam cecidit,  
suggestio, delectatio, consensus; trinitas in quam  
cecidit, impotentia cæcitas, immunditia. Trinitas,

quæ cecidit in singulis habet tripartitum casum. Memoria cecidit in tres species cogitationis affectuosas, quæ sunt in necessariis, utputa edendi, bibendi et similibus; onerosas, quæ sunt in duris rerum administrationibus, ut acquirendi, servandi, etc.; et otiosas, dum cogitat equum currere, vel avem volare. Ratio in triplicem ignorantiam boni et mali, veri et falsi, commodi et incommodi; voluntas, in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et ambitionem vitæ. Est trinitas per quam resurgit, fides, spes, charitas. Fides, præceptorum et signorum; spes, veniæ, gratiæ, gloriæ. *Charitas de corde puro, conscientia bona et fide non ficta.*

Tit. II. *In hypocrisi quæ sint mala.*

Hypocrisis malum subtile, virus latens, fur custodiens, ærugo consumens, linea demoliens, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, de virtute vitium, de mercede dispendium, de remissione peccatum. Quis sum ego ut effundam spiritum coram Patribus meis et senioribus Israel? Docere magistros, arguere seniores, imperare majoribus, superbi spiritus est et de seipso præsumptis. *Vos enim estis sal terræ (Math. v), filii Excelsi omnes (Psal. lxxxii).* Sed quis ego? *Opprobrium hominum et abjectio plebis (Psal. xxi).* Angariati tamen portare crucem istam dicitis servo vestro: *Fac hoc, et facio.*

Tit. III. *De triplici cognitione ex visione Dei.*

Prima scientia nascitur ex Dei visione, qui est fons et origo omnis scientiæ quam homo habet qui Deum cernit. Unde ei triplex nascitur visio et cognitio: Prima est Dei qui cernitur, secunda, ipsius qui cernit; tertia, cæterorum quæ in Deo, cui præsentia sunt, cernuntur, id est intelliguntur. Sicut in speculo trina visio administratur, qua ipsum speculum, qua nos et qua quicquid adest videmus. Nam videndo Deum, abdita rerum etiam ipsius inferni intuemur. Eritque tunc electis tria visio: Corporalis, qua corpora cernuntur; spiritualis qua similitudines corporum videbuntur in spiritu, non fallaci phantasia: qua visione fruuntur spiritus justorum post exitum; et intellectualis, qua puro mentis intuitu Deum intuentur, suas animas, et angelicas virtutes.

Tit. IV. *De duodecim virtutum gradibus.*

Duodecim sunt gradus quibus sancti per iter virtutum conscendunt. Unde: *Ibunt de virtute in virtutem, ut videant Deum deorum in Sion (Psal. lxxxii).* Quorum primus est confessio. Ideo in visione Joannis primus ponitur Judas qui interpretatur *confessio (Apoc. vii)*. Qui enim post peccata converti desiderat, necesse est ut primo constiteatur peccata sua. Quia vero desset mala, Deum quem offenderat illi placabilem facit, et oculos misericordiæ Dei ad se convertit, juxta quod dicitur: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (Zach. i)*. Ruben post Judam ponitur, qui interpretatur *filius visionis*, quando et peccator per confessionem a Deo respicitur. Et quia

A per penitentiam consecutus est ex Dei respectu misericordiam, necesse est ne relabatur, ut contra omnia vitia et tentationes armetur, et voluptates a se carnis præcidat. Tertio sequitur Gad, qui *accinctus* interpretatur. Tironis est accingi: qui postquam vitia domuerit, beatus esse incipit. Unde in ordine quartus ponitur Aser, qui *beatus* interpretatur, ut ascendens jam beatus factus ad aliorum etiam profectus se extendat, et per misericordiam condonando lædentibus, condolendo peccatoribus, subveniendo egentibus dilatetur. Unde post Aser Nephthalim sequitur, qui interpretatur *dilatatio*. Cumque suæ et aliorum saluti bene prospexerit, omnium peccatorum et eorum quæ mundi sunt debet oblivisci, solum Deum sequens: ideoque post Nephthalim ponitur Manasses, qui interpretatur *oblitus*. Hunc autem pro se et pro aliis vere exaudit Deus. Unde septimo loco invenitur Simeon, qui *exauditio* interpretatur: talisque factus additur bonis et perfectis. Unde sequitur Levi, qui *additus* interpretatur; et merito jam a Deo mercedem consequitur. Unde post eum ponitur Issachar, qui *merces* interpretatur. Sed interpretationem hujus nominis clarius videbimus, si ea quæ mater Lia eo nascente dixit, ponamus: *Reddidit, inquit, Dominus mercedem mihi, quia dedi ancillam, et ideo appellavit nomen ejus Issachar, id est merces (Gen. xxx)*. Caro nostra debet esse ancilla nostra, vir noster Deus noster. Viro ancillam damus, si carnem nostram Dei servitio subjicimus, si eam vigilare et abstinere compellimus. Issachar Liæ datur, quia animæ carnem domanti et vitia extinguenti merces datur ut virtutibus ditetur: et ideo post Issachar Zabulon ponitur, qui *habitaculum fortitudinis* interpretatur. *Quis est fortis sicut Deus noster? Dominus, inquit propheta, fortis et potens prælio (Psal. xxiii)*. Habitaculum igitur fortitudinis est habitatio Dei. In illo enim habitat Deus in quo sunt fides, spes, charitas, castitas et cæteræ virtutes; quia vero per operationem virtutum augentur præmia meritorum, subsequitur Joseph qui *augmentum* interpretatur. Benjamin in ultimo ponitur et supremus, qui interpretatur *filius dexteræ*. Dextera namque patris filius dicitur: ad quam sancti ponentur filii facti dexteræ, cum ab hac vita subtracti in D cœlestibus sedibus collocabuntur, ubi nihil est sinistrum, sed totum dextrum et in dextera. Istarum trium numerus centum quadraginta quatuor millia qui sunt duodecies duodena millia quia qui fidem et opera sequuntur apostolorum, in isto signatorum et beatorum computabuntur numero.

Tit. V. *De triplici bonorum conversione.*

Bonorum alii trahuntur, alii ducuntur, alii rapiuntur. Primi dicunt: *Trahe me post te (Cant. i)*. Secundi: *Introduxit me rex in cellaria sua (Cant. ii)*. Tertiorum vox est cum Apostolo: *Raptus sum usque ad tertium cælum (II Cor. xii)*. Primi sunt felices, qui in patientia sua possident animas suas (Luc. xxi). Secundi feliciores, qui ex voluntate sua confitentur ei. Tertii felicissimi, qui in profundissima Dei jama

miseri cordia proprii arbitrii sepulta voluntate in divitiis gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur. Beatus qui in omnibus his gradibus Deum ducem habet, qui est *vita, veritas et via* (Joan. xiv). Via in exemplum, veritas in promisso, vita in præmio.

**TIT. VI. De tribus montibus in quos ascendit Dominus.**

Tres sunt montes in quos ascendit Dominus. In primo transfiguratus est, et videtur gloria ejus. In secundum ascendit docere. In tertium ascendit solus orare. Ascendamus ergo in primum ad eum, formantes in cordibus nostris patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum et virginum multiplices mansiones, ut cognita dulcedine domus Dei et gloria ejus dicamus: *Bonum est nos hic esse* (Matth. xvii). Eligentes autem illic esse ut viam discamus, ascendamus alium montem in quo docet et scalam erigit octo distinctam inter scalaribus, cujus summitas cælos tangit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (Matth. v). In hunc montem ubi dicere poteris Domino Jesu: *Verba vitæ æternæ habes* (Joan. vi), non gravabimur ascendere si primum montem gloriæ ejus jugi meditatione ascendimus. Sic enim audies. *Et quo eam scitis*, propter ascensionem primam *et viam scitis* (Joan. xiv), propter secundam. In primo itaque transfiguratus est ut scires quo tenderes, id est gloriam ejus quam tibi promittit. In secundo verba vitæ locutus est, ut scires qua pervenires. Oravit in tertio, ut eundi et perveniendi bonam oblineas voluntatem, et studium adhibeas diligens.

**TIT. VII. De duplici scandalo et instrumento ejus.**

Duplex est scandalum. Primum exterius, de quo Dominus: *Væ per quem scandalum venit* (Matth. xviii). Secundum interius, et ipsum triplex. Primum oculi, secundum manus, tertium pedis. Si ergo oculus vel manus vel pes scandalizat te (Matth. v), qui noster dicitur, et tunc sinister cum velit contraria, retrahit ad mala, intentionem tuam vel a bonis operibus ad contraria, vel a via sanctæ conversationis, qua per gradus scaltæ Jacob de virtute in virtutem ascenderes, ad profundum inferni detrahit; hunc oculum, manum et pedem erue et abscinde, a te declinando, et projice abs te derelinquendo.

**TIT. VIII. De duabus clavibus cæli.**

Dux sunt claves januæ paradisi: charitas et patientia. Primum est charitas amplectenda. Et quia qui Deum vult diligere, tentationibus exponitur, adhibenda est patientia. Hæc sunt cherubim ac gladius versatilis et flammeus posita ad custodiam paradisi. Cherubim interpretatur *plenitudo scientiæ*: at *plenitudo legis* juxta Apostolum, *charitas* (Rom. xiii). Per gladium flammeum et versatilibem intelligitur tribulatio: quæ tunc gladius, cum dividit; flammeus dicitur cum incendit; versatilis, quia transitorius. Si ergo vis cælum intrare, ista duo scias necessaria, quia et sine charitate nihil possumus, et *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. xiv). Claves enim sunt paradisi charitas et patientia, sine quibus non intratur, et

A inter nos et paradysum postuæ sunt, ut non nisi per illas nos intrare posse sciamus.

**TIT. IX. De triplici statu fidelis animæ.**

Tres sunt status fidelis animæ. Sub primo est captiva, sub secundo est libera, sub tertio est beata. Captiva servitute peccati opprimitur; libera sub duce justitia præliatur; beata perfruitione gaudii lætatur. Captivæ dicitur: *Revertere, revertere, Sannamitis, ut de captiva efficiaris libera* (Cant. vi). Liberæ dicitur: *Viriliter age et confortetur cor tuum et sustine, Dominum* (Psal. xxvi), ut de libera efficiaris beata. Beatæ dicitur: *Cantate Domino in Sion. Jubilate ei in voce exultationis* (Psal. xlviii). Sub primo est ancilla, et timet. Sub secundo filia, et diligit. Sub tertio amica et complectitur.

**TIT. X. De tribus animæ inimicis.**

Tres sunt populi qui fidelis animæ inimicantur: Primi sunt homines sæculi, qui a bono retrahunt, de quibus Dominus: *Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam et projice abs te* (Matth. v). Secundi sunt desideria carnis, quæ mala suggerunt, de quibus Petrus apostolus: *Obsceco vos abstinere a carnalibus desideriis quæ militiant adversus animam* (I Petr. ii). Tertii sunt cogitationes, quæ peccare cogunt, de quibus Job: *Disipatæ sunt cogitationes meæ torquentes cor meum* (Job xxvii). Primus populus est amicus sæculi, et inimicus Dei, juxta illud: *Amicus sæculi inimicus Dei constituetur* (Jac. iv). Secundus amicus carnis, et inimicus hominis. Unde: *Inimici hominis domestici ejus* (Matth. x). Tertius amicus mentis et inimicus quietis. Unde: *Musæ morientes perdunt suavitatem unguenti* (Eccl. x). Hos populos oblivisci præcipitur filiæ dum dicitur: *Et obliviscere populum tuum* (Psal. xlv).

**TIT. XI. De tribus hominis patribus.**

Tres sunt hominis patres: Primus gignit, secundus rapit, tertius requirit. Primus gignit ad vitam carnis, secundus rapit ad pœnam mortis, tertius requirit ad gaudium æternitatis. Primus pater est homo, secundus diabolus, tertius Deus. De primo: *Crescite et multiplicamini* (Gen. i). De secundo: *Vos ex patre diabolo estis* (Joan. viii). De tertio: *Pater noster, qui es in cælis* (Matth. vi). Sub primo carnaliter vivimus, sub secundo mortaliter delinquimus, sub tertio feliciter regnamus. Et monet tertius ut relinquatur primus, nec imitetur secundus. Duorum priorum patrum domum præcipitur filiæ oblivisci cum dicitur, *et domum patris tui* (Psal. xlv).

**TIT. XII. De quatuor ab anima superandis, et triplici ejus decore.**

Quatuor superat fidelis anima: Mundum, carnem, mentem, diabolum. Bella mundi sunt forinseca, carnis domestica, mentis intestina, diaboli fraudulenta. O quam difficile acquiritur victoria, ubi tanta est resistentium turba? Verum in victoria concipiscit rex decorem victricis animæ. Qui triplex est: In voce quia pulchra loquitur; in facie, quia bona operatur; in corde, quia sancta meditatatur. Et alio dicit ei: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non*

*est in te* (Cant. iv). Et ideo surge de labore ad requiem, de mundo ad gloriam, de certamine ad primum et veni in thalamum nuptialem, in quo eris sponsa cum ipso sine fine.

Tit. XIII. *De tribus quæ insunt pœnitentiæ.*

In pœnitentia tria sunt: Dolor præteriti, custodia futuri, satisfactio delicti. Dolor culpam placat, satisfactio vitium satiat, custodia sanitatem conservat. Hæc tria sic compensanda sunt, ut sit dolor plenus, custodia perfecta, satisfactio condigna.

Tit. XIV. *De duplici oleo, Dei scilicet et mundi.*

Duplex est oleum. Habet enim oleum Deus, habet oleum et mundus. Oleo Dei vasa deliciunt, oleum mundi in vasis deficit. Oleum Dei dulcedo est æternorum, oleum mundi, delectatio præsentium. Illa sufficit, ista deficit. Unde vasa stultarum virginum vacua esse dicuntur (Matth. xxv); vasa viduæ sapientis plena (IV Reg. iv). Vasa corda sunt, oleum gaudium.

Tit. XV. *De pace et bello triplici.*

Triplex est pax, scilicet ad Deum, ad seipsum, ad proximum. Quandiu homo ad Deum pacem tenuit, suam pacem et nullam in carne sua contradictionem invenit. Nunc autem si voluerit pacem habere cum Deo, et per hoc secum, pax primo proponitur proximi, ut totus placatus sit, et extra secum proximo per fraternam charitatem, et in se, per concupiscentiam bonam, et supra se, per gratiam divinam. Propter hoc dum offertur hostia salutaris qua nos Deo reconciliari oportet, prius proximis osculum pacis offerimus, ut hæc præmissa quæ inter nos est pax, illam quæ ad Deum est obtinere mereamur. Quando pro defunctis offertur, pax non datur, quoniam ab hac vita subtracti, humanæ conversationis pacem tenere vel exhibere non possunt. Ideo illa sola quæ ad Deum est quæritur. Viventes autem per pacem proximi, quærere debent pacem Dei. Per pacem Dei, pacem sui, non illam quæ est animæ ad mundum, quæ est suaviter viventium, sed illam quæ est inter animam et spiritum, per illam quæ est inter spiritum et Deum. Nam vera pax quia invenitur tempore otii sapientiæ, non est in terra suaviter viventium (Job xviii). Est enim quædam pax inter animam et mundum, suaviter viventium et male; et alia inter animam et spiritum, suaviter viventium et bene; et tertia inter spiritum et Deum, feliciter viventium et beate. Similiter est bellum inter animam et mundum, non suaviter viventium et male, et inter animam et spiritum non suaviter viventium et bene, et inter spiritum et Deum, infeliciter viventium et male.

Tit. XVI. *De tribus modis unum est.*

Trinitate una universitas rerum subsistit. Est unum quod nec ab alio est, nec secundum aliud, ut natura creatrix. Est unum quod ab uno et secundum unum, ut rationalis creatura a Deo similis Deo. Est unum quod ab uno secundum duo, hoc est ab uno per unum, ut corporea natura. Primum exemplar

est tantum, non exemplum; secundum exemplar et exemplum; tertium exemplum tantum.

Tit. XVII. *De triplici genere quærentium Deum et sapientiam.*

Tripartitum est genus quærentium Deum. Alii quærunt et inveniunt, sed non retinent, quia non quærunt ut habeant, sed vendant; alii quærunt et inveniunt et retinent. Primis dicitur: *Quæretis me et non invenietis, et in peccato vestro moriemini* (Joan. vii). Secundis dicitur: *Ego sum, et iniecerunt manus, et tenuerunt eum* (Joan. xviii). Et tertiis dixit: *Avele, et accesserunt et tenuerunt pedes ejus* (Matth. xxviii). Primi quærentes nullo modo inveniunt. Secundi vivum inveniunt et occidunt. Tertii mortuum quærunt, et vivum inveniunt. Sic alii sapientiam inveniunt, sed non diligunt, quia ad lucrum et laudem humanam eam prostituunt. Isti Christum vivum inveniunt et occidunt, quia ex hoc in eis sapientia moritur, quod ejus dulcedine nullo amoris sensu perfruuntur. Alii mortuum quærunt et vivum inveniunt, quia dum eam ad hujus vitæ usum non appetunt, verius intus ad illius dulcedinem pertingunt.

Tit. XVIII. *De tribus ædificantibus super fundamentum fidei, et tribus superædificatis.*

Tria sunt genera hominum ædificantium super fundamentum fidei. Sunt qui amant solum Deum. Hi superædificant aurum in amore virtutis, argentum in cognitione veritatis, lapides pretiosos in fulgore boni operis. Sunt qui amant præter Deum, non tamen contra Deum, nec plus quam Deum. In his fundamentum manet, quoniam amor non destruitur. Sed tamen quia ex affectu eorum quæ amantur quædam contrahitur corruptio, superædificant ligna per peccatum illiciti operis, fenum per delictum delectationis, stipulam per culpam illicitæ cogitationis. Sunt qui amant quædam contra Deum; et in his fundamentum destruitur, quia amor Dei non potest esse ubi non est solus vel summus. Igitur ad primos pertinet laudari et salvari; ad secundos, corripri et liberari; ad tertios, argui et damnari.

Tit. XIX. *De quatuor humilitatem conferentibus.*

Quatuor sunt quæ conferunt veram humilitatem: villitas corporis, assiduitas subjectionis, comparatio melioris, suspectum Dei iudicium.

Tit. XX. *De triplici fratrum cohabitatione.*

Triplex habitant fratres in unum: loco tantum, loco et animo, animo tantum. Loco tantum habitare in unum, pœna est; animo non loco, bonitas; animo et loco, felicitas.

Tit. XXI. *De pastore, ove et lupo.*

Tria sunt: pastor, ovis et lupo. Primus et ultimus in ovem mediam respiciunt; alter ut custodiat, alter ut rapiat. Unde de primo dicitur: *Oculi ejus in pauperem respiciunt; palpebræ ejus interrogant filios hominum* (Psal. x). De secundo: *Insiadatur ut rapiat pauperem*, etc. (Psal. ix). Ovis in medio pauper est; pastor Deus, lupo diabolus. Omne autem iudicium procedit ab ove, tumida describitur, timida

visitatur. Deseritur ne præsumat; visitatur ne desperet. Ideo *ne declines a servo tuo (Psal. xxvi)*. Cum pastor elongat, lupus appropinquat; cum pastor redit, lupus fugit.

**TIT. XXII. De conscientia et fama.**

Quo sunt: conscientia et fama. Conscientia Deum habet in vase; fama lumen in lampade. Propter conscientiam ingredimur; propter famam egredimur. Intus reficimur salute propria; foris ædificatione aliena. Intus *cupio dissolvi et esse cum Christo (Philipp. i)*; foris *manere in carne necessarium iudico propter vos (ibid.)*. Conscientia irriguum superius; fama, irriguum inferius. Ad conscientiam meditatio, ad famam prædicatio. Ad conscientiam silentium, ad famam verbum. Per silentium seminas agrum tuum, per verbum agrum proximi tui.

**TIT. XXIII. De tribus exemplis Dei ad vitam, et tribus diaboli ad mortem.**

Tribus exemplis nobis Christus viam ostendit qua eum sequi debemus. Similiter diabolus, tria proponit quibus præcipitantur qui eum sequuntur. Via ad Deum sursum ardua, arcta, et in longum sublimis. Iter ad diabolum, est deorsum latum, breve, et in profundum et ad præcipitium facile. Ideo Christus nobis exemplum paupertatis reliquit, ut exonerati sarcina terrenorum leves ascendamus per arduam. Unde dicitur: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidus; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet (Matth. viii)*. Ideo divitias in hoc mundo habere noluit ut simus expediti, et dedit exemplum humilitatis, ut modici sine difficultate transeamus per arduum. Unde dicit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (Matth. xi)*. Ideo gloriam sprevit in exemplum patientiæ, ne deficiamus in longum. Unde: Cum percuteretur non repercutit, cum occideretur sustinuit (*I Petr. ii*). Ergo prima est discenda paupertas, ut abiciamus quod gravat, in quo est peccandi occasio; et quia paupertas despicitur, sequitur humilitas, quia ipsa etiam vilis propter Deum amatur, et quia vir qui vilis est sine reverentia læditur, necessaria est post humilitatem patientia, qua adversa propter Deum tolerentur fortiter. Paupertas levem facit et expeditum, humilitas modicum, patientia fortem et robustum. Econtrario diabolus suos primo onerat divitiarum pondere, ut deorsum prosternat; secundo per superbiam inflat, ut per latum incedant; tertio per impatientiam frangit, ut cito deficiant.

**TIT. XXIV. De cæli, terræ et inferni habitatoribus peculiaribus, et de tribus dantibus in singulis testimonium.**

Tria loca, cælum, terra, infernus, habent singula habitatores suos. Cælum solos bonos, infernus solos malos, terra malos mistos et bonos: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater et Filius et Spiritus sanctus. Tres in terra: spiritus, aqua et sanguis (I Joan. v)*. Tres in inferno, vermis qui non moritur, quo roditur conscientia; ignis qui non extinguitur, quo cremantur corpora; tertium desperatio,

quæ in eo intelligitur quod dicitur *non extinguatur, non moritur (Isa. Lxvi)*. His qui in cælo sunt datur testimonium beatitudinis; qui in terra, justificationis; qui in inferno damnationis. Primum testimonium gloriæ, secundum gratiæ, tertium iræ.

**TIT. XXV. De triplici labore hominis, et triplici ejus remedio.**

Triplici loco laborat genus humanum: principio, medio, fine, id est natiuitate, vita, morte. Natiuitas erat immunda, vita perversa, mors periculosa. Venit ergo medicus cælestis; et contra hunc triplicem morbum triplex attulit remedium. Natus est, et vixit, obiit. Ejus natiuitas purgavit nostram; ejus vita instruxit nostram; ejus mors destruxit nostram.

**B TIT. XXVI. De tribus panibus quibus reficiendus est superveniens amicus.**

Tribus panibus reficiendus est superveniens amicus. Primus panis est continentia, qua restringitur corpus ne per mortiferas delectationes effluat. Secundus, humilitas, qua instruitur anima, ne de ipsa corporis sui continentia superbiat. Tertius, charitatis fervor, quo accenditur spiritus ut utrumque, id est corpus et animam in castitate et humilitate custodiat perseveranter. His tribus virtutibus reficitur homo Dei et roboratur, ut, secundum Apostolum, *in die adventus Domini sit integer spiritus anima et corpus (I Thess. v)*. Hi panes quoties deficiunt a Deo quærendi sunt. Merito autem tres quærentur, quia tres reficiendi sunt; anima tanquam vir; caro tanquam uxor; spiritus velut utriusque vernaculus. Et nota quod non ait da, sed *accommoda (Luc. xi)*, quia fructum ejusdem gratiæ non sibi, sed Deo debet semper acceptum referre.

**TIT. XXVII. Quatuor modis orationem fieri.**

Quatuor modis fit oratio. Primo verecundo affectu. Hic fit enim nondum peccator per se audent accedere, sed quærit in Ecclesia sanctum virum qui sit vel in ora vestimenti Domini sicut simbria, per quam habeat accessum. Hujus orationis tenuit figuram evangelica mulier, quæ patiens fluxum sanguinis ait: *Sit tetrogero simbriam vestimenti ejus sana ero (Matth. ix)*. Secundo oratio fit puro affectu, quando peccator jam per se accedit, et ore proprio constituitur. Hujus typum tenuit peccatrix Maria quæ pedes Domini lacrymis rigavit et capillis tersit (*Luc. vii*), auditque: *Dimissa sunt tibi peccata tua (ibid.)*. Tertio oratio effunditur amplo affectu, quando fit non solum pro se, sed pro aliis, sicut oraverunt apostoli pro mulieris Chananzæ filia. Quarto oratio fit cum cordis fiducia sine aliqua hæsitacione promitur. Talem fecit Dominus quando Lazarum suscitavit. Has orationum species, id est verecundam, puram, amplam et non hæsitantem nuncupal aliis nominibus Apostolus dicens: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus (I Tim. ii)*. Nam obsecrationes verecundo, orationes puro, postulationes amplo, gratiarum actiones non hæsitanti sunt affectu.

**TIT. XXVIII. Duobus modis impeditur orationem peccatoris ne exaudiatur.**

Duobus modis impeditur oratio peccatoris, dum vel nulla luce illustratur, vel nimia obruitur. Nulla luce illustratur, quando peccata sua nec videt nec confitetur. Econtrario nimia luce obruitur, quando ea tanta videt, ut de remissione desperet. Temperanda est ergo lux ut peccata sua videat peccator et constiteatur, oretque cum spe veniæ pro ipsis ut remittantur.

**TIT. XXIX. De tribus vitiis per tres equos in Apocalypsi præsignatis, et de innocentia per equum album.**

Hæc tria vitia, superbia, luxuria, hypocrisis sunt tres equi Apocalypsis rufus, niger, pallidus (Apoc. vi). Rufus portat sessorem suum, spiritum scilicet, hominis ad bella, lites, et iras; niger ad luxuriam, crapulam, ebrietatem; pallidus ad hypocrisim et simulationem. Rufus per loca dura et aspera; niger, per immunda et fetida; pallidus per ardua et excelsa. Equus albus est innocentia. Super hunc qui ascendit, exit vincens ut vincat. Triplex autem est hic equus propter tres partes innocentiae. Unde et pluraliter dicit Habacuc: *Qui ascendis super equos tuos*, etc. (Habac. iii.)

**TIT. XXX. De tribus dissolutionibus et tribus cinctoriis hominum.**

Tres sunt dissolutiones quæ penitus hominem dissolvunt, et animam cum corpore penitus interire faciunt, avaritia, luxuria, superbia. Avaritia generans invidiam, trahens hominem extra se per evagationem, ut vadat transitoriis consolari. Luxuria proferens immunditiam, premens hominem infra se per pollutionem, ut eat in vitiis delectari. Superbia pariens injustitiam, rapiens eum extra se per elationem, ut pergat in potestate gloriari. Hæc tria tres merentur maledictiones. Prima est: *Maledictus est qui speravit in multitudinè divitiarum suarum* (Psal. li). Secunda: *Maledictus homo qui confidit in homine* (Jer. xvii). Prima dissolutio, id est avaritia tribus nocet amore: pecuniæ, honoris ambitione, damnationis affectione. Et inde tria perdimus: amorem in Christo et Creatore, expectationem cœlestis gloriæ, obedientiam divinæ potentiae. Secunda, id est luxuria, etiam tribus nocet: cutis nitore, vestis splendore, et exquisito ciborum sapore. Per hæc tria perdimus primam stolam que deberetur in morte, incorruptionem futuram in corpore, refectionem divinæ presentiae. Tertia quoque, id est superbia, tribus nocet, immunda cogitatione, superflua locutione, impura operatione. Per hæc tria perdimus: mentis simplicitatem, linguæ vel vocis mediocritatem manuum puritatem. Prima dissolutio a bono multos dimovit, secunda complures ad malum promovit, tertia infinitos in mortem demovit.

His opponuntur tria cinctoria: Primum est memoria mortis corporeæ. Hæc est zona pellicea qua cingebatur Joannes et qua utuntur eremitæ, quæ tribus patet iudiciis, dolore, pallore, torpore, cum

A neminit mortis corporeæ. Hoc cinctorium tria confert, minus superbiere, neminem odire, magna non ambire. Hoc enim superbium humiliat, odientem placat, cupidum replet et satiat. Secundum cinctorium probabilitas et decor pudicitiae. Balteus quo cingebatur Aaron iturus ad Deum, quo utantur sacerdotales et levitæ studentes castitati: quod tribus patet iudiciis, lætitia intus in corde, fiducia foris in ore, munditia exterius in corpore. Confert hoc cinctorium tria: gravitatem in vultu, meliocritatem in habitu, maturitatem in incessu. Pudicitia enim intus corde fundata his bonis est extrinsecus ornata. Tertium cinctorium est amor religionis et justitiæ. Zona aurea qua Joannes in Apocalypsi præcinctus est ad mamillas. Quo utitur Jesus studens omnium integritati. Tribusque patet iudiciis: Cautione prævaricationis in providentia, obeditione præceptionis in patientia, attentione divinæ cognitionis in constantia. Hoc cinctorium tria confert: Humilitatem in prosperis, soliditatem in adversis, mediocritatem in cunctis. Per hoc enim justitia unicuique quod suum est reddit. Primum cinctorium manus ad prælium pugiles informat, secundum vires viribus accumulat, tertium victorem præmiis exornat. Joannes quia primum habuit, scilicet mortis memoriam, morti occurrere non formidat. Petrus quia secundum habuit, dictum est ei: *Caro et sanguis non revelavit tibi* (Matth. xvi). Christus quia principaliter tertium habuit, stans ad monumentum Lazari confitenter ait: *Gratias ago tibi, quoniam audisti me* (Joan. xi). Primum cinctorium hominem a malo separat, quo David Goliath peremit; secundum virtutibus corroborat, quo carens Absalon ad hostibus se non exemit. Tertium religioni consociat, quo Christus genus humanum solus redemit.

**TIT. XXXI. De præconiis B. Joannis Baptistæ viro innovato et perseveranti applicandis.**

Ex præconialibus titulis plurimi sicut B. Joanni historialiter, ita viro renascenti et perseveranti, moraliter non incongrue possunt adaptari. Hi autem sunt, miraculum in conceptione, gaudium in natiuitate, sublimitas in conversatione, humilitas in confessione, veritas in prædicatione, constantia in morte. Cum enim de veteri Adam per timorem Dei, qui quasi quidem signifer cœlestis militiæ mentes ad Deum solet convertere, ac a malo detertere, ac ut prævaricatores ad cor redeant efficere, aliquis sit novus homo, et de terreno cœlestis et spiritualis. Quid aliud quam quadam nova conceptione mutatur in ventrem Ecclesiæ et concipitur? Et in hac conceptione est gaudendum. Digitus enim Dei est hic subtiliter operans, suaviter renovans, salubriter immutans. Fit autem tribus in junum concurrentibus: cogitatione, quia in spiritu et mente; voluntate, quæ non est sine merito; stabilitate propositi, quæ non sine justitia. Sequitur gaudium in natiuitate. Natiuitas duplex est: prima ex patre diabolo, cujus vita perversa, mors ad utrumque consequens periculosa; secunda ex patre Deo, cujus vita religiosa,

mors ad utrumque consequens pretiosa. Fit autem A hæc nativitas tribus, fide firma, spe certa, charitate robusta. Sequitur sublimitas in conversatione, quæ sit habitu, actione, sermone. Caveamus in habitu conspici notabiles, in actione reprehensibiles, in sermone contemptibiles. Sit habitus noster in mediocritate, actio in integritate, sermo in veritate. Sequitur humilitas in confessione. Qui stat videat ne cadat per superbiam. Fit autem prædicta confessio tribus. Si minoribus consteatur se non majorem, æqualibus minorem, majoribus obedientem, minoribus socium, æqualibus amicum, majoribus filium. Sequitur veritas in prædicatione, quæ sit tribus, fidelitate, utilitate, humilitate. Verumtamen debet esse fidele et verum, nebula simulationis non decipiens; utile auditores ad ædificationem erudiens; humile, per altitudinem eloquentiæ non intumescens. Sequitur constantia in morte. Nam *qui in finem perseveraverit, hic salvus erit* (Matth. x). Quod sit tribus, cum quis in necessitate fidem negandi positus divitias oblatas spernit, honoris potentiam contemnit, tormenta libens suffert, recogitans apud se quod Scriptura dicit: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei* (Apoc. ii). Constans enim eligit pugnare ut vincat; laborare, ut quiescat; mori, ut vivat. Quis ergo dubitat eum esse Joannem in quo sunt hæc? utique in eo est gratia Dei: quod interpretatur Joannes.

TIT. XXXII. *Quomodo sobrie, pie et juste vivamus.*

*Sobrie et pie et juste vivamus in hoc sæculo* (Tit. ii). Sobrie nobis, juste proximo, pie Deo. Sobrie in duobus, in cavenda voluptate carnis, et curiositate sæculi. Unde Dominus: *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ* (Luc. xx). Ecce compedes quæ crapulam, id est carnis curam stringunt et angustant, et carcer qui curiositates sæculi claudit et obstruat. Qui primum vincit, in carne ambulans non secundum carnem militat; qui secundum vincit, dicere potest: *Conversatio nostra in cælis est* (Philipp. iii). Juste item in duobus, ut nemini noceas, omnibus prodesse velis. Unde *quod tibi non vis, alii non facias* (Tob. iv); *et quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem facite illis* (Matth. vii). Pie quantum ad fidem, quæ in duobus consistit: in justificatione qua in præsentibus nos justificat, et in beatificatione qua in futuro nos beatificat. Hanc fidem a nobis exigit Deus, ut credamus nos ab ipso justificandos per misericordiam, beatificandos per veritatem. Promisit enim justos beatificare. Unde *quos justificabit hos et glorificabit* (Rom. viii). Et Dominus: *Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si cælestia vobis dixero creditis?* (Joan. iii.) Terrena justificatio fit in præsentibus, cælestis beatificatio in futuro. Sobrie ergo vivamus, ut bonam conscientiam habeamus; juste, ut proximis prodesse possimus. Unde sapientia quæ desursum est (Jac. iii), primum pudica est, deinde pacifica, pie ut Deum diligamus; hæc enim omnia propter Deum agenda sunt.

TIT. XXXIII. *De quatuor vocationibus et duabus electionibus.*

*Multi sunt vocati; pauci vero electi* (Matth. x). Quatuor sunt vocationes, duæ electiones. Prima vocatio est naturæ de utero ad lucem; de qua propheta: *Dominus vocavit me ab utero* (Isa. xlix). Secunda gratiæ, de qua Apostolus: *Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi nobiles* (II Cor. i). Et *quos prædestinavit, hos et vocavit* (Rom. viii). Tertia solutionis, de qua idem Apostolus: *Sequor ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu* (Philipp. iii). Inde et dies mortis dictus est vocationis. Quarta retributionis, de qua Propheta: *Advocavit cælum desursum, et terram discernere populum suum* (Psal. xlix). *Multi ergo vocati sunt, pauci vero electi.* Multi vocati ad fidem, pauci electi ad justificationem. Multi vocati ad laborem, pauci electi ad requiem. Multi vocati ad iudicium, pauci electi ad regnum.

TIT. XXXIV. *Quomodo in electis suis thronum suum ponat Deus.*

Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum. Aliud est Deum in electis suis ponere thronum suum, aliud electos ponere in throno. Illud est justificare, hoc beatificare. Justificare per fidem, beatificare per speciem. Per fidem enim Christus habitat in cordibus nostris; et quia Christus est Dei virtus et Dei sapientia, anima justis efficitur sedes et thronus sapientiæ. Vocat ergo Deus electam, primo de errore ad fidem; secundo de fide ad speciem, prædestinatione electam. Vocat ad fidem electam ex omni carne et assumptam. C Primo vocat ut in ea thronum ponat; secundo, ut eam in thronum constituat, quia primo vocat ut inhabitans et fide cor ejus mundans justificet; secundo, ut justificatam et assumptam glorificet.

TIT. XXXV. *De tribus quæ sunt in matrimonio et de triplici fornicatione, et ejus remedio.*

*Cum gustasset architrincinus, etc.* (Joan. ii). Tria sunt in conjugio. Sacramentum religionis, de quo Apostolus: *Sacramentum hoc dico magnum, etc.* (Ephes. v.) Officium purgationis; unde: *Maledictus qui non reliquerit semen super terram.* Remedium fornicationis; unde: *Unusquisque habeat suam uxorem propter fornicationem* (I Cor. vii). Fornicatio autem triplex est. Lubrica opere, phantastica cogitatione. Unde: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est in corde suo* (Matth. v). Apostatica discessione, quando a via sanctæ conversationis reditur ad sæculum et vomitum. Unde: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te* (Psal. lxxii). Hanc triplicem Osee breviter comprehendit: *Fornicatio, inquit, et vinum et ebrietas auferunt cor* (Ose. iv). Fornicationem apostaticam vinum, phantasticam ebrietatem, lubricam vocans fornicationem. Huic triplici fornicationi triplex apponitur remedium. Desponsatio, de qua in Osee Dominus: *Sponsabo te mihi in misericordia; sponsabo te mihi in justitia, sponsabo te mihi in fide* (Ose. ii). In misericordia reconciliationis, in justitia confederationis, in fide tori nuptialis. Hanc ab se longe fornicationem

tem Dominus ad se vocans, sola misericordia sibi reconciliat, reconciliatam justificat, et justificatam interno quodam gustu suæ dulcedinis velut quadam pignoris arrha sibi facit confœderatam et sui desiderii æstu flagrantem, tandem de exilio hujus peregrinationis eripiens, in thalamum ipsam absorbentis gloriæ introducit et amplexu suo glorificat. Triplex igitur est desponsatio: in misericordia, in justitia, in fide; quæ in fide conjungit sponsum et sponsam; quæ in misericordia, Christum et Ecclesiam; quæ in justitia, Deum et animam. Prima est legitima, secunda mystica, tertia spiritualis. Legitima lubricæ fornicationis, mystica phantasticæ, spiritualis apostolicæ remedium est. Nam unicuique suam propter fornicationem habere permittitur, et Ecclesia a Christo suo electa de fornicatione eximitur. Christiana vero amica post diuturnam incontinentiam ad priorem virum suum revertens et illi casto amore inhærens, cum eo unus spiritus efficitur. In figura triplicis desponsationis apud Judæos in nuptiis parabatur triclinium, id est trium lectorum thalamus discubitorius ex tris et κλινη cline, quod est lectus, dicitur quibus magister convivii vocatus architriclinus præsidebat. Thalamus autem est locus completentium se amore conjugali. In primo lecto sunt sponsus et sponsa; in secundo, Christus et Ecclesia; in tertio, Deus et anima. Primus legitimus, secundus mysticus, tertius spiritualis, imo primus est ille lectus materialis, secundus uterus virginalis, de quo Propheta inquit: *tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (Psal. xviii). Tertius mens sincera devota et fidelis. Unde Apostolus: *Timeo ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excedant a simplicitate, quæ est in Christo Jesu* (II Cor. xi).

Tit. XXXVI. *Quod persecutio fit tribus de causis et quatuor gladiis.*

*Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (Matth. v). Alii propter injustitiam, alii propter falsam et simulatam justitiam, alii propter veram justitiam persecutionem patiuntur. Primi sunt iniqui, secundi hypocritæ, tertii electi. Fit autem persecutio quadruplici gladio: pænæ, linguæ, humanæ perturbationis et diabolicæ suggestionis. De prima dicitur: *Tribulatio an gladius?* (Rom. viii.) De secunda: *Lingua eorum gladius acutus* (Psal. lvi). De tertia: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* (Luc. ii). De quarta: *A gladio maligno eripe me* (Psal. cxliiii). His quatuor gladiis opponuntur duo gladii ecclesiasticæ defensionis. Unde Petrus: *Ecce duo gladii hic* (Luc. xvii). Et Dominus: *Satis est* (ibid.).

Tit. XXXVII. *Ad quæ docenda missi sunt Filius et Spiritus sanctus.*

*Venit hora et nunc est, in qua veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (Joan. iv). Spiritus est Deus, qui docet eos qui adorant in spiritu et veritate. Nam ad docendum tria quædam missus est Filius et Spiritus sanctus: quem, ubi et quomodo. Quem? Deum. Ubi? In spiritu. Quomodo? in veri-

tate. Sunt qui Deum non adorant, sed dæmonia; sunt qui Deum adorant, sed non in spiritu; sunt qui in spiritu Deum adorant, sed non in veritate. Sunt qui Deum adorant et in spiritu et veritate. Primi sunt gentiles vel avari, secundi Judæi, tertii hypocritæ vel hæretici, quarti Catholici et electi. In primis est religio profana, in secundis vana, in tertiis falsa, in quartis vera. Hanc ultimam docet Filius veritas, Spiritus sanctus; quam religionem beatus Jacobus dicit esse *mundam et immaculatam* (Jac. i): *mundam, sine ruga deauratæ intentionis; immaculatam, sine veneno perversitatis.*

Tit. XXXVIII. *Quid sit Deum diligere « ex toto corde, ex tota anima, et ex tota virtute; » et quæ tria diverso gradu diligere possint.*

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.* (Deut. vi). Qui mundum propter Deum diligit, et totum cogitatum suum qui ex mundi sollicitudine gignitur jactat in Dominum, hic Deum toto corde diligit. Qui se propter Deum diligit, ut cui vivere Christus est, et mori lucrum; qui dicere potest: *Vivo, jam non ego; vivit autem in me Christus* (Gal. ii), Deum tota anima, id est tota vita diligit. Et hoc duobus modis: vel in se Deum, vel se in Deo diligendo. At qui gustata dulcedine suavitatis Dei, ipsum propter ipsum diligit, jamque unus cum Deo spiritus est, tota virtute Deum diligit. Tria quippe sunt quæ hoc gradu diligere possunt, quamvis unum solum amore sit dignum: mundus, homo, Deus. Potest enim quis mundum diligere propter mundum, mundum propter seipsum, mundum propter Deum. Sed quia omnis et solus effectus bonus est cujus causa bona est; bene profecto diligit qui diligit propter Deum; nihil enim præter Deum bene diligitur. In corde autem, cogitatio; in anima, vita; in mente, intellectus notatur. Ille ergo diligit Deum toto corde, tota anima, tota mente qui extra Deum nihil cogitat, affectat et sapit.

Tit. XXXIX. *De fide, quos et per quos salvet aut non salvet tam nunc quam olim.*

*Fides tua te salvum fecit* (Luc. viii). Aliquando salvum fecit hominem sua fides et non alterius, ut hydropicum Pharisæis Dominum observantibus. Aliquando alterius et non sua, ut paralyticum quibusdam per tegulas eum submittentibus. Quorum fidem ut audivit ait: *Remittuntur tibi peccata tua* (Luc. v). Aliquando et sua et alterius, ut filiam Chananæ, apostolis pro ea rogantibus (Matth. xv). Aliquando nec sua nec alterius sed sola gratia, ut cæcum a natiuitate, qui nec peccavit, ut cæcus nasceretur, sed ut manifestaretur gratia Dei (Joan. ix). Multos hodie sola gratia, ut Paulum; fides alterius, ut pueros; fides sua, ut Cornelium et justos. Quosdam nec sua fides, quam vivam non habent, nec alterius, salvos facit, ut damnandos. Nam *sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. xi).

Tit. XL. *De quadruplici pace claustrali*

*Stetit Jesus in medio discipulorum et dixit eis: Pax vobis* (Luc. xxiv). Discipuli congregati erant propter

metum Judæorum. Nos congregati sumus in claustro A propter metum dæmoniorum, cum eis congregari timuimus in campo sæculi, confugimus admunitionem claustrum, ubi, si volumus ut ingrediatur ad nos Jesus, et dicat: *Pax vobis*, sicut dixit discipulis veniens ad eos clausis jam januis, claudamus januas. Quatuor autem sunt differentiæ pacis multum necessariæ religiosis. Est enim pax extra, pax inter, pax intra, pax supra. Pax extra, ad sæculum; pax inter, pax inter fratres; pax intra, ad seipsum; pax supra, ad Deum. Prima bona, secunda melior, tertia optima, quarta excellentissima. Qui has adipisci desiderat, quatuor sibi claustra constituat et ostia singulorum diligenter claudat. Primum est claustrum materiale, secundum disciplinæ, tertium spirituale, id est virtutis, quartum contemplationis et dilectionis divinæ. Claustrum materiale si custodiatur et claudatur, acquiritur frequenter pax ad sæculum. Claustrum disciplinæ si circumseratur, pax inter fratres conservatur. Claustrum enim disciplinæ compositio omnium motuum corporis comprehenditur. Si itaque ori silentium imponatur a murmure, a detractone, a vaniloquio, a stultiloquio, et falsiloquio; si manus cohibeatur a malo, pes vero ab eo quo non licite eatur, retrahitur; claustrum disciplinæ custodit, pax fraterna per quam inter fratres Deus possidetur. Sed adhuc oportet progredi ad pacem quæ intra nos est. Multi foris cum hominibus et inter se intus cum fratribus pacem habent; sed vitiorum tumultu vastantur intra se. Verum sicut nihil prodest sanitas foris in cute, si interiora humorum peste corrumpuntur, sic non valet pax cum hominibus cui deest pax interna secum et cum angelis. Juxta Apostolum enim *spectaculum facti sumus et angelis et hominibus (I Cor. iv)*, bonis et malis non hominibus tantum. Boni considerant ut juvent et allevent; mali ut impugnent et illudant. Sed homines casum nostrum et statum extra et intus; angeli extra, intus, et intra nos vident. Ideo est necessaria pax foris et intus ad homines; sed multo magis intra nos, ad nos et ad angelos. Unde Salomon: *Omni custodia serva cor tuum (Prov. iv)*. Sunt qui hæc materialia claustra tanta diligentia claudunt, ut nulli extraneo ingressus pateat vel egressus, nullum signum contra disciplinam foris erumpat, qui interiora negligentes, intus depasci dæmoniis morsibus non expavescent, si quidem pereunt nisi maculam cordis digna lavent satisfactione. Restat pax suprema quæ est ad Deum; restat et claustrum omnium altissimum. In quod cum quis ingressus fuerit, securus in Deo, et Deus delectabitur et requiescet in eo. In quo abscondit suos in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum (*Psal. xxx*), id est in congregatione sui: quæ pax multis abscondita, vix paucis revelata est.

TIT. XLI. De castelli etymo morali.

*Intravit Jesus in quoddam castellum (Luc. x)*. Castellum est anima, vallum patientia, turris nomen Domini, fossæ profunditas vera humilitas, portæ

A sensus corporei, arma opera virtutum, vigiles et propugnatores sensus spirituales. Quorum alii vigilant per morum circumspectionem, alii pugnant per vitiorum expulsionem, alii pausant per internam cœlestium contemplationem. Cibis est sacra Scriptura, potus facilior intelligentia; principes, quatuor virtutes, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia.

TIT. XLII. De filio prodigo et de panibus tribus illi ut amico de via venienti commodandis.

*Amice, comoda mihi tres panes (Luc. xi)*. Amicus est qui loquitur amico et pro amico. Amicus noster de via veniens filius prodigus est, qui de regione longinqua rediens tribus panibus reficiendus est. Ait enim patri: *Da mihi portionem quæ me contingit (Luc. xv)*. Qua accepta peregre profectus est in regionem longinquam, agens iter sine fine, laborem sine requie, motum sine stabilitate, cursum sine pervensione. Fuit autem portio triplex: Memoria, ratio, voluntas. Memoria iis quæ solius Dei erant intendebat. Ratio perspicaci oculo eorum profunditatem discutebat. Voluntas terrena triumphans, cœlestia appetebat. Memoria res veras summam perstringebat. Ratio quid bonum, quid melius, quid optimum discutebat. Voluntas quod optimum singulariter eligebat. Ilac ergo accepta substantia filius elongavit se a patre fugiens tribus noctibus. Primæ noctis iter est, quo Deum creatorem deseruit; secundæ, quo præter Deum aliud appetit; tertiæ, quo extra Deum in alienis quievit. Primo a Deo recedens vadit ad se. Secundo descendens sub se deletatur in carne. Tertio tractus extra se delectatur in rerum specie. Primo vadit de virtute gloriari, secundo in vitiis delectari, tertio in transitoriis consolari. Sic igitur consummato itinere, in primo anno bona memoriæ dilapidavit tribus modis: per cogitationes affectuosas, onerosas, et otiosas. Affectuosas, per rei familiaris occupationem; onerosas, per rerum extrinsecarum sollicitudinem; otiosas, per rerum quæ ad rem non pertinent evagationem. Secundo actem anno bona rationis dissipavit tribus modis; recipiens malum pro bono, falsum pro vero, noxium pro commodo. Malum pro bono, quia perdidit ethicam; falsum pro vero, quia perdidit logicam; noxium pro commodo, quia perdidit physicam. Tertio anno bona voluntatis dissipavit vivendo luxuriose, per incendium ignis occulti, per evagationem exterioris oculi, per ambitionem labentis sæculi, id est per luxuriam in fetore, per superbiam in furore, per avaritiam in fervore. Postquam omnia consumpserat, facta est fames in terra illa, et cœpit egere. Quarto anno ad se reversus ait: *Surgam et ibo ad patrem (ibid.)*. Primo recompensat damna rationis per fidem, damna memoriæ per spem, voluntatis per charitatem. Fides rationem illuminavit tribus modis: præceptis, signis, promissis. Spes tribus modis memoriam roboravit: venia, gratia, gloria. Charitas voluntatem tribus modis reparavit: dilectione naturali qua diligit proximum naturali et rationali qua

seipsum; spirituali qua diligit Deum. Rediit ergo ad contrarium tribus diebus, ut quibus gradibus adolevit morbida pestis, eisdem limitibus redeat sanitas. Primo ergo reversionis die divertit ad amicum, ut prandeat apud eum. Sed in regione longinqua quem inveniet amicum? Ipse sibi proximus est et amicus, ad se igitur conversus, in se non invenit quod ponat ante se, nisi peccata; dolet et gemit aliumque petit amicum scilicet sacerdotem, et dicit ei: *Amice, commoda mihi tres panes*; impone modum poenitentiae. *Ille surgens dat ei quotquot habet necessarios* (Luc. xi). Panem scilicet amoris, laboris, doloris. Secundo die ad alium descendit amicum ad exempla Patrum per frequen iam Scripturarum. Qui tres panes ei proponunt: panem veniæ, gratiæ, gloriæ. Manducavit homo ergo et saturatus est nimis. Tertio die venit ad patrem suum, Deum misericordem et pi-um, qui tres vitulos proposuit ei tenerrimos: vitulum novellum, vitulum raptum de armento, vitulum saginatum. Manducavit ergo et satiatus est nimis. Prima ergo reversio est de alienis ad propria; secunda, de malis ad bona; tertia, de transitoriis ad aeterna.

TIT. XLIII. *Quod quilibet similis B. Petro apostolo secundum egypton trium nominum ejus liberabitur de manu hostili.*

*Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis* (Act. xii). Vox ejus est qui trinominis est, scilicet Petrus. Primum enim dictus est Simon, id est obediens: deinde Bar-Jona, id est filius columbæ, scilicet humilitas; tertio Petrus, id est firmus. Si talis fueris, eriperis de omni expectatione plebis Judæorum (Act. xii). Omni, id est triplici. Expectatio enim hæc in tribus consistit, in vinculo carnis, in concupiscentia oculorum, in superbia vitæ. Carnis vinculum ligat, concupiscentia oculorum coinquinat, superbia vitæ devorat. Carnis vinculum comparatur limo, oculorum concupiscentia luto, vitæ superbia tempestatis profundum. Plus est limus quam lutum. Lutum enim etsi coinquinat, non tamen est tenax; a limo autem evolvi facile nemo potest, quia caro sic ligat spiritum ut vix etiam bonus velit ab ea separari, sed superindui. De profundo habes: *Non me demergat tempestas aquæ, neque urgeat super me puteus os suum* (Psal. lxxviii). Sed et claustralis. si trinominis fuerit per obedientiam, humilitatem, et armitatem, poterit evadere primam et secundam custodiam et portam ferream. Prima custodia est consuetudo carnis; secunda impetus tentationis; tertia species veritatis. Carnis consuetudo ligat, impetus suffocat, species veritatis cruciat. Durum est a comessionibus venire ad legumina, a pulvinaribus ad stramen, vertere amurcam in oleum, paleam in granum, truncum in vitulum. Sic difficile converti ad Dominum. Is vitulus cornua producit et ungulas, qui totus Deo in holocaustum offertur. *Hæc est vere mutatio dexteræ Exælsi* (Psal. lxxvii): quam nullus nisi per obedientiam transit. Sed cum transieris hæc custodiam, restat

A impetus tentationis. Quando videt fratrem omnem rigoris ordinem servantem, et dicit: *Quid expectat hic, nisi mortem abbatibus? hic vellet abbas esse, et ita invidet et detrahit*: hæc est pessima custodia, certe si non fueris filius humilitatis, non transibis hæc custodiam. Audi quid responsum est Antonio, quærenti enim ut sibi ostenderentur omnes tentationes; et cum ostensæ essent dicenti: *Domine, quis unquam poterit hos laqueos transire?* responsum est: *Humilitas*. Si quis hujus tentationis impetum transierit: restat ei porta ferrea, id est species veritatis: quam nemo potest transire nisi fuerit Petrus. Ad custodiendum autem Petrum postea quatuor erant quaterniones (Act. xxiii); unus supra, alius infra: unus ante, alius retro. Inferius est carnis sollicitudo; quæ sub specie veritatis sic fratrem alloquitur. Frater audi quid dicat Apostolus: *Sicut virga ita cibus debet dari jumento: non cuilibet id subtrahi unde chorda citharæ rumpatur, in qua debet cum fratribus cantare. Sed cibi claustralium salubres non sunt. Caseus in universum malus est; ova in carnem cito convertibilia, legumina inflativa, aqua frigida. Quære alios cibos. Ecce quomodo sub specie veritatis decipit. Hic te fratri, quod Dominus Petro dixit respondere oportet. Vade retro, Satana* (Matth. xvi). Panis et aqua, vita beata. Tu vis me facere discipulum Galeni, non Augustini; et medicum, non canonicum. Superbia vero quaternio superior sic eum aggreditur. Frater, tu bonus orator es, religiosus, litteratus es, nobilis nobilitate generis facilem ingressum habes ad curiam regis, plus potes prodesse uno verbo quam omnes alii, et ideo debes præesso. Ecce quomodo sub specie veritatis decipit. Dic ergo quod Petro Dominus: *Vade retro, Satana*. Melius est mihi imitari Christum humilia quærentem, quam diabolium ad aquilonem sedem ponere volentem. Accedit posterior quaternio, et per recordationem præteritorum quod parentes reliquerit pauperes, quibus esset providendum, quod locum ubi fuerunt pedes Domini debuerit visitare prius et limina sanctorum; sub hac specie veri decipere molitur. Dic ergo ei quod Petro dictum est: *Vade retro, Satana*. Vis me facere circumcellionem? *Non vidi justum derelictum a Domino*, etc. (Psal. xxxvi). Ecce si sic eris trinominis Simon Bar-Jona et Petrus, poteris transire primam et secundam custodiam, et portam ferream, ibique quaterniones contemnere, et gratias agendo dicere: *Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum*, etc. (Act. xii).

TIT. XLIV. *De B. Mariæ semper virginis præconiis.*

Qui beatæ virginis habent memoriam, felices sunt. Feliciores tamen angeli, qui ejus habent præsentiam cujus speciem concupivit Omnipotens, et posuit in ea thronum suum. De quo historia: *Fecit Salomon thronum grandem* (III Reg. x). Salomon trinominis. Salvator enim noster prius Salomon, id est pacificus est nobis in hoc exilio, amabilis, pius, corrector morum: ideo rex; Ecclesiastes, id est concionator, erit in judicio, terribilis injustis, et distinctor meriti-

torum; ideoque rex; *Idola*, id est gloriosus in regno, *A* admirabilis et distributor præmiorum; ideoque rex. Hic fecit thronum, id est uterum Virginis, in quo sedet illa majestas quæ nutu concutit orbem. Iste thronus est sicut sol in conspectu Dei. Ex quo vox illa: *Ecce nova facio omnia* (*Apoc. xxi*). Per hoc enim vetera innovantur. *Fecit*, inquam, *thronum grandem de ebore*. Ebur frigidum, forte et candidum est: quid autem grandius ea quæ magnitudinem divinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? *Vestivit eum auro* (*Isai. xlvii*), id est, totam virginem tota divinitatis indivisibiliter pleniori gratia superfudit. Sequitur *fulvo nimis* (*ibid.*), quia cum insit creaturis quatuor modis, bonis et malis per essentiam; bonis per operationem; eis quos futurorum cognitione nobilitat, per illuminationem; matri inest soli per identitatem. Habitat enim in angelis, sed non cum angelis, cum quibus non est ejusdem essentiae. In virgine autem habitat et cum ea. Unde Angelus: *Dominus tecum* (*Luc. i*). Sequitur: *Per septem gradus ascendebar ad eum* (*III Reg. x*). Elige meditari quæ sancta sunt; quia perversæ cogitationes a Deo separant; et primum gradum ascendisti. Insuesce linguam tuam bene loqui; et substitisti ad secundum. Juste quod justum est operare; et tertium ascendere meruisti. Relinque mundum et quæ ejus sunt; et ad quartum cacumen evolasti. Persevera; et sextum viriliter tenuisti, ut jam ad illam gloriam aspiret in qua regione angelorum gloriosam reverberat dignitatem. Sequitur: *In posterioribus est rotundum*, quia finis ejus, quæ per posteriora illa intelligitur est gloriosa; quæ sicut rotundum non habet initium nec finem. Sequitur: *Duodecim stabat super gradus*, quia duodecim apostoli præmissæ modo in gradibus stantes, reginam non sine stupore minantur, et dicunt; *Quæ est ita quæ ascendit* etc. (*Cant. viii*.) Sequitur: *Duæ manus tenebant hinc et inde sessile* (*III Reg. x*), id est activam et contemplativam vitam. Si enim recorderis quomodo filium lactaverit, et omnes sustinuerit vagientis pueri actiones, intelliges eam in activa plurimum ministrasse. Si autem audias quomodo omnia verba ejus conferebat in corde suo (*Luc. ii*), contemplativam in ea vitam cognosces. Sequitur: *Duo leones stabant juxta brachiola* (*III Reg. x*). Illi sunt Gabriel et Joannes: quorum alter dextræ, alter sinistræ virginis est custos deputatus. Gabriel mentem; panes carnem servavit. Et bene leones propter altissimæ vocis rugitum: quorum unus, *Ave, gratia plena* (*Luc. i*). Alter: *In principio erat verbum* (*Joan. i*), clamando, talia orbi nuntiaverunt, ut de eorum operatione quidquid dicitur sit quasi mutum. Nobis itaque virgo, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, subveni clamantibus: *Revertere, revertere, Sunamitis* (*Cant. iv*) ut intuemur te, ter benedictam et super. Revertere primo per naturam. Nunquid quia ita sublimata es, ideo nostræ mortalitatis oblita? nequaquam domina. Nosti in quo discrimi-

ne nos reliqueris, ubi jaceant tui, quantum delinquant servi tui. Tantæ ergo misericordiæ non congruit tantam miseriam oblivisci, quia etsi te subtrahit gloria, revocat tamen natura. Non es ita impassibilis ut sis incompassibilis, et ideo non ita memoraris gloriæ Dei solius, ut misericordiam non habeas. Revertere secundo per potentiam: *Quia fecit in te magna qui potens est*. Quid tibi negabitur, quæ Theophilum de ipsis faucibus diaboli eruisti? Quomodo illa potestas tuæ potentiae poterit obsistere, quæ de carne tua carnis suæ suscepit originem? Accedis ad illud reconciliationis altare, non solum rogans sed et imperans. Moneat ac moveat ergo te natura, moneat potentia, quia quanto potentior tanto misericordior esse debes. Revertere tertio per amorem. Scio, domina, quod benignissima es et amore nos amas invincibili; quos in te et per te filius tuus et Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties restringas iram judicis, cujus justitiæ virtus a facie deitatis egreditur? Revertere quarto per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri misericordiæ Dei. Absit ut cesset manus tua; neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cum penitentes ad veniam, justificati assumuntur ad gloriam. *Revertere ergo Sunamitis*, id est despecta, quæ fabri uxores appellata; cujus animam pertransit gladius (*Luc. ii*). Ad quid? ut intueamur te. Summa gloria est te post Deum videre, tibi que adhærere, et in tua protectione commorari. Audivit nos quam filius nihil negans honorat.

**TIT. XLV. De prælio per auxilium angelorum contra diabolos a nobis gerendo.**

*Factum est prælium magnum in cælo. Michael et angeli ejus prællabantur cum dracone*, etc. (*Apoc. xii*). Cælum electorum est Ecclesia; in quo ab initio Christianæ fidei usque in finem sæculi sit illud prælium magnum, de quo Apostolus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in cælestibus* (*Ephes. vi*). Ad hoc bellum nos accingit qui ait: *Adversarius vester diabolus circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*I Petr. v*). Hoc autem bellum non solum nostrum, sed etiam angelorum dicitur. Unde: *In tempore illo consurget Michael princeps magnus; qui stat profiliis populi tui*, etc. (*Dan. xii*). Item: *Immittet in isto prælio Angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos* (*Psal. xxxiii*). Omnes enim juxta apostolum, sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis (*Hebr. i*). Erigamus ergo arma securi, quia fortissimos nostræ patriæ et invictos adjutores habemus. Unde sequitur: *Profectus est de cælo ad terram ille draco magnus, serpens antiquus, diabolus et Satan* (*Apoc. xii*). Draco, propter malitiam; magnus propter immanitatem; serpens, propter occultas insidias; antiquus, propter diuturnitatem. Hic quotidie de cælo in terram cadit, cum ab electorum cordibus expul-

aus, Jeorsum fluens (quod sonat diabolus) reprobos in terra sapientes invadit. Quibus sibi subjectis contra eos quos deseruit accusationem retorquet. Unde et Satan dicitur, quia id nomen adversarius interpretatur. Utinam et de nobis non dicatur quod sequitur: *Et non est inventus amplius eorum locus in caelo* (Apoc. xii). Multi enim abeunt retro post professionem, in quibus diabolus ponit locum suum et sedem.

**TIT. XLVI. De misericordia et fide purgantibus peccata.**

*Per misericordiam et fidem purgantur peccata* (Prov. xv). Id ait Salomon teneris et delicatis. Si enim lacrymas non habent, horrent labores, nesciunt ferre tribulationes, quomodo a fide se excusabunt et misericordia? Quid misericordia suavius? quid fide jucundius? Hæc oleum melius, illa lumen oculis. Hæc ungit affectus, illa sensus illuminat et dirigit ut eas ad lumen a tenebris, quia misericordia sua impendens reddit debita; fides etiam gratis sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia dicitur: *Date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis* (Luc. xi). De secundo: *Vade. Fides tua te salvum fecit* (Luc. viii). Unde hæc duo merito junguntur.

**TIT. XLVII. De inevitabili iudicio Dei quam sit tremendum, nisi ad misericordiam confugerimus.**

*Oculi Domini contemplantur bonos et malos in omni loco* (Prov. xv). Oculos hominum timuisti, oculos Altissimi non expavisti, de quo propheta: *Ecce tu, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua* (Psal. cxxxviii). Neque ab oriente, neque ab occidente neque a desertis montium locus est fugiendi, quoniam Deus iudex est; et ita non usurpat sibi iudicium cum sit Deus; corrumpi non potest, quia justus est; ei resisti non potest, quia fortis est, impetuose non iudicat, quia patiens est. Vidit opera tua et excursus flagitiorum tuorum, et comminuit iram suam; cælum non fulminavit, aqua non submersit, non absorbit tellus. Et cum omnis terra sit plena gloria Dei, in gloriam ejus tuam miseriam evonuisti, nec reveritus es præsentem Deum et coram tanta munditia tuam immunditiam exercere. Ipse autem inquit: *Ego autem tanquam non videns*. Nunquid alicui ministrorum suorum qui iudices sunt iræ ejus in hoc ipsum constituti, revelavit ignominiam tuam? Ecce videt et tacet ne iudicat. Videt neque iudicat; videt et videre dissimulat. Vocat, et non audis; promittit, et contemnis; minatur, nec metuis. *Thezaurisas tibi iram in die iræ* (Rom. ii). Licet autem multum sit patiens, nec irascatur per singulos dies oculus ejus, sed peccantibus parcat, est tamen iudex justus et fortis. Nunquid qui ita tacuit semper tacebit? An non legisti quia ad iudicium veniet, patientiam abijciens, humilitatem nesciens, ignorans misericordiam? Attendisti patienter tacentem; attende et impatienter loquentem. *Sicut, inquit, parturiens loquitur* (Isa. xlii). Vidisti dissimulantem, videas et ob quæcun-

que minima minantem. *Vestigia, inquit, pedum meorum dinumerasti* (Job xiii). Quis locus erit spei, cum venerit iudex, qui stetit sub iudice, præcipientibus tubis, clamantibus accusatoribus, ardentibus elementis? Ad cujus fugiemus auxilium, cum ignis, cælum et terram furialibus miscebit incendiis? Veniet iste cum potestate et majestate, non cum dulcedine et humilitate quia illic *justitia plena est dextera ejus* (Psal. xlvi): qui hic misericordiam seminavit et sparsit. Tunc ille misericors oculus non parcat, nec miserebitur; sed percutiet et occidet. Peccatores autem quid? Videntes turbabuntur timore horribili, sed corrigibili: Audientes illud horrendum tonitruum: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (Matth. xxv). Quis ergo es tu qui contemnis divitias bonitatis et patientiæ Dei? Scias juxta Apostolum quod non evasisti iudicium Dei (Rom. ii). Aspice ergo prius abundantiam peccatorum tuorum, secundo negligentiam, tertio in his Dei patientiam, quarto ad ejus misericordiam oculos attolle. Licet peccaveris, neglexeris, et patientiam ad iram provocaveris, paratus est misereri, cum volueris reverti. Adnitere, abolere et tegere peccata tua, et projicere in profundum maris; nec erit mora inter contentem et remittentem, quia benignus et misericors est. Sunt homines faciles ad iram, difficiles ad misericordiam, ac pedibus suis devolutos non solum loqui, sed vel respicere dedignant. Non sic Dominus Jesus. Libentius loquitur necem quam cum eo quem invenio, quoties quaero. Occurrit cum panibus fugienti; ubique pius, ubique dulcis, ubique cum magna multitudine dulcedinis suæ. Non facit supercilium, oculos non obliquat; sed occurrit revertenti; in amplexus ruit, jubet perferri stolam primam, dari in manum anulum, occidere vitulum saginatum in remissionem peccatorum, cum symphonia reduci ad superna gaudia. Vides quam longa patientia, quam velox in Deo misericordia: *Longanimis, ait sanctus, et multum misericors* (Psal. cii). Absit ergo ut tanta misericordia ablutur ambulando in passione desiderii sui, sicut gentes quæ ignorant Deum! Vos qui corpus Christi aut consecratis aut ministratis, Christi corpori electi servite, ut cum imperatore sedeat. Qua mente, qua conscientia acceditis, ad sancta sanctorum quorum vita notabilis, fama contemptibilis, sermo habetur reprehensibilis? Verumtamen si aliquis tale aliquid in cubiculo conscientia complicavit, displiceat illud, et per confessionem debeat, et per penitentiam abluat; et ego eidem, nati nobis pueri (si tamen ei natus fuerit, ipsumque in pelvi cordis habentem aquam igne charitatis calidam susceperit) misericordiam repromitto qua nascetur in eo lux mundi, nec miseris misericordiam negabit, misericorditer natus misericors et miserator Dominus

**TIT. XLVIII. De oculo lucerna corporis moraliter, id est de prælato.**

*Lucerna corporis tuis est oculus tuus* (Matth. vi). Hic est lumen Ecclesiæ prælatus. Si simplex et sine

macula fuerit, totum corpus Ecclesie bene regitur. Si nequam, si fornicator, si avarus, totum corpus tenebrosum erit; non ait nequam, sed tenebrosam. Quia non omnes ejus nequitiam imitantur, quamvis tenebris involvantur, quia eorum lucerna exstincta est. Necessae est ergo ut oculus sacerdos vel episcopus sine macula sit, ut de ejus moribus omnia membra illuminentur.

TIT. XLIX. *De exitu Christi a Patre et reditu ad Patrem, et sapientiae a corde et ad cor.*

*Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem (Joan. xvi).* Primus exitus sapientiae est a sinu Patris, ad cor hominis secundus, dum induta voce per eos egreditur et venit ad aurem, ubi se exspoliens per auditum cordi illabitur, ut iterum mundum relinquens per cordis contemplationem ad Patrem revertatur. In corde radicat, in homine pullulat, in aure torculatur, et iterum in cordis apotheca recipitur. Vox est vestimentum sapientiae. Unde scriptum est: *Lingua sapientium ornat scientiam (Prov. xv).* Quae non egreditur nisi induta, nec egreditur nisi exuta.

TIT. L. *De quatuor in electione apostolorum notandis.*

*Non vos me elegistis, sed ego elegeri vos et posui vos ut eatis et fructum offeratis, et fructus vester maneat (Joan. xv).* His verbis quatuor nota: dignitatem, ubi dicit, *elegeri vos*; officium, *ut eatis*; cautelam, *et fructum offeratis*; constantiam, *et fructus vester maneat*. Est dignitas in electione. Magnum enim est quod elegeri qui non fallitur, dum elegeri; majusque electum est opus ad quod elegeri; maximum, quod in electos praelegit, est autem sensus: *non vos me elegistis*, id est nullo genere electionis elegistis, *sed ego vos omni*, sunt enim tres modi eligendi. Primus est electio, quando de multitudine malorum et bonorum eliguntur boni, ut de acervo granum, de torculari oleum: quo genere electi sunt filii Israel ex omni ratione in populum peculiarem. Secundus subelectio, qua de bonis eliguntur meliores, quomodo elegeri filios Levi ad servitium tabernaculi. Tertius modus est praelectio, qua de melioribus optimi eliguntur: quo genere elegeri Aaron filios in sacerdotes. Ad hunc itaque modum: Primo vos elegeri per aquam et spiritum ab uberibus infidelitatis. Subelegit cum in sortem sanctorum vocavit; et in ordinem clericatus promovens characteristicam quadam censura capitis a minoribus fidelibus segregavit. Praelegit autem cum posuit vos super capita hominum dispensatores familiae suae, ut detis illi cibum in tempore suo. Magnum itaque quod elegeri, majus quod subelegit, maximum quod praelegit. Quantum enim quod ad elevationem manuum vestrarum, capita regum inclinantur omnes consententur vos patres. Reges et regna munera offerunt, intercessores expectant. Sed vae illis qui cum fuerint lapides sanctuarii, dispersi sunt in capite platearum (Thren. iv). Vae piscatoribus animarum, si inter malos pisces foris projiciantur. Vae operariis Dominicae messis, si sicut palea sunt arsi. Sequitur officium

in ambulatione. *Posui, inquit, vos ut eatis.* Quatuor sunt hominum positiones. Prima jacentium, quorum pars omnis quiescit. Hi sunt mali in mundo jacentes qui totam spem suam ponunt in incerto divitiarum, aut quorum *Deus venter est (Philipp. iii)*, nec ponunt *Deum adiutorem suum (Psal. li)*; qui dicunt: *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos. Quiesce, comede, bibe, epulare (Luc. xii).* Qui tales sunt prostrati jacent, superiores laborant. Hi sunt boni conjugati, qui bene utuntur licitis, partimque Deo, partim serviunt saeculo. Tertia est stantium. Hi sunt contemplativi quorum omnis pars laborat erigens se, cum naturaliter ad ima referantur, quorum *conversatio in caelis est (Philipp. iii)*; cum Deo pacem ponunt, in terra pressuras habent quibus *vivere Christus est et mori lucrum (Philipp. i).* Quarta est ambulantium, quibus ex motu augetur labor. Hi sunt praelati, quibus incumbit inter caetera hominum genera discurre, et nunc his, nunc illis, nunc aliis, increpationem, exhortationem, concussionem tanquam annonam verbi Dei erogare. Ambulans Jesus juxta mare Galilaeae ut daret exemplum ait: *Ite in orbem, etc.* Electi ergo estis ut eatis. Ergo vobis periculosum est sedere, peremptorium jacere. Ite ergo excitare jacentes, et dicite: *Surgite qui dormitis, etc. (Ephes. v)*, ne fur repente veniat et effodiat domum tuam. Si autem gravi somno pressus ad manum tangentis non evigilaverit, *clama, ne cesses (Isa. lviii)*, quia et Dominus magna voce suscitavit mortuum quatruiduanum, adhibe minas quarum punctionibus lethargicus excitetur. Dura punctio si dicatur: *Ignis non exstinguetur, vermis non morietur; ibi erit fetus et stridor dentium (Marc. ix).* Ab his transite ad sedentes; exhortantes eos ut proficiscantur: et dicite: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus dum recordaremur tui Jerusalem (Psal. cxxxvi).* Porrigite manum pauperi, ne oblivioni detur dextera tua; si stare non valuerit, nutanti appone manum et dic: *Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris (ibid.).* Ab his transeundum ad stantes, quibus necessaria consolatio. State, dicatis eis, in viis vestris, *viriliter agite et confortetur cor vestrum, et sustinete Dominum (Psal. xxvi)*, qui sedebitis *super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israel (Matth. xix)*, ambulate nunc in via mandatorum Dei: hic est labor officii vestri.

Sequitur de cautela in fructificatione: *Et fructum, inquit, offeratis.* Tres sunt fructus: trigesimus, sexagesimus, centesimus; subditorum, praelatorum, virginum. Non sufficit praelato bonum esse nisi, quantum in ipso est, etiam alios bonos faciat. Non sine causa dictum reor: *Et lucerna ardentes in manibus vestris (Luc. xii).* Subditis sufficit lucerna una in manu, quia pro se tantum rationem sunt reddituri. Praelatis non sufficit nisi utraque manu lucernam ferant. Inde cum dominus papa ordinat sacerdotem facit eum qui ordinatur in utraque manu ardentem

tenere cereum, ordinato præsagnans quod de cura sui suorumque summo Pastori rationem præstabit.

Sequitur constantia in continuatione: *Et fructus, inquit, vester maneat*, id est perseveret. Finis enim, id est victoria, non pugna coronat. Unde præceptum est caudam cum capite offerre. Ad hoc etiam data est sacerdotibus tunica altaris. Ecce quot gradum culmen ascendistis, tot rationum vinculis alligati estis. Quis enim tot vinculis alligatur quot sacerdos, cum induitur ministraturus? Primo amictu fauces ligat: inde mucius conductis sub axillis pectus stringit. Tertio renes sub cinctorio arctat; ac si dicatur ei: *Stringe fauces*, id est pone custodiam ori tuo; *stringe pectus*, id est cogitationes malæ non ascendant in corde tuo; *stringe renes*, id est crucifige carnem tuam cum vitiliis et concupiscentiis. Orate autem illum sine quo nihil potestis, ut sicut vos elegit, ita juvet, *ut fructum afferatis, et fructus vester manent. Amen.*

TIT. LI. *De duplici nativitate, etc.*

*Omne quod natum est ex Deo vincit mundum (I Joan. v).* Duæ sunt nativitates: una ex Deo, altera ex mundo. In quo quatuor nota, concupiscentiam carnalem, affluentiam temporalem, rationem naturalem, et gratiam spiritualem. Concupiscentia carnis concordat cum mundo, sequitur eum et pacem habet cum eo, quoniam duo prima facile simul currunt. Ratio naturalis dissentit, resistit mundo et cum eo pugnat; sed vincitur, et ita fit homo natus, in mundo existendo; cum autem ex Deo donatur gratia spiritualis, ratio quæ prius sola duobus non poterat resistere, juvatur, et vincitur mundus et concupiscentia refrenatur. Gratia autem Dei est, juxta Apostolum, per fidem Jesu Christi super omnes qui credunt in eum, potestate filios Dei fieri, qui nati sunt ex Deo vincunt mundum (*I Joan. II*). natura repugnat, fides vincit, pax regnat. Nunc videndum est qui vincant, duæ sunt hominum species, quæ mundum triumphant. Tertia vincitur a mundo. Hinc sunt Maria, Martha, Lazarus in una domo. *Maria optimam partem elegit (Luc. x)*, quia nemo tutius, facilius, celerius, mundum vincit quam qui ipsum totum deserit, despicit. Qui autem mundana tractat, pietatisque actione ministrat, et erga plurima turbatur, sicut Martha, laboriose, periculose, diuque pugnat; sed gloriose triumphat. Hostem ergo Maria declinat sapienter, Martha aggreditur fortiter. Vincit fuga Maria, Martha pugna. Lazarus vero, qui nec declinat nec pugnat oneratus terrenæ affluentiae aggere, in concupiscentia carnis sepelitur, absente virtute, id est Christo. Nam, ut inquit Martha ad Jesum: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus (Joan. xi)*. Nunc quinam vincat et quibus videndum est. *Mundum, inquit, vincit (I Joan. II)*. Mundi nomine tria comprehendit. prudentiam carnis, quæ est inimica Deo; sapientiam sæculi, quæ est stultitia apud Deum; præsumptionem spiritus, quæ est apostata a Deo. Hæc vincuntur castitate, humilitate, charitate. Prudentia carnis

PATROL. CLXXVII.

animam exhortatur, dicens: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, quiesce, comede, bibe, epulare (Luc. XII)*. Hanc exsuperat temperantia, quæ castigat corpus et sub anima in servitutum redigit et facit membra corporis arma justitiæ Deo. Sapientia hujus sæculi quærit quæ sua sunt, quod sibi utile est tantummodo curat. Hanc conculcat charitas, quæ non quærit sua sed quæ Jesu Christi (*I Cor. XIII*); non quid sibi, sed quid aliis utile pensat. Præsumptio spiritus, dum aliis quærit præesse, Deo dedignatur subesse. Super hanc elevatur humilitas, quæ ut Deo melius possit subjici, nulli vult præfici. *Omne ergo quod natum est ex Deo vincit mundum (I Joan. v)*, id est carnis prudentiam, sæculi sapientiam, et spiritus præsumptionem: castitate, charitate, humilitate.

TIT. LII. *De tribus cælis, terris et testimoniis in eis, iterum aliter.*

*Tres sunt qui testimonium dant in cælo (I Joan. v).* Tres sunt cæli, tres terræ, tria testimonia. Primum cælum. Deus. In hoc plenæ et summæ perfectionis testimonium dat potentia, sapientia, benignitas, *Pater, filius et Spiritus sanctus, et hi tres proprie et principaliter unum sunt (ibid.)*, ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia. Secundum cælum Angeli. Unde *Rorate cæli desuper (Isa. XLV)*, in quo testimonium dant felicitatis, virtus, veritas, charitas, *et hi tres unum*, quoniam ex uno unum sunt, de potentia Dei virtus, de sapientia veritas, de benignitate charitas. Cælum tertium spirituales viri qui enarrant gloriam Dei; in quibus dant testimonium justificationis, fides, spes, charitas. Et hi tres ideo unum, quia ex uno. Fides de sapientia illuminat ad veritatem; ignis de Spiritu sancto inflamat ad charitatem: et per hæc duo spem habemus perveniendi ad Patrem.

Prima terra est populus pœnitens, terra sancta, in hac testimonium remissionis dant spiritus, aqua, et sanguis, id est compunctio, confessio, remissio. Spiritus sanctus scrutans corda et renes, dum de peccato, justitia et judicio peccatorum arguit, nimirum pœnitentia pungit. Ideo spiritus illam significat quæ dat. Aqua significat confessionem, quia in confessione peccata lavantur; quam sæpe manifestant rivi oculorum. Bona est confessio oris, melior oculorum, optima operum. Spiritum ergo compunctionis, aquam intellige confessionis. Sequitur sanguis remissionis, sine sanguine enim non sit remissio. *Et hi tres unum*, quia ab uno a quo omne datum optimum (*Jac. I*). Terra autem media in opere Adæ maledicta: quæ scinditur vomere comminationis. perfunditur rore promissionis, spinas et tribulos germinans: tres habet testes perditionis: concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ. Terra ultima damnationis æternæ habet testes ignem inextinguibilem, vermem immortalem, vel damnatorum carnem incorruptibilem; et ex his desperationem. Quia si substantialis ignis vel vermis

esset terminabilis, posset quoque poena esse temporalis.

Tit. LIII. *De tribus donis Dei in homine.*

Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (Jac. 1). Tria sunt dona Dei in homine: Primum naturæ, quo subsistit; secundum gratiæ, quo eum meretur; tertium gloriæ, quo cum eo glorificatur. Omnia tamen sunt gratiæ. Per prima dona naturæ homines sumus; per dona gratiæ, justi; per dona gloriæ, erimus beati. Per prima, liberi a peccato creati; per secunda, de peccato liberati; per tertia, contra peccatum confirmati. Dona naturæ, memoria, ratio, voluntas; quibus præstamus brutis animalibus. Dona gratiæ, fides, spes, charitas: quibus dæmones superamus. Dona gloriæ æterna et vera felicitas, felix et æterna veritas, vera et felix æternitas: quibus angelis æquamur. In donis naturæ et gratiæ quædam sunt minima, quædam media, quædam magna. Prima sunt corporis pulchritudo, sanitas, et cætera, cum illis quæ ad corpus sustentandum pertinent: quæ si non abundant non obest, sed, sæpe prodest. Secunda sunt animæ, sicut ratio, mens, voluntas: quæ si vigent prosunt quidem sæpe ad salutem, sed nunquam nisi eis bene utamur. Tertia dona sunt bonus usus istarum dotium, quæ virtutes dicuntur. Sine primis bene interdum utimur; cæteris sine secundis raro; nunquam sine tertiis. Omne bonum est a Deo. Bonis bene utitur virtus, abutitur vitium. Hæc bona vel dona aliquando a Deo descendunt ad hominem, et tunc munera sunt; aliquando ab homine ascendunt ad Deum; et tunc merita. Aliquando homo ascendit ad dona, et tunc præmia sunt et fructus laboris. Itaque Dei dona sunt, prima, secunda, tertia: munera, merita, præmia. Munera et merita ascendunt ad præmia, et nos ascendimus ad ea. Omnia tamen a Deo descendunt, quia omnia ejus dona sunt. De munere ascendimus ad meritum, de merito ad præmium. Munus est simplex donum; meritum donum super donum, descendens a Patre luminum. Ex ipso enim donum, ex dono meritum, ex merito præmium: et Deus ipse per primum venit ad te. In secundo laborat tecum; in tertio requiescis in ipso. Itaque Deus est donum tuum; totumque bonum tuum est donum ejus, descendens a Patre luminum. Tu divisiones accipis, ipse non dividitur, participas ipsum in te, quia semper integer et idem manet in se: *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio (ibid.)*, Unde in te variatur, qui in se non mutatur.

Tit. LIV. *De triplici forma mundi: et de triplici vetustate et ejus remediis.*

*Nolite conformari huic sæculo; sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacita et perfecta (Rom. xii).* Mundus triformis est: Prima forma nobis congratulatur flore prosperitatis per delectationem; secunda qua nos deosculatur honore dignitatis per prælationem; tertiâ qua nos amplexatur amore potestatis per

dominationem. Per primam nos fatigat, per secundam vincit, per tertiam victos ligat. Sunt autem oscula mundi similia oculis Judæ. Judas Christum osculo tradidit in manus Judæorum; mundus, sequaces sui in potestate dæmoniorum. Judas dixit Judæis: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est; tenete eum (Math. xxvi)*. Mundus dicit diabolo et angelis ejus: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, damnate eum. Salubri ergo consilio monet nos Apostolus: Nolite conformari huic sæculo (Rom. xii)*, sed cur? quia triformis est, et tribus modis illi conformamur: per delectationem prosperitatis in luxuriam, per ambitionem dignitatis in superbiam, per abusionem potestatis in violentiam. Prosperitas emollit, dignitas extollit, potentia in ruinam compellit. Hæc sunt vitia quæ prius evellit, dicens: *Nolite conformari huic sæculo*. Quasi dicat: Declinate a malo. Secundo virtutes inserit, subiungens: *Sed reformamini in novitate (ibid.)*. Quasi dicat: Et facite bonum: Cum dicit *in novitate*, vetustatem notat præcessisse, quæ triplex est: Prima est in corde, carnis desideria per cogitationem: secunda est in ore, arrogantia per locutionem; tertia in opere, flagitia per exhibitionem. Si non esset vetustas in corde, non dixisset: *Renovamini in spiritu mentis vestræ (Ephes. iv)*. Si non esset arrogantia in ore, non diceret: *Ut omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus Deo (Rom. iii)*. Si non esset in opere, non diceret: *Exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, etc. (Rom. vi)*. Ecce triformis vetustas in imagine veteris hominis, quam *sicut portuimus, portemus imaginem cælestis (I Cor. ii)*, quæ triformis est: amor æquitatis in corde, contra carnis desideria, confessio humilitatis in ore contra arrogantiam, innocentia simplicitatis in opere contra flagitia.

Tit. LV. *De triplici proprietate lapidis et amoris, et de bono et malo pastore.*

*Dixit Dominus Petro: Petre, amas me? (Joan. xxi.)* Tres sunt proprietates lapidis: Sunt enim solidi, asperi, ædificio apti. Solidi eos designant qui non cedunt vitiis; asperi, eos qui aspere vivunt; ædificio apti, eos qui virtutibus proficiunt. Ille ergo Petrus est qui vitiis non cedit, aspere vivit, virtutibus proficit. Tria quoque considerantur in amore, ut proximum non negligat, seipsum diligat, Deum in partem (quia bonus est) eligat; proximum diligat, plusquam proximum se, Deum plusquam se. Cui hæc proprietates lapidis et amoris sunt, se esse Petrum vere fatetur. Tertio dicit Dominus: *Pasce oves meas (ibid.)*. Forma pasce, doctrina pasce, oratione sancta pasce. Petrus factus pastor boni pastoris prosequitur formam tribus modis; pascit servos correctione in virga pœnitentiæ, pascit mercenarios consolans mercede justitiæ, pascit filios erudiens gratia obedientiæ. Pastores autem malis aliis designantur proprietatibus. Sunt enim lapides duri, sicci, gelidi. Duri crudelitate, carentes spiritu mansuetudinis; sicci ariditate, non habentes humorem

gratiæ; gelidi, igne Spiritus sancti non calentes. **A** Hi, dicente ter Domino: *Amas me*, non vere respondere possunt; Amo te aut me. Proximum enim talis odit ex malitia, seipsum ob pigritiam negligit, ex avaritia Deum non colit: In proximum nocens ex despectu; in se pestilens ex defectu; in Deum præsumens ex contemptu. Hi audientes: *Pasce oves meas*, pascunt eas perverse tribus modis: Operis forma, docentes male vivere per transgressionem facti; verbi doctrina, docentes caute fallere per abusionem facti; orationis opere, docentes causas agere per contemplationem nummi. Prælati ergo mali sic pascunt oves Christi pro se, imo sic depascunt, vellus abstrahunt, lac bibunt, carnes corrodunt. Considerans autem quod pastor a pascendo dicitur, ne sit pastor vel nomine tantum, ex toto negligit gregem, et omni studio pascit ventrem, idque modis tribus. Suavi ciborum sapore condito, ut bene sapiat gustui; delectabili odore aromatico, ut bene redoleat odoratui; desiderabili nitore mirifico, ut placeat aspectui. Ecce Nabuzardam coquus Pharaonis, qui muros dejecit Jerusalem. Gulositas enim corpus animam et mentem, quasi civitatem quandam destruit.

TIT. LVI. *De optima parte eligenda.*

*Maria optimam partem elegit (Luc. x).* Optimum dicitur excessu duorum. Bona est castitas conjugalis; melior, continentia vidualis; optima, pudicitia virginalis.

TIT. LVII. *Quomodo succingi deceat ad viam, accingi ad prælium, et præcingi ad mensam, et de zona qua cingamur.*

*Sint lumbi vestri præcincti (Luc. xii).* Succingimur ituri, accingimur præliaturi, præcinguntur ministraturi. Hæc tria tribus debentur in ecclesiasticis disciplinis, viæ, pugnae, mensæ. Viæ cursum, pugnae conflictum, mensæ ministerium. Via est operum, pugna est hostium, mensa sacramentorum. Succingi ergo debemus ad viam cingulo patientiæ, accingi ad pugnam gladio pœnitentiæ, præcingi ad mensam linteo continentiæ. Spectat quod dicitur Petro: *Alius te cinget (Joan. xxi) ad cingulum patientiæ. Ad pœnitentiæ pugnam: Qui non habet gladium, vendat tunicam et emit gladium (Luc. xxi), id est* **D** relinquat conversationem mundi, et assumat pœnitentiæ fructum. Ad linteum continentiæ feminalia linea Aaron et filiorum ejus. Hæc tria scilicet, cursum in via, bellum et ministerium, Paulus et in se exhibuit et alios docuit. Cucurrit enim, dicens: *Curro non quasi in incertum (I Cor. ix)*; et: *cursum consummavi (II Tim. iv)*. Currere docuit, dicens: *Sic currite ut comprehendatis (I Cor. ix)*. Pugnavit, dicens: *Sic pugno non quasi aerem verberans (ibid.)*; et item: *Bonum certamen certavi, etc. (II Tim. iv)*. Pugnare docuit, dicens: *Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinere (I Cor. ix)*. Ministravit, dicens: *Ministri Christi sunt et ego (II Cor. xi)*. Ministrare docuit, dicens: *Ut non vituperetur*

*ministerium nostrum (II Cor. ix)*. Succincti igitur ad viam a quatuor ejus impedimentis caveamus. Est enim via aspera, ruinosa, clivosa, lutosa. Aspera, lapidibus laborum; ruinosa, vallibus defectuum; clivosa, collibus successuum; lutosa, paludibus voluptatum. Lapidibus offendimur, ruinis cadimus, paludibus demergimur. Accede ad pugnam et *accingere gladio tuo super femur tuum (Psal. xlii)*: *Militia est enim vita hominis super terram (Job vii)*. Pugna hæc hostium est superabilem, licet immortalium. Hi triplicem contra aciem instruunt. Prima est suggestionum, secunda occasionum, tertia occupationum. Suggestionum impugnat, occasionibus expugnat, occupationibus ligat. Suggestiones turbant affectus, et advocant in auxilium delectationes et consensum: quibus vincit et non vincitur nisi occurratur, acies prima. Occasiones sensus impediunt et considerantur ex loco, tempore, et persona. Locus solitarius præbet audaciam; tempus nocturnum, confidentiam; persona luxuriosa et impudica ansam. Hæc sunt fugienda, ut non vincat acies secunda. Occupationes actus confundunt, et consistunt circa duos actus, scilicet publicos, ut sunt administrationes extrinsecæ prælatorum, abbatum et consilium: et actus privatos, ut scribere, pingere et hujusmodi. Hæc si quis inoffenso pede pertransit, de tertia turma triumphat. Prima acie videlicet suggestionum, victa est turma (*Gen. xxxii*); secunda, id est, occasio, capta est Dina (*Gen. xxxiv*); tertia, quæ est occupationum, corrupta est Thamar soror Ahsalonis ab Annon (*II Reg. xiii*). Per viam et pugnam vocaris ad mensam (quæ est sacramentorum) cui quoniam ministraturus accessis, *sint lumbi tui præcincti linteo continentiæ*; nam per linum munditia carnis, per lumbos luxuria designatur. Ad hanc lumborum restrictionem tria hæc verba vim suam legimus accommodare, ut jubeamur succingi, accingi et præcingi. *Succincti lumbos vestros in veritate (Ephes. vi)*: ait Apostolus: Et Dominus ad Job: *De turbine accinge sicut vir lumbos tuos (Job xl)*. Et in Evangelio: *Sint lumbi vestri præcincti*. Hoc linteum continentiæ significat lumbare illud lineum prophetæ quod primo posuit super carnem suam; inde tulit et posuit in flumen Enphrate, cumque reverteretur ut tolleret, computruerat ut nulli usui aptum esset (*Jer. xiii*). Lumbare super carnem est continentia refrenans eam: pœnitur in flumen, quando relaxatur in fluxa sæculi voluptate. In ea computrescit, quando inter carnales delicias continentia dissolvitur et perit. Nullique usui est jam lumbare aptum, quia neque Deo neque hominibus acceptum. Hoc lumbare significat zona pellicea Joannis et Eliæ. Nam uterque zonam pelliceam super lumbos legitur habuisse. Duo sunt lumbi, voluptas permissa et illicita. Permissa in conjugatis; illicita in solutis et devotis. Præcingendus est lumbus conjugatorum, ne ad allam accedant; solutorum, ne aliquam tangant nisi ducant, devotorum ne tangant vel ducant. Hi præcingi maxime debent, ut qui ser-

viunt Domini mensæ. *Mundamini* inquit *qui fertis vasa Domini* (Isa. LI). Huic mensæ qui ministrant præcingant se zona Joannis et Eliæ, id est continentia, quam quidem habuerunt et habent, ut virgines perpetuo continentes. Quidam prius non habuerunt, sed nunc habent, ut pœnitentes; quidam nec habuerunt nec habent, ut in luxuria permanentes. Qui tenet teneat, quia beatus qui tenebit; qui non habuit, emat; qui perdidit, redimat. Præsto est venditor qui corium suum exposuit ad vendendum, et de proprio non de alieno largas in cruce fecit corrigias. Et pretium hujus zonæ modicum erit: duo tantum denarii, oratio et jejunium. *Hoc genus dæmoniorum*, inquit idem venditor, *non ejicitur nisi in oratione et jejunio* (Marc. IX). Hi autem denarii probi non falsi sint, quia qui reprobam pecuniam solvit, non se liberat. Nummorum autem probitas in tribus consistit. Materia, pondere, figura. Materia est charitas, quæ auro comparatur; pondus spes, quæ a terrenis subleuat; figura fides, quæ signum crucis frontibus nostris imprimit. Hanc monetam dicit Apostolus valere, dicens: *Omnia opera vestra in charitate fiant* (Rom. XVI). Et quod extra hanc materiam fabricata sit falsa ostendit, dicens: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; et si tradidero corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (I Cor. XIII). Sine figura fidei non est vera. *Impossibile est*, ait idem Apostolus, *sine fide placere Deo* (Hebr. XI). Si ergo unum defuerit a jejunio et oratione tua, crimen falsæ monetæ incurris, quod est vivorum exustio. Si enim falsam monetam Deo obtuleris, perpetuis ignibus concremaberis. Vide ergo ut oratio tua dirigatur in conspectu Domini, et jejunium tuum sit acceptum. Alia est oratio Tullii, alia Pharisæi, alia publicani, Tullii demulcet, Pharisæi exacerbatur. *Non sum* (inquit) *sicut cæteri hominum*, etc. (Luc. XVII). Justus impetrat; quæ si sit assidua multum valet. Sit jejunium tuum quod eligit Deus, non sicut faciunt *hypocritæ tristes ut appareant jejunantes; sed unge caput*, id est, mentem oleo lætitiæ, *lava faciem lacrymis pœnitentiæ* (Matth. VI). Sed est zona pellicea quam juberis redimere, sic formanda. Primo separanda a carne per votum, ut incidatur gladio quem venit Dominus mittere in terram: Quo separantur D quique a domo, filius a patre, filia a matre, nurus a sacro (Matth. X). Secundo aspergenda sale per metum, ne corrumpatur, quia sal vermes fugat, et timor Domini expellit peccatum. Tertio exsiccanda sole per desiderium, ne dissolvatur, quia sol exsiccatur, et desiderium inflammat. Quarto unguenda oleo per gaudium, ne frigescat, quia gaudium conscientiæ lætum et hilarem facit. *Gloria*, inquit, *Apostolus nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (II Cor. I). Quinto radenda ferro per zelum ne sordet, quia zelus etiam in aliis libidinis perimit sordes. Sexto coloranda est minio, per bonum testimonium, quia testimonium bonæ famæ coloratum et acceptabilem hominibus facit. Hac ergo zona de cor-

rigia carnis crucifixi, duobus jam dictis denariis sic empta, si præcinxeris lumbos tuos, secure ministrabis in mensa Domini.

TIT. LVIII. *De surditate, morte et paupertate triplici.*

*Surdi audiunt, mortui surgunt, pauperes evangelizantur* (Matth. XI). Surditas tribus modis provenit. Mors tribus modis invalescit. Paupertas in tribus consistit. Surditas provenit ab ineunte nativitate, ab accidenti infirmitate, a deficiente ætate: hæc autem surditas est naturalis. Est alia spiritualis, quæ in eo comprobatur quod tribus modis locutus est Deus, nec eum audivimus. Locutus est lege naturæ, figura Scripturæ, verbo rei venturæ. Lex naturæ locuta est in corde, scripta in opere: verbum rei in homine. B Ab hac triplici surditate Dominus nos triplici excitat vocatione, ter vociferans: Venite, venite, venite. Prima vocatio: *Venite, filii audite me* (Psal. XXXIII). Secunda: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth. XI). Tertia: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (Matth. XXV). Prima vocatio surditatis nostræ solvit torporem; secunda auribus audiendi reparat vigorem; tertia, audita conservat per tenorem. Mors tribus invalescit: necessitate, infirmitate, effertate. Naturaliter scilicet per senium, accidentaliter per febrem, crudeliter per venenum et ferrum. Similiter mors spiritualis tribus modis invaluit per affirmationem, per dubitationem, per negationem. Dominus affirmavit, dicens: *Quacunque hora comederis morte morieris* (Gen. III). Mulier dubitavit, dicens: *Ne forte moriamur* (ibid.). Diabolus negavit, dicens: *Nequaquam moriemini* (ibid.). Est igitur mors triplex: C pravi consensus, pravi operis, pravæ consuetudinis. Primæ mortis causa est quod Adam *abivit in consilio impiorum* (Psal. I). Secunda quod *stetit in via peccatorum* (ibid.). Tertia quod *sedit in cathedra pestilentiarum* (ibid.), corrumpens alios per exemplum. Dominus ab hac triplici morte tribus modis nos suscitavit, compunctione, confessione, afflictione, ut sit compunctio per amaritudinem spiritus contribulati; confessio in veritate sermonis prolata; afflictio in asperitate corporis macerati. Paupertas in tribus consistit, quia alia est simulatoria, alia necessaria, alia voluntaria. Simulatoria in hyp̄critis; necessaria, in egenis; voluntaria, in electis. Prima infert damnationem, secunda expiationem, tertia remunerationem. Sustinentes paupertatem necessariam consolatur Dominus per prophetam: *Noli, inquit, timere; non confunderis, panpercula, tempestate concussa* (Isa. LIV). Unde patet quod evadit damnationem, non tamen meretur coronam. Unde subdit: *Excoisite, sed quasi non argentum* (ibid.). Voluntaria vero primam habet coronam. Hæc est in spiritu. Simulatoria est ex voluntate, sed non ex veritate: ideo nec in spiritu. Voluntas autem sine spiritu est sicut corpus sine anima, quod cadit, putrescit, solvitur in pulverem. Dum autem homo humiliatur in spiritu suo, ut de se in nullo præsumat, incipit deficere

ejus spiritus et Deo adhæret et tunc unus spiritus cum eo efficitur; spiritus quidem voluntatem ejus aspirat et implet, et voluntas sic effecta spiritualis solet dici spiritus: et hæc est paupertas spiritu, id est, voluntate spirituali. Similiter est possessio triplex: alia perniciosa in avaris, alia otiosa in conversis tepide, alia onerosa in devotis. De perniciosa dicit Apostolus: *Omnes qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes diaboli (I Tim. vi)*. Otiosa in illis qui nil habentes exterius, multas sibi interius proponunt possessiones, tanquam somniantes. De onerosa: *Non potestis Deo servire et mammonæ etc. (Matth. vi)*.

*De tribus tristibus fugiendis aut in gaudium convertendis.*

*Tristitia vestra vertetur in gaudium (Joan. xvi)*. Tristitia quæ vertitur in gaudium triplex est. Nam præterita peccata damnat, præsentia dijudicat, occurrentia vitat; damnat per pœnitentiam, dijudicat per discretionem, vitat per providentiam. Ex pœnitentia de præteritis assequitur veniam, ex discretionem de præsentibus tutelam, ex providentia de futuris cautelam. Præterita delentur per veniam, quasi non fuerint; præsentia vincuntur per displicentiam, ut nil nocere possint; futura excluduntur per cautelam, ut nunquam sint.

**TIT. LIX.** *Cur ter dictum: « Pasce oves meas. »*

*Pasce oves meas (Joan. xxi)*. Ter dictum est, quasi dicat: Pasce servos, pasce mercenarios, pasce filios. Servos corriges virga directionis; mercenarios, consolans mercede justitiæ; filios, erudiens gratia obedientiæ; adjungens modum in correctione, abundantiam in consolatione, suavitatem in persuasionem.

**TIT. LX.** *De refectioe spirituali, et de arbore paradisi et fermento veteri.*

*Expurgate retus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi (I Cor. v)*. Ad epulas divinas et ad refectioem animæ nos invitat Apostolus: ad quas invitata sponsa Dei, umbram quam desideraverat se accepisse gaudens, dicebat: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo (Cant. ii)*. Est enim in medio paradisi arbor vitæ, dans umbram, folium, fructum. Paradisus iste conventus est religiosorum, congregatio monachorum. Sumus et nos, si tamen congregati sumus corde, et non solo corpore, ad glorificandum Deum. Si enim dissentio est in mentibus, nihil prodest corporibus congregari; nam potius dissensio dicendi sumus quam congregatio. Quod si datum fuerit desuper ab eo qui facit unius moris habitare in domo, illud donum perquam jucundum, quod est habitare scilicet fratres in unum, in dilectione, charitate et unitate, tunc vere paradisi, id est hortus voluptatis Dei sumus, in quo Deus congaudet et delectatur, tuncque habitat in nobis. In medio talis paradisi est arbor vitæ, id est Christus dans vitam. Quod ipse promisit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (Matth. xxviii)*. Quia ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine

*meo, ibi sum in medio eorum (Matth. xviii)*. Arbor ista, id est Christus, dat umbram, folium, fructum: Umbram protectionis, folium præceptionis, fructum æternæ retributionis. Dat umbram, nos in circuitu protegendo; a dorso, peccata præterita condonando; a facie, ab imminentibus malis custodiendo; a dextris, protegendo ne nos prospera extollant; a sinistris, ne adversa conturbent. Post umbram sequitur folium præceptionis, qua retrahit a malo et trahit ad bonum. Quod est: *Fac bonum et declina a malo (Psal. cii)*. Post umbram et folium est fructus retributionis, in qua *satiabitur in bonis desiderium nostrum (Prov. xiii)*. Sedet igitur sponsa sub Dei umbra divinæ protectionis, folium ipsius præceptionis per obedientiam recipiendo, et per spem fructum æternæ retributionis expectando. Sedet autem super fenum cum quinque millibus in deserto a Domino saturandis, id est super quinque sensus corporis, carnem, quæ feno significatur, domando, aut sedet super scabellum, quo mundus notatur, ipsum et ejus desideria comprimendo; aut cum Rachele super idola Laban, diaboli fallacias reprimendo. Isti sunt tres homines pessimi, vetus fermentum illud miseræ animæ conficientes. A quo nos Apostolus præcipit expurgari, dicens: *Expurgate vetus fermentum*. Hoc vetus fermentum consistit in tribus: in voluptate, vana gloria, superbia. Diabolus superbiam dat, mundus apponit vanam gloriam, caro miscet voluptatem: et simul faciunt vetus fermentum, id est veterem hominem. Prima pars hujus fermenti est mala, secunda pejor, tertia pessima. Beatus, qui abjicit superbiam diaboli; perfectior, qui vanam gloriam mundi; perfectissimus, qui carnis domuerit voluptatem. Samson leonem vicit, et Philisthæos debellavit; sed eum uxoris frangit mollietis. Leo est diabolus, qui circumit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret. Philisthæi sunt mundus et sæcularis vita. Uxor est caro. Samson leonem occidit, dum quilibet spiritualis diabolo abrenuntiat. Philisthæos vincit qui mundanam vitam respuit; sed ab uxore decipitur dum a carne superatur. Dormit in gremio uxoris, qui carnis curam facit in desideriis. Tunc insurgunt Allophyli, veniuntque spiritus maligni, capillos incidunt, id est virtutes tollunt, oculos eruant, id est lumen Christi auferunt, et ad molam, id est in circuitu rerum labentium ponunt, ut sit inter illos de quibus dicitur: *In circuitu impii ambulat (Psal. xi)*. Ecce quod deducit prima pars fermenti voluptas carnis. Videamus quo et aliæ duæ infectiones, vana gloria et superbia pertrahunt. Istæ enim duæ sunt duæ filiæ Lot, quæ ipsum, postquam Sodomam exivit, uxorem reliquit et Segor, pusillam civitatem in qua salvari poterat, ad cacumina montis sequuntur, et ipsum inebriant; qui ebrius filios generat, qui non intrant in Ecclesiam Dei. Lot iste monachum notat, qui Sodomæ flammam, et uxoris, id est carnis, quæ retroscepit, ac etiam licitam sæcularium vitam, in qua potisset

salvari, deserit, et ad cacumen perfectionis monasticæ professionis ascendit. Sed in perfectionis statu duæ filiæ de patre quasi de se generant filios, id est talia opera quæ non intrant in Ecclesiam Dei. Ecce quo pertrahant secunda et tertia pars fermenti. Nos itaque, fratres, ne per carnem oculos et lumen Christi perdamus, per superbiam et vanam gloriam a cœlesti gloria excludamur, expurgemus vetus fermentum, superbiam per humilitatem domando, et vanam gloriam per puritatem rectæ actionis abjiciendo, et voluptatem carnis per abstinentiam mortificando, ut simus nova conspersio, novus panis absque fermento, qui datur populo exeunti de Ægypto, qui apponitur Eliæ fugienti malam Jezabel reginam (*III Reg. xix*). Mala regina est caro, quæ, carnalibus desideriis dedita, virtutes quærit occidere et illis dominari. Hæc persequitur Eliam et quemlibet spiritualem qui concupiscit adversus spiritum. Elias hanc fugit, concupiscentiam ejus relinquendo. Venit in Bersabee Juda ad confessionem, ubi est puteus gratiæ septiformis Spiritus, et dimittit ibi puerum suum, relinquit in confessione puerilem sensum et puerilia opera cum apostolo evacuans quæ erant parvuli, abit in desertum, id est mundi contemptum; dormit sub umbra juniperi, id est quiescit a vitiis; sub duris pœnitentiæ operibus vigilat, et panem sub cineribus manducat, quia dum quiescit a vitiis, duris premitur pœnitentiæ spinis, et dum vigilat, dura ei proponuntur et aspera. Panis enim subcinericus est vita pœnitentiæ. In pane enim vita, in cinere notatur pœnitentia. Post primum somnum dormit, et iterum vigilans ambulat ad montem Dei Horeb. Primus somnus est pausa a vitiis; secundus, quo requiescunt sancti a laboribus suis in Domino mortui, et perveniunt ad celsitudinem gloriæ in fortitudine panis subcinericii, id est vitæ pœnitentialis, qua se pro peccatis affligunt. Hic panis est proprie monachorum. Ipsi enim non inducuntur, nisi dura et aspera. Panis proponitur cum cinere, id est vita cum pœnitentia, qua macerare seipos debent per sacrificium cordis contriti et sacrificium carnis mortificatæ, ut perveniant ad sacrificium corporis Christi. Quod ut assequantur, præcedat sacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, ut habeatur devotio in vivi Agni immolatione. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus (I Cor. v)*. Qui immolatur quia ipse est Agnus qui decima die tolli, quarta decima præcipitur immolari. Qui non crudus, non aqua coctus, sed igne assus editur? (*Exod. xii*.) In denario sumitur propter Decalogum Veteris Testamenti; et in quaternario propter quatuor Evangelia *Agnus ergo qui tollit peccata mundi (Joan. i)*, decima luna tollitur, quia in Veteri Testamento venturus prædicitur, et in quarta decima immolatur, quia in Novo Testamento crucifigitur. Hic a tribus generibus hominum tripliciter manducatur. Manducatur enim crudus, aqua coctus, igni assus. Primum genus hominum infideles sunt, secundum, stulti fideles; tertium, boni fideles. Infideles crudum, stulti fideles

aqua coctum, boni fideles igni assum. Crudus manducatur, dum purus homo creditur; aqua coctus, dum creditur etiam Deus; sed quomodo de Virgine nasci, et Deus homo fieri potuit per humanam sapientiam discutitur. Tunc enim coquitur in aqua, dum investigatur humana sapientia. Igni autem assus comeditur, cum Deus et homo passus creditur, et igne Spiritus sancti conceptus et natus. Agnus enim assus Christus est passus. Infideles enim quasi crudum sine sapore glutunt, qui Christum purum hominem sentiunt; stulti fideles aqua coctum accipiunt, quia humana eum sapientia investigare præsumunt, et boni fideles agnum assum sibi incorporant, qui Christum Deum et hominem Spiritus sancti operatione fideliter edentes, corpus ejus et sanguinem devote suscipiunt.

TIT. LXI. *De triplici transmigratioe et nube.*

*Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, etc. (Act. i.) Galilæa transmigratio interpretatur. Hæc triplex est: alia enim est in carne, alia in pœnitentia, alia in charitate. Transmigratio in carne triplex, à bono statu in delectationem peccati, a delectatione in operationem, ab operatione in consuetudinem. Transmigratio quoque in pœnitentia triplex est: a peccato in cordis contritionem, a contritione in oris confessionem, a confessione in operis satisfactionem. Transmigratio in charitate itidem triplex est; a bono dolore pœnitentiæ in jucunditatem justitiæ; a bono opere justitiæ in spem et fidem gloriæ; a contemplatione fidei et spei ad contemplationem rei. Bona est quidem pœnitentia; sed quamdiu secum loquitur in amaritudine sua non est jucunda; cum vero cœperit operari, ut jam timor peccatorum absumatur a desiderio æternorum, innox a bono doloris transmigrat in bonum jucunditatis. Prima igitur transmigratio in charitate est a bono pœnitentiæ in bonum jucundum justitiæ; secunda, a bono opere justitiæ in contemplationem fidei et spei; tertia a contemplatione fidei et spei in contemplationem rei. Primi horum omnium transmigratores sunt carnales, quia in carne sunt et secundum carnem ambulant. Secundi sunt rationales, qui in carne sunt sed secundum carnem non ambulant. Tertii mere spirituales, quorum *conversatio in cælis est (Philipp. iii)*. Istis duobus posterioribus transmigratoribus dicitur: *Viri Galilæi, etc.* Isti enim Deum vident ascendentem; sed aliter primi, aliter secundi: quia dupliciter ascendit Deus, in voce tubæ et in jubilo, Pœnitentibus ascendit in voce tubæ charitativis in jubilo. In tuba ascendit pœnitentibus, quando timore Dei horribiliter intonante peccator respicit. In jubilo ascendit charitativis tribus modis: Jubilus enim alius in corde, alius in ore, alius in opere. In corde jubilat qui conceptam lætitiã voce non potest exprimere, nec tamen potest vocem reprimere. In ore jubilat qui subtilia de Deo cogitans in ipso anhelat proficere, et cogitur deficere, In opere jubilat qui ad diligendum Deum tota vir-*

tute suspirat, cum hoc in praesenti plane facere A nequeat; nam in visione fidei non quantum in visione Dei diligitur. Hos modos innuit Psalmista, dicens: *Jubilare Deo, omnis terra; cantate, exsultate, et psallite (Psal. xcvi).* Cantate jubilo oris, exsultate jubilo cordis, psallite jubilo operis. In charitate ergo ascendit Deus in jubilo ad amplectendum. Eum Galilaeus verus aspicit, ut eum jubilaré faciat ascendens Deus in nube. Nubes alia bona, alia mala. Mala triplex est: Prima voluptatis, secunda iniquitatis, tertia phantasiae. Prima est lutosá, quia hominem sœdat; secunda fumosa, quia unde voluptates postponit, avaritiam autem et cœteras nequitias tenet, deterior efficitur, et quasi fumus oculum, ita excœcat rationem; in tertia vero nube, scilicet phantasiae, ii qui nubem voluptatis et iniquitatis evaserunt in orationibus perturbantur. Contra has nubes Dominus ascendit in bona nube. Et hæc triplex est: alia tonitruí, alia pluviae, alia diei. Prima horrida, secunda humida, tertia lucida. Horrida terret, humida rigat, lucida illuminat, ostendendo quantum sit justis repositum præmium, ut perseverantiam expectent. Contra ergo triplicem malam nubem in triplici nube Dominus ascendit. Dum igitur, vir Galilaeus, transmigrans in charitate, Deum ascendentem contemplatur, quia non plene capit evanescentem ab oculo cordis sui, dolet et tristatur. Et ecce duo viri astiterunt in vestibus albis qui charitatem consolantur. Hi sunt spes et fides: spes promissorum, fides gloriæ. Qui inquirunt: O charitas, quid hic desperando stas? crede Deum velle, scire, et posse quod promisit dare. Dicit fides: Spera te glorificandam. Dicit spes: Vere enim ita veniet tibi dare gloriam quemadmodum vidisti eum ascendentem in cœlum. Nos itaque, fratres, de mala Galilæa transmigramus ad bonam, relinquentes nubes contrarias, ascendamus ad Deum in bonis nubibus, ut cum ille qui ascendit in iudicium advenit, eam nobis gloriam tribuat quam promisit.

Tit. LXII. *De tabula pœnitentiæ, de alis columbæ et corvi, labroque æneo quod fecit Moyses de speculis mulierum.*

*Confitemini alterutrum peccata vestra (Jac. v).* Hæc est secunda tabula post naufragium, qua per mare hujus mundi natamus, ne pereamus. Hæc est una ala (nam altera est oratio) qua columba ab arca cordis sui volat ad olivam cordis misericordiæ Dei, et inde reportat ad arcam Noe, id est hominis in periculo constituti, ramum divinæ miserationis. Corvus, cujus vox non est pœnitentiæ gemitum dare, pro cantu præsentis lætitiæ, potius cras cras, ab arca alis falsæ spei et adulationis, ad cadaver evolat putridæ voluptatis, nec ad arcam sui cordis revertitur, ut pœniteat et lavetur a putredine cadaveris et carnis mortuæ in proposito. Sic labro æneo quod Moyses fecit de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi (*Exod. xxxviii*), ut sacerdotes ingressuri Sancta sanctorum in eo prius lavarentur (*Erod. xxx*), Moyses legem designat. Labrum

æneum est pœnitentia dura: specula divina præcepta, mulieres excubantes in ostio tabernaculi, sanctæ animæ sunt, quæ quoad in hac vita sunt, quia æternum tabernaculum ingredi nequeunt, amore continuo aditum regni observant. Mulieres istæ habent specula mandatorum, in quibus dum se semper aspiciunt, sœditatis suæ maculas deprehendunt et corrigunt; et quid in se cœlesti viro vel placeat vel displiceat agnoscunt, et quasi remittentes vultus ex reddita imagine componunt. Moyses itaque de speculis mulierum quæ excubabant ad ostium tabernaculi facit labrum sacerdotibus ad lavandum, quia lex Dei lavacrum peccatorum exhibet, per quod sanctæ animæ aditum supernæ patriæ expectantes, per considerationem divinorum mandatorum, suas maculas et videbant et emendabant. Dum enim lex divina David ex divino mandato peccatum recognoscens, et emendantem nobis proponit, quid aliud quam Moyses labrum ablutionis de speculis illius facit? Nos itaque sumus, fratres, sacerdotes illi qui sacra bonorum operum vobis et aliis dare debemus. Nobis autem ingressuris Sancta sanctorum, internæ scilicet habitationis aditum, proponitur labrum de speculis mulierum, pœnitentia scilicet per exemplum antiquorum Patrum. Si igitur volumus ingredi, prius in hoc lavacro lavemus maculas cordis: quod nobis facit Moyses, id est, lex illa quæ dixit: *Confitemini alterutrum peccata vestra (Jac. v)*: ut sic beati efficiamur ad videndum Deum, qui vivit et regnat. Amen.

Tit. LXIII. *De contemnendo mundo et laqueis ejus.*

*Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt, quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (I Joan. ii).* Pulchritudinem animæ, fratres, secundum quam creati sumus ad imaginem et similitudinem Dei, mundus non mundat, sed maculat; dumque imagini, qua super nos signatum est lumen vultus Domini (*Psal. iv*), terrestris vultus imaginem mundus superducit, imaginem suam deturpatam Deus abjicit; et tunc hostis diabolus animam coinquinatam per mundum, eam, mundi laqueis ligat, captivat, et suffocat. Inimicus enim Dei constituitur qui voluerit esse amicus mundi hujus, per quem diabolo capitur homo, et ejus Domino subjugatur. A dilectione igitur mundi volens nos retrahere B. Joannes evangelista, et ejus laqueos ostendere, ait: *Nolite diligere mundum: quia nemo potest duobus dominis servire (Matth. vi)* Deo et mundo. Alter enim ad vitam, alter trahit ad laqueos mortis. Unde subdit: *Quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (I Joan. ii).* Isti sunt tres laquei: Primus *concupiscentia carnis*; secundus, *concupiscentia oculorum*; tertius, *superbia vitæ*. Istorum quem non tenuerit primus, capit secundus; et qui per gratiam Dei a duobus prioribus se excusserit, vix transiliet tertium. *Concupiscentia carnis* est voluptas quam per motum illicitum caro appetit, ut gulositas, ebrietas, luxuria. Per hunc laqueum tanto

clitlus mundus ligat quanto vicinius carni mentem apponit, tantoque periculosior quanto vicinior. Adam per gulam, Lot per ebrietatem, Salomon per luxuriam stravit. Gulositati igitur, quæ captivitatis nostræ fuit initium, per abstinentiam occurramus; ebrietati, per sobrietatem; luxuriæ, per carnis macerationem. Multi autem sunt quos per carnis vitia non tenet diabolus, sed per concupiscentiam oculorum cupiditatis laqueum trahit. Hi primum laqueum evadentes, secundo capiuntur qui dicitur *concupiscentia oculorum*. Per oculum enim dum aurum et argentum et cætera concupiscit, mors ad animam per fenestras intrat, et captivam eam in exterioribus ligat. Super hunc ridebitur et dicetur: *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum*, etc. (*Psal. LI.*) Huic laqueo si occurrat consideratio Creatoris, qui creatura debet pretiosior videri, cavendum est a tertio, qui sævit per omnes. Sunt qui carnem domant, mundum respuunt: sed dum quasi de perfectione superbiunt, tertio tenentur *superbia vitæ*. Hoc vitium primum est recedentibus: ultimum redeuntibus. Hoc est proprium diaboli; et ideo magis cavendum. Hoc est una de filiabus Lot, quæ ipsum etiam in cacumine montis stravit. His tribus laqueis capitur quicumque capitur, quia in his omnia vitia includuntur. Aut enim exterioribus, quæ in mundo; aut vicinioribus, quæ in carne; aut interioribus, quæ in corde sunt, homo ligatur: ultimus enim laqueus intra nos latet: secundus extra nos latet vel tenditur; primus juxta nos paratus. His tribus tentatus est primus homo et victus (*Gen. III.*) His tribus tentatus est et vicit secundus homo. His tribus tentatur et, si vult, adjuvatur et vincit omnis homo. Contra gulæ vitium, quod est laqueus carnis, Christus desertum petit et jejunit, respondens tentatori, quod *non in solo pane vivit homo* (*Matth. IV.*) Contra concupiscentiam rerum exteriorum, Deum creatoris præponendum ait. Contra superbiam, qua suasit tentator, ut deorsum se mitteret, sicut et in cæteris ad Scripturæ testimonia confugit: *Deum tuum adorabis et illi soli servies* (*ibid.*). Christi ergo exemplo qui nos docuit vincere, in his tentati ad Scripturæ defensionem curramus. Et quia tempore abstinentiæ magis tentamur, magis etiam resistamus, et in deserto monasticæ professionis, ubi dimisso principe vanitatis, in Judæa confessionis cum Elia jejunamus a cibis, jejunemus a vitiis ut post victoriam et hic angelos recipiamus ministros in adiutorium, et in futuro ad gloriam, ubi gloriæ libertatem recipiemus. Est enim triplex libertas: naturæ, gratiæ, et gloriæ. Prima fuit in paradiso in omnibus; secunda in mundo, in quibusdam; tertia in bonis, tantum in cælo. In paradiso fuit libertas collata a necessitate peccati et pænæ; in mundo, a necessitate peccati non pænæ; in cælo, ab utroque. Libertas igitur naturæ a necessitate fuit in paradiso, quando nulla ante primum peccatum necessitas patiendi vel peccandi incumbere homini. Libertas gratiæ a peccato in mundo, quia per Christum recipimus peccatorum

A remissionem: sub quorum jugo ut servi tenebamur. Libertas gloriæ inerit cælo, quia tunc ab omni peccato et pænâ liberati, in cælesti beatitudine gaudebimus. Sed in his omnibus, *si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan. VIII.*), dicit Dominus, qui vivit et regnat. Amen.

TIT. LXIV. *De multiplici luctatione fidelium in hoc mundo.*

*Non est nobis colluctatio*, etc. (*Ephes. VI.*) Multiplex est luctatio fidei homini in hoc mundo. Pugnatur enim contra carnem, pugnat contra hominem, pugnat contra diabolum. Contra carnem, sicut dicit Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum* (*Gal. V.*) Et idem: *Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Rom. VII.*) Pugnatur contra homines impios, de quibus Dominus: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan. XV.*) Considerat enim peccator justum, et querit mortificare eum. Habet tertium inimicum, eo asperiozem quo callidiorum, de quo Apostolus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem* (supra tantum), *sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in cælestibus* (*Ephes. VI.*) Primus itaque hostis, scilicet caro, nocet illicitos motus incitando; secundus scilicet tyrannus, tribulationes inferendo; tertius, scilicet diabolus, tentationes suggerendo. Primus vincendus est jejuniis, vigiliis, laboribus, carnem domando. Hoc docebat Apostolus verbo et exemplo: verbo dicens: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram* (*Col. III.*), *quia non sumus debitores carni et secundum carnem vivamus* (*Rom. VIII.*) Exemplo: *Castigo*, inquit, *corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor. IX.*) Secundus autem hostis vincendus est patiando, dicente Apostolo: *Non vos defendentes, charissimi* (*Rom. XII.*) Et Domino dicente: *Diligite inimicos vestros* (*Luc. VI.*) Et: *Si quis percusserit te in maxillam unam, præbe ei et alteram* (*Matth. V.*) Tertius quoque hostis repellendus est non consentiendo, dicente Apostolo: *Notite locum dare diabolo* (*Ephes. IV.*) Quotcumque vitiorum sagittas ille in te direxerit, tot contra eas de sanctæ Scripturæ armario munimentorum clypeos tibi oppone. Si adulterii furtive jaculo te conatur ferire, clypeum quo tibi præscribitur: *Non mæchaberis* (*Exod. XX.*); vel quo cavetur: *Non furtum facies* (*ibid.*), illi oppone. Sed ut primum vincamus, carnis nos delectatione exuamus, quia *qui in carne sunt Deo placere non possunt*. *Si enim secundum carnem vixeritis moriemini* (*Rom. VIII.*) Ut vero secundum lucremur, faciamus quod dicit Apostolus: *Si inimicus tuus esurierit, ciba illum* (*Rom. XII.*): verbo scilicet Dei, ut ores pro persequentibus, et benedicas tibi maledicentibus. Hoc autem faciens: *Carbones ignis congeres super caput ejus* (*Ibid.*), id est, ignem charitatis super mentem ejus. Ut a tertio non vincaris, habites in adiutorio Altissimi (*Psal. XC.*), quia qui in eo habitat, *non commovebitur* (*ibid.*). Sic ergo et primum hostem vince, et secundum lucrari, et a tertio ne vincamur,

debemus sub alis defensionis ejus consurgere, qui *sicut gallina a facie milvi congregat pullos suos sub alas* (*Matth. xxiii*), et quasi perlix fovet filios quos non peperit; quasi aquila provocat eos ad volandum.

**TIT. LXV. De multiplici ingressu Christi.**

*Ingressus Jesus in templum cæpit ejicere vendentes et ementes, etc.* (*Luc. ii*). Ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto, plures sunt, divino docente eloquio: In civitatem, in castellum, in domum, in templum. [De primo: *Ingreuente Domino sanctam civitatem* (*Matth. xi*). De secundo: *Cum ingrederetur in quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi* (*Luc. xvii*). De tertio: *Ingressus est in domum Pharisæi* (*Luc. vii*). De quarto: *Ingressus Jesus in templum, et cætera, quæ præmisimus.* In civitatem ingressus est sicut rex: in castellum, sicut propugnator; in domum, sicut pater familias; in templum, sicut sacerdos. Quod ipse sit rex, propugnator, et paterfamilias pagina docet scilicet. De primo Isaias: *Dominus rex noster veniet et salvabit nos* (*Isa. xxxv*). De secundo: *Mitte nobis salvatorem et propugnatorem, etc.* (*Isa. ix*). De tertio: *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, etc.* (*Matth. xx*). De quarto: *Tu es sacerdos in æternum, etc.* (*Psal. cix*). Regi diadema, propugnatori arma, patrifamilias alimentorum distributio, sacerdoti sacramentorum convenit exhibitio. Videamus itaque cum propheta regem gloria et honore coronatum (*Psal. viii*). Intellegamus propugnatorem, propheta petente: *Apprehende arma et scutum* (*Psal. xxxiv*). Advertamus patrifamilias quinque vel septem panibus turbas reficientem (*Matth. xiv*). Recolamus sacerdotem semetipsum sacrificantem (*Isa. liii*). Rex in diademate se præbet admirabilem, propugnator in armis se præstat formidabilem, sacerdos in sacrificio se reddit acceptabilem. Rex coronatus sedet in throno divinitatis; propugnator expugnaturus adversarium stat in propugnaculo crucis; paterfamilias esurientes impleturus bonis, vocem suam dat in plateis; sacerdos ingreditur in templum oblaturus Deo sacrificium laudis. Duo sunt templa, alterum Salomonis, alterum Salvatoris. Templum Salomonis auro, linguis et lapidibus construitur; templum Salvatoris justis hominibus. Tria sunt templa Salvatoris. Templum enim ejus est corpus quod assumpsit de Virgine, templum ejus est quisque fidelis, templum ejus est Ecclesia universalis. De primo dictum est: *Solve templum hoc* (*Joan. ii*). De secundo: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, etc.* (*I Cor. iii*). De tertio: *Ecce venit ad templum sanctum suum, etc.* (*Malach. iii*). In quo quid facturus sit ostendit cum paulo post subdit: *Et purgavit filios Levi* (*Ibid.*). Filii Levi ministri sunt altaris, et dispensatores ministeriorum Dei, quos evangelica lectione purgasse quodammodo perhibetur, cum *de templo vendentes et ementes ejecit, idem scilicet ne ministri altaris attendentes lucra, eorum corrumperentur exemplo.* Quo præfiguratur et discretio quæ de bo-

nis et de malis fiet in judicio. Sicut enim vendentes et ementes ejecti sunt de templo, sic reprobi de medio justorum tollentur, quando Dominus veniet *judicare vivos et mortuos.*

**TIT. LXVI. De verbo Dei misso in villam, castellum et civitatem; et quid differant.**

Verbum Dei aliquando mittitur ad villam: aliquando ad castellum, aliquando ad civitatem. In qua figura Jesus in villa Galilææ aquam in vinum convertit (*Joan. ii*). Inde in castello illo celebre miraculum fecit (*Joan. xi*). Post in civitate ab Hebræis mysticis obsequiis honoratur (*Matth. xxi*). Villa est propriis tantum vestita colonis, nullo munita vallo. Hæc est anima naturalibus tantum virtutibus pollens, nullo humilitatis vallo, vel ex gratia superadditæ virtutis roborata. Castellum quod vallo munitur vel muro; sed ad latitudinem urbis non extenditur; est anima vallo pœnitentiæ et humilitatis vel muro obedientiæ non voluntate munita: quæ nondum charitate dilatatur sed angustatur timore. Civitas præsidii plurimis vallata, largo sinu et numero populo sub juris æquitate et justitia vivente dilatatur et colitur. Hæc est anima quæ diversis honestatis præsidii, charitate dilatatur, et copioso et ordinato virtutum agmine habitat. Venit ergo sermo divinus ad villam, ut aqua in vinum mutetur, id est de rusticitatis insipido sapore ad virtutum fervorem valletur, ne ab irruentibus hostibus diruatur. Venit ad castellum, ut suscitato mortuo, et etiam solutis timorum institiis, spem libertatis a peccatorum vinculis solutis injiceret. Venit ad civitatem ut conservetur ipsa, et idem sermo ibidem honorificentiam habetur, ne pulcherrimi voluntariæ obedientiæ muri diversis antiquorum exemplis roborati, furtive ab insidiantibus fodiantur. In villa ergo obruitur cito, in castello roboratur subito, in civitate honoratur continuo.

**TIT. LXVII. De lumine vultus divini, de attributis Trinitati, et virtutibus animæ.**

Vultus Patris est potentia Filii; sapientia Spiritus sancti, benignitas. Lumen vultus est memoria, intellectus voluntas. De memoria cecidit homo in oblivionem; de intellectu in ignorantiam; de voluntate in rectitudinis abusionem. Sed Deus misit Filium suum qui attulit idem, spem, charitatem. Quibus hæc imago, hic vultus signatur super nos, id est rationi imprimatur. Fides pellit oblivionem, memoriam restituendo; spes ignorantiam fugat, intellectum purgando; charitas rectitudinis abusionem exstinguit, voluntatem relevando. Vultus itaque Trinitatis in charitate, est potentia, sapientia, benignitas. Per potentiam cuncta creavit: per sapientiam cuncta disposuit: per benignitatem cuncta gubernat et fovet. Sed quia ad vultum videndum accedere non possumus, habemus lumen, id est imaginem et similitudinem. Per imaginem ipsum apprehendimus, id est, per memoriam, intellectum, et voluntatem. Per similitudinem cum nobis exprimimus, id est, per fidem, spem, et claritatem, etc.

TIT. LXVIII. *De seminante in spiritu vel carne.*

Alius est qui seminat, aliud in quo seminatur. Anima seminat; sed si in spiritu, metet de spiritu vitam. *Fructus enim spiritus est gaudium et pax, etc. (Gal. v).* Si in carne, metet corruptionem. *Fructus enim carnis luxuria: avaritia, etc. (ibid.).* Anima ergo est quæ seminat vel in carne vel in spiritu; corpus sequela est ad quodcumque delegaverit ipsum; anima dux ad veritatem, si eam sequi velit.

TIT. LXIX. *De duplici captura piscium.*

Rumpitur rete præ multitudine piscium in prima piscatione. In secunda multi pisces capiuntur, et rete non rumpitur, quia et hic in prima vocatione cum electis tot reprobi intrant Ecclesiam, qui ipsam hæresibus scindunt; et in futuro soli electi intrabunt, qui in pacis auctore in dissolubile vinculum pacis habebunt. In prima elabitur piscis, quia novit Dominus etiam inter persequentium scandala suos servare. In secunda autem eliguntur boni in vasis; mali autem ejiciuntur foras.

TIT. LXX. *De lavandis et plicandis retibus.*

Exemplo Petri in littore sedentis, prædicatori lavanda prius et inde tergenda sunt retia (*Luc. v*): quia post prædicationem lavare debet pulverem peccati, si quem forte ex ipsa prædicatione contraxit doctor, et inde ea plicare, id est quæ docuit adimplere.

TIT. LXXI. *De piscibus in verbo Domini capiendis.*

Per totam noctem laborantes Apostoli nihil capiunt; Petrus autem in verbo Christi laxat et capit (*Luc. v*), quia frustra prædicator vocis jaculum mittit nisi verbo gratiæ fuerint laxata retia.

TIT. LXXII. *De negotiatione claustralium.*

*Negotiamini dum venio (Luc. xix).* Venit Dominus in obitu uniuscujusque, vel gratus remunerator, vel terribilis damnator. Nihil morte certius. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam (Matth. xxv).* *Cum dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus (Prov. xxix).* Ut autem semper vigilemus, ac diem illam calamitatis et miseriæ vitemus, paterfamilias quinque regiones ad negotiandum destinavit, in quibus quasi per nundinas cursitando inutilia rejiciant, quæ utilia sunt colligant; et tanquam prudentes negotiatores sibi sarcinas referant. Quarum hæc nomina: Regio dissimilitudinis, præsens vita, quam quidam ninium amantes dissimiles facti sunt a Deo, et jumentis comparati descenderunt ad locum mortis. Unde exclamat Propheta: *Homo, cum in honore esset, etc. (Psal. xxxviii).* In hac prudenter negotiatur, qui si vel parum mundus arrisit, pensando discernit quam fallax vita brevis et incerta, quam vilia et nullius momenti temporalia. Regio australis claustrum vel eremus, in qua Christus suos abscondit a contradictione linguarum, postmodum admisturus consortio angelorum. Per austrum quippe in Scripturis sanctis Spiritus sanctus, et per australem plagam spiritualium bonorum designatur conversatio Claustralis vero paradisus ad suavem spirantis au

stri clementiam quasi tot floribus vernal quot virtutibus abundat. Regio expiationis, locus non homini, sed Deo notus; in quo sunt animæ quorundam, qui salvandi sunt, quibus conferunt sacrificia et eleemosynæ. Sed in hac plaga bonus negotiator vendibilem superat sarcinam, cum induit affectum compatiendi. Regio gehennalis carcer est damnatorum, de quo et in quo nulla patet redemptio. Est etiam alius carcer mundus iste, in quo tenemur exsules, et captivi; sed ad tempus. Mundus itaque carcer est captivorum, infernus damnatorum. Res mira, severa, et non sine tonitruo timoris audienda. Ad plagam istam recurrendum est consideratione subtili, quoties diabolus mala suggerit, ut homo sic cohibeatur a peccato, et negotietur sibi odium peccati. Regio supercælestis, mater nostra est Jerusalem. in hanc regionem colligat sibi dulcissima, scilicet amorem Dei. Has quinque regiones perlustrare debemus; de quarum singulis singulas referamus sarcinas. De regione dissimilitudinis, contemptum mundi; de regione australi formam bene vivendi, de regione expiationis affectum compatiendi; de regione inferorum, odium peccati; de regione supercælesti, amorem Dei,

TIT. LXXIII. *De tribus Christianæ perfectionis statibus.*

Dominus dicit: *Ecce ego hodie et cras dæmonia ejicio, et sanitates perficio; et tertia die consummor (Luc. xiii).* Et Apostolus: *Donec occurramus omnes in virum perfectum (Ephes. iv).* Tres status Christianæ perfectionis in his notantur: unus in futuro, ubi triumphabimus; duo in præsentem, ubi meremur. Primus in pœnitentia, secundus in justitia, tertius in gloria. In primo dæmonia ejicit; in secundo sanitatem perficit, cum per misericordiam juste vivere facit; in tertio consummabit, cum nos coronabit: quos in sua passione, dormitione, et evigilatione, ostendit. In cruce patiens de diabolo triumphavit, in sepulcro quievit, in resurrectione exultavit. Ita nos pœnitentia qua diabolum vincimus, cruciat; justitia qua a malis quiescimus, tranquillat; vita æterna, ubi Deus videbitur, jucundabit. Hinc primus horum trium status agit de pœnitentia. Cujus vox: *Miserere mei, Deus (Psal. i).* Secundus de misericordia et judicio, cujus vox est: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (Psal. c).* Tertius de vita æterna, cujus vox: *Omnis spiritus laudet Dominum (Psal. cl).* Hinc in Veteri Testamento tres præcipue festivitates celebrantur, Paschæ, Pentecostes, Scenopegiæ. In prima comedebant lactucas agrestes, et spicas igni tostas offerebant; per quæ significantur carnis mortificatio et pœnitentiæ amaritudo. In Pentecoste novi panes de novis frugibus offeruntur; per quod intelligitur status justitiæ per quam in novitate vitæ ambulamus. In scenopegia de cunctis frugibus anni offerebatur; per quod status gloriæ: quando *venient cum exultatione portantes manipulos suos (Psal. cxxv).* Hæc sunt opera Samaritani; qui prius vinum, inde oleum fudit, postea

ait: *Vade, sanus factus es* (Joan. v). In vino fervor poenitentiae, in oleo lenitas justitiae; in tertio significatur perfectio.

Tit. LXXIV. *De quadruplici tristitia et gaudio.*

*Tristitia vestra vertetur in gaudium* (Joan. xvi). Quadruplicata est tristitia. Prima est pressuræ, de qua dicitur: *Mulier cum parit tristitiam habet, ita et vos nunc tristitiam habetis* (ibid.). Secunda est poenitentiae. Unde: *Gaudeo quia tristati estis ad poenitentiam. Et: Quæ secundum Deum est tristitia poenitentiam in salutem stabilem operatur* (II Cor. vii). Tertia est desperationis. Unde: *Sæculi tristitia mortem operatur* (ibid.). Quarta damnationis. Unde: *Ibi erit fletus et stridor dentium* (Matth. viii). Gaudium similiter quadripartitum est. Primum dissolutionis. Unde: *Væ vobis qui ridetis* (Luc. vi). Secundum præsumptionis. Unde: *Lætantur cum uale fecerint; et exsultant in rebus pessimis* (Prov. ii). Tertium est conscientiae, de quo: *Gaudemus, inquit, in tribulationibus nostris* (Coloss. i). *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiae nostræ* (II Cor. i). Quartum pacis et gloriæ. Ergo tristitia pressuræ convertetur in gaudium conscientiae. Tristitia poenitentiae operatur gaudium pacis et gloriæ. Gaudium vero dissolutionis nonnunquam vertitur in tristitiam diffidentiae. At tristitia desperationis consummatur in tristitiam damnationis; gaudium vero conscientiae, in gaudium lucis gloriæ.

Tit. LXXXV. *De triplici regnò acquisitione.*

Primum *quærite regnum Dei et justitiam ejus* (Matth. vi). Triplex est regnum, potentiae, gratiæ, gloriæ. De primo dicitur: *Regnum tuum regnum omnium sæculorum* (Psal. cxliv). De secundo: *Regnum Dei intra vos est* (Luc. xvii). De tertio: *Regnum meum non est de hoc mundo* (Joan. xviii). Regnum potentiae est in omni creatura, regnum gratiæ in præsentī Ecclesia, regnum gloriæ in vita æterna. Regnum potentiae tripliciter quæritur: Per superbiam, per fraudem, et per hypocrisim. Per superbiam, ut ipse qui est rex inter omnes filios superbiæ: *Sedebo, inquit, ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (Isa. xiv). Imitantur autem illum qui sunt ex parte ejus; per fraudem, ut Herodes; per hypocrisim, ut Antichristus, et omnes hypocritæ cum illo. Regnum autem gratiæ et gloriæ quæritur per poenitentiam et confessionem, ut latroni in cruce qui per violentiam illud rapuit. Sunt qui hoc duplex regnum Dei nequaquam quærunť, sed lucrum sæculi. Alii non primo regnum Dei quærunť, sed rerum lucrum et usum. Alii utrumque quærunť, sed primo lucrum sæculi. Alii primo regnum Dei. Primi sunt carnales, secundi sunt singulares, tertii sunt animales, quarti spirituales. Propter primos qui nunquam regnum Dei quærunť dicitur, *quærite*. Propter eos qui primo aliud quærunť, subdit, *primum regnum*. Propter eos qui regnum sæculi quærunť, adjungit, *Dei*. Propter eos qui non Dei, sed sæculi vel suam justitiam quærunť, addit, *et justitiam ejus*. Est enim justitia ad sæculum, est ad seipsum, est ad

Deum. Justitiam ad sæculum quærit qui humano vult justificari judicio, et terrenis anteposit cœlestia, ita ut illa sumat ad usum necessitatis, non ad fructum utilitatis. Hic dum unicuique reddidit quod suum est, necessitati temporalia, utilitati æterna, per iter justitiæ festinat ad regnum gloriæ; et ut quædam summa comprehendatur; alii neque regnum quærunť Dei, neque justitiam ejus, ut carnales; alii regnum Dei quærunť, sed non ejus justitiam, ut singulares; alii regnum Dei et justitiam ejus quærunť, sed non primum, ut animales; alii primum, et regnum Dei, et ejus justitiam quærunť, ut spirituales.

Tit. LXXVI. *De triplici statu animæ, et de ratione poenitentiae faciendæ.*

Tres sunt status animæ: in corpore, seposito corpore, et recepto corpore. Primus datus est ad agendam poenitentiam. Reliqui duo ad habendam quietem vel poenam, *prout gessit in corpore sive bonum sive malum* (II Cor. v). Ad agendam vero poenitentiam tria sunt necessaria: tempus, locus et corpus. Quod tempus est necessarium dicit Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, etc.* (II Cor. vi). Similiter et de loco et de corpore idem dicit: *Omnes oportet nos manifestari ante tribunal Domini ut referat quisque propria corporis prout gessit* (II Cor. v). Sed de hoc loco loquitur Scriptura, dicens: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habens, locum tuum ne deserat* (Eccl. x). Porro tempus in tria dividitur in præteritum: in præsens, in futurum. Horum nullum perdit quisquis recte poenitentiam agit. Nam præteritum quidem quod perdidit restaurat, dum in amaritudine animæ suæ omnes annos suos recogitat. Præsens autem tenet per exercitium operis, futurum vero per constantiam boni propositi. De peccato loquitur Apostolus cum dicit: *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt* (Ephes. v). Ad præsentis vero temporis operationem hortatur nos, dicens: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes* (Gal. vi). Futuri autem nos monet Dominus cum dicit: *Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. x). Corpus quoque necessarium est ad agendam poenitentiam. In corpore enim possumus mala pati pro expurgandis commissis delictis, et bona operari pro adipiscendis æternæ vitæ præmiis. Quæ autem anima corpore caret, quomodo dignos fructus poenitentiae agere valeret? Et notandum quod poenitentia, quæ per corpus geritur, brevis est et levis. Brevis, quia per corporis mortem breviatur: levis, quia per societatem corporis fertur facilius. Gravis siquidem esset poenitentia, si eam solus animus portaret. Cum vero et ipse et corpus ejus partitur pondus, quanto magis corpus inde oneratur, tanto amplius animus exoneratur. Locus etiam poenitendi non quidem necessarius, sed utilis, est locus Ecclesiæ. Tempus autem est tempus vitæ poenitentis; nam quisquis dum in corpore vivit poenitentiam agere negligit, nullum in futuro salutis remedium habere poterit.

**TIT. LXXVII.** *Quæ ad orationis puritatem sint necessaria.*

Ad hoc ut oratio sit pura, tria videntur mihi necessaria quibus orationis intentio firmiter est affligenda. Considerare namque debet is qui orat quid petit, et propter quid petit, et ipsum quem petit. in eo autem quod petit duo debet attendere: ut secundum Deum sit quod postulet, et ut hoc ipsum in summo desiderio habeat. Verbi gratia: si mortem inimici, si læsionem seu dejectionem proximi orando quis petierit, non est secundum Deum talis oratio; cum ipse præcipiat et dicat: *Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui oderunt vos, Orate pro persequentibus et calumniantibus vos (Math. v)*. Si remissionem peccatorum, si Spiritus sancti gratiam, si virtutem atque sapientiam, si fidem, veritatem, justitiam, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, et cætera spiritualia charismata quæsierit, et ea vehementer cogitando affectaverit; hæc secundum Deum est oratio, et hæc vere meretur exaudiri. De hujusmodi orationibus loquitur per Isaiam Dominus: *Antequam clament ego exaudiam (Isa. lxxv)*. Sunt et alia quæ cum desunt, et petuntur a Deo, dantur. Et possunt esse vel non esse a Deo, quantum duntaxat interest finis ad quem referuntur. Ut corporis sanitas, pecuniæ, cæterarumque rerum affluentia. Quæ etsi a Deo sint, non tamen sunt magni pendenda, nec ex desiderio possidenda. Similiter et in ipso quem petit debet duo considerare, bonitatem, quæ gratis velit, et majestatem, quæ plene possit dare quicquid petitur. Sed in seipso qui petit debet nihilominus duo attendere, id est, ut pro suis meritis nil se accepturum putet, et ut de Dei misericordia tantum quidquid rogaverit se impetraturum speret. Tunc ergo dicitur cor purum, quando hæc tria quæ dicta sunt cogitat. Qui in hac puritate et intensione cordis oraverit exaudiri se sciat, quia sicut testatur Petrus apostolus: *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi (Act. x)*.

**TIT. LXXVIII.** *De suscitato a morte animæ.*

Mors animæ est oblitio. De qua morte suscitatus hoc modo agnoscitur. Per memoriam sentit, per obedientiam audit, per intelligentiam videt, per circumspersionem olfacit, et gustat per dilectionem.

**TIT. LXXIX.** *De quatuor voluntatibus hominis.*

Quatuor sunt genera voluntatis humanæ: Sicca in reprobis et terrenis, quorum corda nullo rore gratiæ perfunduntur; Recta in inchoantibus, quæ vitæ pristinæ obliquitatem relinquentes ad boni operis rectitudinem mutatione voluntatis assurgunt; devota in proficientibus, qui usu orationis assiduæ in amorem bene agendi cœlitus eriguntur; perfecta consummatis, qui pene nil aliud nisi Deum cogitantes, in ipso totius desiderii sui finem reponunt. Inter siccam et rectam voluntatem quoddam firmamentum est, ut qui volunt transire non possint, perversa scilicet intentio inter rectam et devotam,

A inolita male agendi consuetudo; inter devotam et perfectam, corporalis reflectio. Quæ tria dum quasi lapides duri in via nostri corporis se opponunt, ne de virtute in virtutem ascendamus, impediunt.

**TIT. LXXX.** *De quatuor quibus servimus*

Quatuor sunt quorum in hac vita obsequiis servimus: Caro, mundus, diabolus, Deus. Carni militamus gulæ illecebris serviendo, luxuriæ stimulis obsequendo; mundo militamus avaritiæ æstibus anhelando, honoris altitudinem affectando; diabolo militamus, honorum profectibus invidendo, et contra Deum superbiæ spiritu intumescendo; Deo militamus pietatis operibus humiliter insistendo, potestates aerias virtute spiritus oppugnando. Habent et singuli principes isti donativa propria. Caro suis tironibus elargitur momentaneam voluntatem, mundus transitoriam sublimitatem, diabolus captivitatem perpetuam, Deus interminabilem felicitatem. Ilæc sola præponderat.

**TIT. LXXXI.** *De titillationum carnis causis.*

Motus et titillatio carnis nostræ tribus ex causis contingit. Ex præcedenti cogitatione deformes et illicitas imagines intro trahendo in quarum retractione turpiter commovetur. Ex ventris plenitudine, quia cum venter ciborum cumulositate distenditur, caro lasciviens admodum luxuria concitatur. Ex maligni spiritus impugnatione, quia quo justos superare se minus posse considerat, eo per carnis titillationem eos gravius impugnat.

**TIT. LXXXII.** *Quomodo ascendendum de convalle et deserto, et quod triplex desertum.*

De convalle plorationis ascensuri semper ad altiora tendere et anhelare debemus. Est enim quasi quoddam desertum via ista mortalis, de qua dicitur: *Terra deserta, invia, etc. (Psal. lxxii)*. Sed triformis est species desertorum. Est quippe desertum momentanea vanitas, quam despiciere vitæ moderatione debemus; de quo deserto ascendere nos oportet sicut dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum deliciis affluens, innixa super dilectum suum? (Cant. viii)*. Deliciis affluimus cum virtutibus abundamus, super dilectum innitimur, cum Deo ascribimus quidquid boni operamur. Est aliud desertum Christianæ simplicitatis, humilitas, vocata desertum, quia fere nullus est Christianus, qui studeat istud bonum plene operari. Per hoc desertum necesse est ut ascendamus. Unde dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, thuris, etc. (Cant. iii)*. Sicut virgula fumi ex aromatibus ascendimus, cum virtutum studio et disciplina exercitati proximis ad bene agendi similitudinem incitamus. Est aliud quoque desertum, innocentæ purioris simplicitas vel integritas: ad hoc debemus ascendere, quia ad veram medicinam, ut simus sancti corpore et spiritu debemus anhelare. Ascendamus ergo de deserto momentaneæ vanitatis, per desertum humillimæ simplicitatis, ad desertum integerrimæ puritatis.

**TIT. LXXXIII. De sagittis quibus utitur Dominus.**

Dominus noster habet proprias sagittas quibus hostes suos vulnerat, et in brachio virtutis impugnat. Sunt autem tres sagittæ quibus hostes sauciantur. Stimulus amissæ pecuniæ, quia valde tristatur dum instrumenta vivendi, et satellites voluptatum et divitias amisisse reminiscitur. Sequitur pestis corporalis molestiæ, quæ ut ejus vias ex animi potestate sopiat, eum quem ad peccatum festinare considerat, per corporis contritionem flagellat. Sequitur malleus infernalis memoriæ, quia cum se homo, undique circumseptum pondere pœnarum corporalium pensat, etiam ad illam quæ sine caret angustiam oculos convertens, horribilem gehennæ fornacem timida secum consideratione pertractat.

**TIT. LXXXIV. De ebrietatis vino.**

Non uno eodemque modo omnes qui ebrii sunt inebriantur. Aliud est vinum malitiæ, quod effluit de vite nequitæ, et a diabolo initium habuit, qui amaritudines peccati et mortes humano generi propinavit: quo inebriantur iniqui consimiles Holoferni. Aliud est vinum molestiæ, quod emanat de labrusca conditionis humanæ, quæ de suo acetum iniquitatis apposuit. Hoc vino quisquis inebriatur, non injuste, sed merito peccati sui a Deo pœnam pati comprobatur. Aliud est vinum gratiæ, quod ex botro cypri, id est ex Conditoris largitate discurrit. Et hoc est mustum quo sponsi filii inebriantur; quod mittitur etiam in utres novos.

**TIT. LXXXV. De gradibus bonæ condensationis.**

Septem gradus descensionis habet humilitas, abdicationem rerum, exemplo apostolorum, abjectionem vestium, sicut Elias et Joannes Baptista; compassionis et cooperationis exercitium, ut Paulus; dejectionem in prosperis, ad modum David pauperis regis; patientiam in adversis, sicut Job et Tobias, proprium abhorre consilium et propriæ voluntatis affectum.

**TIT. LXXXVI. De quinque contra peccatum præliis.**

Prælia virtutis quibus arma peccati expugnantur sunt hæc: Plena peccati cognitio, quæ expellit tenebras voluptatis; pœnentialis afflictio, contra dulcedinem carnalitat; humilis et vera confessio contra venenum iniquitatis quod potavimus; sufficiens et digna correctio, contra imitationem pristinæ voluptatis; perseverantiæ plena successio, ut perfecta subrogetur custodia sanitatis.

**TIT. LXXXVII. De diversitate gradientium ad Deum.**

Non omnes uniformiter gradiuntur ad Deum. Quidam tardo et pigro passu, sicut illi qui terrenorum curis impliciti vix aliquando respirant aut respiciunt, ut Dei recordentur. Quidam modesto incessu, sicut ii qui Dei servitio mancipati sunt, et Deo quidem serviunt, sed tamen erga seipsos indulgentiores existunt. Et alii veloci et rapido cursu properant, sicut ii qui super carnem suam se intuentes et se et transitoria contemnent, celeriter proficiscuntur ad

Deum, hoc solummodo cupientes, in pace quiescere in idipsum.

**TIT. LXXXVIII. De triplici prælatorum timore.**

Trifarius est timor prælatorum: Ne audientium animos exquisitorum verborum apparatus commoveat, ne interni judicis oculos immoderati usus offendant, ne justitiæ retributio in præsentem eis fiat.

**TIT. LXXXIX. De triplici sanctorum dolore.**

Triformis est sanctorum dolor, quia distant de paradiso, quia detinentur in exilio, qui differuntur a regno.

**TIT. XC. Quæ sint in Christo montium monte.**

*Mons conglutatus, mons pinguis, etc. (Psal. LXVII).* In monte montium Christo fuerunt hæc duo: coagululum passionis, et pinguedo sanctitatis. Item vitulus novellus, vitulus de armento, vitulus saginatus.

**TIT. XCI. De variis portis.**

Portas suas habet mundus quibus stulte ingredi nititur ad Deum. Quæ sunt corrupta sensualitas, et incesta cupiditas. Unde est: *Appropinquaverunt usque ad portas mortis (Psal. cvi)*. Portæ inferi sunt cæca dispensatio et dura obstinatio: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam (Matth. xvi)*. Portæ cæli sunt humilis potentia, quæ est porta ferrea ducens ad vitam, et amoris concordia, quæ est porta orientalis.

**TIT. XCII. De tribus lucernis.**

Tres sunt lucernæ: Regula disciplinæ in Christo, quæ accenditur ut dragma perdita inveniat; forma veritatis, quæ posita est in Evangelio super candelabrum; scientiæ puritas in corde bono, quæ illuminatur a Domino.

**TIT. XCIII. De modis quibus interrogat Deus.**

Tribus modis interrogat nos Deus: Promulgatione præcepti, ut nota nobis obedientia fiat; injectione flagelli, ut patientia nostra proximis innotescat; revelatione secreti, ut se nobis virtus humilitatis aperiat.

**TIT. XCIV. De adversitati opponendis.**

Adversitatis tria sunt opponenda: Electorum agones et angustiae, quas patientur qui pie vivunt; redemptoris afflictiones et molestiæ, quas ei sævissimi principes intulerunt; dispositio moderatricis justitiæ, cujus altitudinem quasi virgæ Joseph summitatem non discutere, sed adorare debemus. Hæc sunt illa tria ostia, vectes et termini, quibus Dominus circumdat mare iniquitatis humanæ (*Job xxxviii*).

**TIT. XCV. De tribus postulandis ab electis.**

Electi tria postulant quæ fiant pro tempore futuro, quod in eis mortale est a vita penitus absorberi, perennis gloriæ compensatione ditari, Deum insatiabiliter sicuti est contemplari.

**TIT. XCVI. De tribus frustra optatis.**

Reprobi tria optare dicuntur: Voluptatem corpoream sibi ad sufficientiam cumulari, momentaneam

gloriam ad beatitudinem suffragari, mores suos et A opera nullo post se iudicio reprobati.

Tit. XCVII. *De tribus agendis Christiano.*

Imitator Christi debet tria agere: Simplicis innocentiae sensum tenere, ut cum Christo puer efficiatur; abjectum et humilem habitum amare, ut infantiae Christi vilibus pannis involvatur; in disciplina simpliciter ambulare, ut cum Christo positus in praesepio inveniat: cujus beati Spiritus visione satiantur et dulcedine inebriantur.

Tit. XCVIII. *De Christi attributis.*

Christus quandoque dicitur germen seu radix, juxta illud: *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur (Isa. xi).* Quandoque lignum vel truncus, ut ibi: *Sapientia est lignum vitae (Prov. iii).* Quandoque flos, ut: *Ego sum flos campi (Cant. ii).* Fructus quandoque, ut supra dictum est. Levatus est Christus in crucem, juxta illud: *Cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum (Joan. xii).* Exaltatus fuit a terra in resurrectione, juxta illud: *Propter quod exaltavit illum Deus, etc. (Philipp. ii).* Exaltatus fuit in ascensione, juxta illud: *Elevata est magnificentia tua super caelos (Psal. viii).* Exaltatus in apostolorum praedicatione, juxta illud: *Exaltabor in gentibus et exaltabor in terra (Psal. xlii).*

Tit. XCIX. *De differentia surgendi, exsurgendi, resurgendi, insurgendi, assurgendi, et consurgendi.*

Surgimus a sede, exsurgimus a somno, resurgimus a morte, insurgimus ad vindictam, assurgimus ad honorem, consurgimus ad auxilium.

Tit. C. *De conditionibus fumi in peccatore.*

Fumus oritur ex igne, ascendit et evanescit. Haec tria habet peccator sive peccatrix. Oritur enim ex flamma concupiscentiae, juxta illud: *Ascendit ignis in ira ejus (Psal. xvii).* Ascendit juxta illud: *Vidi impium superexaltatum (Psal. xxxvi).* Evanescit juxta illud: *Et transivi et ecce non erat (ibid.).* Sed cum fumus duobus modis deficiat; defecit enim a nativitate, quandoque per claritatem diffunditur et deficit, quandoque penitus evanescit. Uno tantum modo peccator defecit. Defecit enim a peccato quando non potest peccare absorptus in gehennam.

Tit. CI. *De funiculi significationibus.*

Funiculus dicuntur virtutes, juxta illud: *Funiculus triplex difficile rumpitur (Eccl. iv).* Funiculus etiam dicuntur peccata, juxta illud: *Funes peccatorum circumplexi sunt me (Psal. cxviii).* Dicuntur etiam bona temporalia. Unde dicitur: *Vae vobis qui trahitis populum in funiculis iniquitatis! (Isa. v.)* Funiculus etiam dicitur forma, gratia, sive hereditas. Unde Psalmista: *Funes ceciderunt mihi in praeclearis (Psal. xv).*

Tit. CII. *De fide et fidei intelligentia.*

Aliud est fides, aliud est intelligentia fidei. Ad fidem tenentur etiam laici, ut credant articulos fidei, scilicet nativitatem, passionem, etc. Ad intelligentiam fidei tenentur majores, ut praelati; illi enim tenentur habere et fidem et fidei intelligentiam.

Tit. CIII. *Bonum quadrupliciter dici.*

Bonum quadrupliciter accipitur, dicitur enim bonum essentialiter, ut Deus; denominative, ut quaelibet creatura dicitur bona, quia a summo bono est, juxta illud: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona (Gen. i);* usu, ut equus dicitur bonus, quia ejus bonus usus est; effectu, ut justitia et ceterae virtutes quia faciunt bonum. Deus autem dicitur tripliciter bonus. In sua natura; bonitas enim ejus est ipsa deitas; et ipse est bonus in se et per se. Dicitur item bonus, quia dat, et quia facit bona.

Tit. CIV. *De differentia inter logicum et theologum Et de triplici intellectu.*

Haec differentia est inter logicum et theologum, quod logicus prius intelligit quam credat, theologus vero prius credit, post intelligit, juxta illud: *Credite et intelligetis,* licet, secundum quosdam, intellectus debeat praecedere fidem. Ad hoc etiam ut fides actu habeatur de aliquo, primum, oportet scire quod ipsum sit, secundo credere, tertio intelligere quid ipsum sit: quod plene erit in patria. Intellectum vero alius est purus, quo comprehenditur forma et subjectum; alius purior quo comprehendimus angelicam naturam; alius purissimus, quo contemplamur quodammodo divinam naturam. Primus dicitur corimum, secundus medium, tertius altum.

Tit. CV. *De triplici similitudine.*

Similitudinum alia est aequalitatis, alia imitationis, alia contrarietatis. Prima convenit Filio Dei. Unde dicitur: *Non rapinam arbitratus est esse aequalem Deo (Philipp. ii).* Secunda convenit homini; est enim creatus ad imaginem Dei. Tertia convenit diabolo; cum enim Deus sit auctor et principium bonorum, diabolus a simili per contrarium est auctor omnium malorum. Prima licet sit optima nulli est appetenda; quam quia homo voluit habere, cecidit in peccatum. Cum etiam esset servus, noluit habere dominum, sed credens suggestioni diaboli dicentis: *In quacunque hora comederitis eritis sicut dii, scientes bonum et malum (Gen. iii);* voluit aequari Deo per scientiam, et ita cum Filius sapientia sit Patris, fuit ei quasi occasio ruinae, quare congruum fuit ut a Filio redimeretur. Unde Jonas in persona Filii loquens ait: *Propter me orta est tempestas, projicite me in mare (Jon. i).* Jonas Christum significat; mare mundum. Propter Christum occasionaliter orta est tempestas in mundo, cum homo suggestionem daemone voluit superbe aequari Deo. Fuit ergo necessarium ut ipse in mare, id est in mundum mitteretur, et sedaret tempestatem, id est reformaret pacem inter Deum et hominem.

Tit. CVI. *De triplici baptismo.*

Triplex est baptismus fluminis, fluminis, et sanguinis. Fluminis in aqua, fluminis in poenitentia, sanguinis in martyrio. Non quod baptismus sit nisi in aqua, sed quia illa supplet vicem baptismi. Unde illud Evangelio sic est supplendum vel exponendum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* id est, nisi quis renatus

fuert ex illa scilicet virtute qua regenerantur illi, A quæ est pera David, de qua orationes proferuntur, qui baptizantur ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit, etc.

**TIT. CVII. De quadruplici mutatione.**

Quadrupliciter fit mutatio. Est enim mutatio divina, physica, magica, moralis. Mutatio Divina duplex est: altera alternationis, altera transsubstantiationis. Mutatio alternationis fuit in Cana Galilææ, ubi de aqua factum est vinum, quia mutata sunt substantialia, natura manente. Mutatio transsubstantiationis fit in eucharistia. Panis enim et vinum transsubstantiantur in carnem et sanguinem Christi. Mutatio physica, id est naturalis, fit cum de aqua fit glacies, de glacie crystallus. Mutatio magica fuit quando Magi Pharaonis mutaverunt virgas in serpentes. Mutatio moralis est, secundum B quam philosophi aut poetæ dicunt quosdam mutatos in sues, ut socios Ulyssis, utpote in luxuriosos; quemdam in cervum, ut Acteonem, qui omnia sua expendit in venatione, Lycaonem in lupum, propter ferocitatem.

**TIT. CVIII. De multiplici debito.**

Multipliciter dicitur debitum. Est enim debitum commissi, omissi, meriti, congrui, voti, præcepti, promissi. Ratione commissi, sacerdos debet cantare missam. Ratione omissi, monachus debet vapulare, si delinquat in ordine. Ratione meriti quilibet retribuere amico suo beneficium acceptum. Ratione congrui debet esse miles, qui est aptus ad ferenda arma. Ratione voti, ille qui vovit se non cognoscere uxorem suam in Quadragesima, debet illud observare. C Ratione præcepti debemus habere dilectionem Christi et proximi. Ratione promissi, Deus debet nobis vitam æternam, observemus ejus præcepta.

**TIT. CIX. De affectione expectantis Deum.**

Homines Deum expectantes debent esse suspensi, quando veniet; dubii an ipsos deserat, hilares et devoti, diligentius adornati, terrena aspernantes, in eo nuptialem præsentiam, familiarem gratiam, liberalem munificentiam, summopere desiderantes.

**TIT. CX. De tribus nuptiis, et de variis verbis Dei.**

Tres sunt species nuptiarum. Prima reconciliationis per fidem, in qua sunt tria fercula, peccatorum ablutio, gratiæ consecutio, naturæ reformatio; D secunda adoptionis per spem, in qua sunt etiam tria: eloquii Divini consolatio, alimonix cælestis communicio, dulcedinis internæ præliatio. Tertia glorificationis perfectæ per charitatem cuius hæc tria fercula sunt: æterna incorruptio, vera glorificatio, perpetua Dei visio. Verba consolationis Dei sunt ablutio culpæ, restitutio gratiæ, exilii evasio, consecutio regni, consortium Divinitatis, adeptio æternitatis.

**TIT. CXI. De tribus armis fidelium.**

Arma fidelium sunt tria. Sapientia, plenitudo, quæ est David, de qua sententiarum lapides emittuntur; patientiæ fortitudo, quæ est baculus, quo hiporum rabies propulsatur; charitatis amplitudo,

A quæ est pera David, de qua orationes proferuntur.

**TIT. CXII. De tribus prælato necessariis.**

Tria sunt prælatis necessaria: Via fidei, doctrinæ sinceritas, ut inhabitent in eadem regione. Studiosa bene operandi sedulitas, ut vigiliis cum pastoribus celebrent. De salute subditorum diligens curiositas, ut custodiant et conservent gregem suum.

**TIT. CXIII. De tribus speciebus pœnitentiæ.**

Tres sunt species pœnitentiæ: Simulatoria et infructuosa, cujus exemplum est in Esau et falsis credulis; et desperata, sicut in Cain et Juda: utilis et consummata, sicut in Maria Magdalena et Zachæo. Cujus partes sunt quinque, contritio in corde, confessio in ore, maceratio in carne, correctio in opere, perseverantia in virtute.

**TIT. CXIV. De tribus mirabiliter mutatis.**

Tria sunt mirabiliter mutata: sublimitas in humilitatem, quando Verbum carnem assumpsit; contemptibilitas in majestatem, quando se homo Deus coram discipulis transfiguravit; mutabilitas in æternitatem, quando Christus post resurrectionem cælum regnurus ascendit.

**TIT. CXV. De tribus impediens pœnitentiam.**

Tria sunt quæ pœnitentiam obruunt. Anxietas nimia, doloris exactio ad mensuram innocentis, indignitas inferentis.

**TIT. CXVI. De triplici ascensu Domini.**

Triformis ascensus Domini: Victoriosus quo ascendit super aera; spiritualis, quo ascendit super cælos cælorum; gloriosus, quo ascendit super pennas ventorum.

**TIT. CXVII. De regni cælorum acquisitione.**

Regnum cælorum alii violenter rapiunt, ut pauperes spiritu. Alii merentur, ut illi qui faciunt amicos de mammona iniquitatis. Alii furantur, ut mulier quæ tetigit furtim vestimenti Dominici Ambriam. Alii ad ipsum compelluntur, ut pauperes sæculi.

**TIT. CXVIII. De instrumentis vindictæ Dominioæ.**

Tria sunt quibus Deus vindictam exercet in hostes: Lavacri salutaris remedium, quod obruit diabolo velut mare Rubrum occidit Ægyptios; pœnitentiæ condignæ exercitium, quæ velut sulphur peccati fetores interimit; distractionis extremæ iudicium, quod obduratos velut ignis ad vocem Eliæ involvit idololatrias.

**TIT. CXIX. De triplici lecto animæ.**

Lectus animæ tripartitus est quo pausat: Gravitatis debilitatis compositione quam sibi languidus jam sanatus substernit; tranquillitas quietæ conscientiæ in qua, fugiente David, statua ejus punitur (I Reg. xix). Hoc est, cui duæ sulturæ supponuntur, de præterito securitatis et fiduciæ ampliatio, de futuro remunerationis et præmii certitudo. Cervical quod supponitur capiti, est divinæ et familiaris gratiæ largitudo. Lectus tertius, humilitas inanis gloriæ; quæ est lectus floridus, quem lx fortes ambiunt (Cant. iii).

**TIT. CXX.** *De duobus fluvii quibus se lavant peccatores, et quibus iusti.*

Fluvii quibus se peccatores lavant duo sunt : Fluvius compositionis et lasciviæ, item pestis adulationis et fallaciæ. Qui sunt Abana et Pharphar, fluvii Damasci (*IV Reg. v*). Fluvii quoque quibus iusti se balneant duo sunt : invectio compositionis et contumeliæ, suavitas consolationis et gratiæ qui sunt Core et Datan, filii Levi.

**TIT. CXXI.** *De quatuor herbis aut floribus in horto Dominico crescentibus.*

Quatuor species sunt herbarum, in horto Domini: Puritas corporalis munditiæ quæ est quasi liliium; Gratia specialis innocentæ, quæ est quasi hyssopus; Veritas libera eloquentiæ, quæ est quasi viola; iustitia operationis continuæ, quæ est quasi rosa.

**TIT. CXXII.** *De tritibus paradisi.*

Paradisorum genera tria sunt : Voluptuosa dulcedo visibilibus, quæ irrigatur sicut hortus deliciarum; sincera puritas spiritualium, quæ in se conservat hominem; deliciosa veritas supercælestium, ubi Paulus audit arcana verba quæ non licet homini fari (*II Cor. xii*).

**TIT. CXXIII.** *De rerum nostrarum furibus.*

Latrones qui nobis optima quæque furantur, quatuor sunt : Hebetatio intellectus, discordia tollens nobis scientiam veritatis. Hic latro apud Psalmistam vocatur negotium in tenebris (*Psal. xc*). Indomitæ carnis lascivia, rapiens meritum integritatis, et dæmonium dicitur meridianum (*ibid.*). Favorabilis jactantia, tollens plenitudinem sanctitatis, et dicitur sagitta volans in die (*ibid.*). Vitæ hujus amor et appetentia rapiens præmium æternitatis, et dicitur timor nocturnus (*ibid.*). Hi sunt latrones sine intermissione insidiantes.

**TIT. CXXIV.** *De tribus panibus.*

Tres sunt panes quos de via veniens quærit amicus, charitas, humilitas, continentia.

**TIT. CXXV.** *De assumptione et decem præconiis Mariæ semper Virginis.*

*Assumpta est Maria in cælum.* Felix dies et præteritis diebus felicior, in qua Virgo virginum, Sancta sanctorum, misericordiæ mater assumitur, in qua cella aromatica, paradisi deliciarum, angelorum gloria ad regalis solii celsitudinem sublimatur. Hæc est Domina nostra, hæc est Virgo quæ singulari privilegio comitantibus angelicis choris hodie ad dexteram filii pervenit. Nam universorum Rex et ejus Filius et Dominus cælorum cum tota cælesti curia huic hodie occurrit, dicens : *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te (Cant. iv)*. Hodie Domina nostra insigni circumdata corona, ostendit angelicæ dignitati suæ celsitudinis privilegia, in quibus totius paradisi gloriatur curia. Primum privilegium est quod sine sorde et sine viro concepit. In hoc enim immunem se in conceptu ostendit, ab illo præscripto prophético : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (Psal. l)*. Secundum privilegium quod sine

A dolore peperit. Ubi maledictionem illam quæ primæ mulieri data fuerat superavit. *In dolore paries filium, etc. (Gen. iii)*. Nam quam homo non deflorat, non torquetur, nec laborat, etc. Tertium quod virgo et mater fuit, ubi natura cursum suum mutavit et admirando expavit. Nam miratur quod virgo pura parit filium. Nullo enim naturæ pacto ibi secunditas prædicatur, ubi integra virginitas conservatur. Quartum quod integra et perfecte omnia novit; qualiter enim aliquid potuit ignorare quæ omnia scientem scivit; in qua tota divinitatis plenitudo corporaliter habitavit? Quintum, quod Deum genuit. Sextum quod sine dolore mortis abiit; tantum enim a dolore mortis facta est extranea, quantum a corruptione fuerat aliena. Septimum quod cum corpore suo (quantum credimus) in cælo vivit. Licet enim B. Hieronymus hic opiniones ponat, non tamen factum abnuat; sed rationis astutiæ tota fidei nostræ colla submitit, in qua dicimus non impossibile Deo esse ut illud divinitatis habitaculum singulare corruptioni non subiaceat vel vermibus. Qui enim trium puerorum vestimenta in camino ignis illæsa servavit, corpus matris propriæ incorruptum servare et voluit et potuit. Octavum quod angelicam sublimitatem transcendit. Nonum quod ad dexteram Filii singulariter sedet Psalmista testante : *Astitit regina a dextris tuis, etc. (Psal. xlii)*. Decimum est generale quo pertexitur ora chlamydis, quod *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

**TIT. CXXVI.** *De triplici gaudio.*

*Intra in gaudium Domini tui (Matth. xxv)*. Triplex est gaudium. Est gaudium sæculi, est gaudium tuum, est gaudium Domini tui. Primum est de terrena affluentia, secundum de bona conscientia, tertium de æternitatis experientia. Non igitur exeat in gaudium sæculi, non remaneas in gaudio tuo, sed intres in gaudium Domini tui. Primum enim exterius est, medium quidem intra te, sed tertium multo interius. Ad primum exitur, ad secundum venire incipitur, ad tertium pervenitur. Ad primum exivit homo cum cecidit de paradiso, ad secundum venire incipit, cum per fidem reconciliatus est Deo. Tunc autem ad tertium perveniet, cum videndo ipsum sicuti est in æternum fruatur ipso. Primum est simplum, secundum centuplum, tertium vita æterna. *Qui autem renuntiaverit omnibus quæ possidet, centuplum accipiet, et in futuro vitam possidebit æternam.*

**TIT. CXXVII.** *De exaltatione Dei in nobis per cor altum, latum et profundum.*

*Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (Psal. lxxiii)*. Tribus modis exaltatur Deus. Primo per id quod habet de nobis, per naturæ scilicet humanæ conditionem, in qua exaltatus est super cælos cælorum, secundo, per id per quod habitat in nobis, per fidem videlicet, et dilectionem : quia qui amplius diligit, amplius diligendus invenitur; tertio, per id per quod capitur a nobis, utpote per cognitionem, quia quanto magis crescit in nobis

ejus cognitio, tanto major invenitur ejus eminentia, A instar montis qui quanto magis ab eo elongaris, tanto minor apparet; quanto vero magis appropinques, tanto major et altior videtur. Est autem cor profundum, et latum, et altum. Profundum desperatione, latum dilectione, altum contemplatione. Si ergo vis ut Deus qui in se exaltari non potest, in te exaltetur, a profundo cordis accede ad latum per fidem et dilectionem, et de lato ad altum per cognitionem, et exaltabitur Deus in nobis, quia quanto magis humani cordis affectio ab inferiorum suspensa desiderio in amorem æternorum promovetur, tanto charitas Dei de maximis major, et de summis altior virtutibus apud ipsum exaltatur.

TIT. CXXVIII. *De triplici promotione hominis.*

*Euge, serve bone et fidelis! quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam (Matth xxv).* Tres sunt promotiones: Prima est in virtutibus, secunda in administrationibus, tertia in præmiis. Prima meritum, secunda stipendiorum, tertia præmiorum. Prima meritoria, secunda dispensatoria, tertia remuneratoria. Prima interius operatur, secunda exterius, tertia interius et exterius. Prima quippe bonum facit, secunda fidelem comprobatur, tertia beatum constituit. Prima supra seipsum, secunda supra proximum, tertia supra hominem simul et angelum. *Nescitis, inquit Apostolus, quia angelos judicabimus (1 Cor. vi).* Unde dicitur: *Euge, serve bone et fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, etc.* Hæc prima promotio bona est in propriis. Hæc C secunda fidelis in commissis, bona in conscientia, fidelis in providentia. *Quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Hæc autem tertia beata est in præmiis; unde additur: *Intra in gaudium Domini tui.*

TIT. CXXIX. *Esse ex Deo, a Deo et de Deo.*

*Qui ex Deo est verba Dei audit (Joan. viii).* Aliud est esse ex Deo, aliud a Deo, aliud de Deo. Ex Deo esse est ex eo habere existentiam; a Deo, ipsi conformari per gratiam et justitiam; de Deo, deitatis habere naturam. Nihil de Deo est, nisi Deus; nullus a Deo, nisi electus. Ex Deo, tam electus quam reprobus; sed de Deo nihil, nisi Deus: solus enim Deus deitatis habet naturam. Electi conformantur ei per ju-

stitiam, ex Deo habent omnia existentiam, ex quo et in quo et per quem omnia sunt. Unde non secundum gratiam ex Deo sunt omnia, sed secundum existentiam, quia multa quæ sunt ex Deo per naturam conditionis; ex diabolo sunt per malitiam imitationis. Unde Dominus: *Vos, inquit, ex patre diabolo estis, etc. (Joan. iiii).* Qui ergo naturam subsistenti et formam vivendi ac vincendi ex Deo habent, ii ex Deo omnino sunt; et ipsi verba Dei audiunt non solo auditu auris, sed et cordis et operis. In auditu autem operis est obedientia; nam qui audit solo auditu auris, audit negligenter; qui auditu cordis, intelligenter; qui auditu operis, obedienter.

TIT. CXXX. *De pastoris boni officio.*

*Ego sum pastor bonus, etc. (Joan. x).* Qui habet pastoris nomen, sic gerat officium, ut habeat et meritum: ut non tantum sit bonus nomine, sed bonus actu, bonus et pastu sibi et gregi. Quos pascit verbo informet exemplo. Pro qua duplici bonitate, duplici, secundum Apostolum, *habeatur dignus honor (1 Tim. v).* Potest enim quis esse bonus et non pastor, et pastor et non bonus, et nec bonus nec pastor, et simul bonus et pastor. Sed bonus sit oportet, qui bonus pastor, hic ergo duplici bono præditus: altero suas oves cognoscit, altero a suis ovibus cognoscitur. Nam haud bonus pastor esset, si uno abundaret, et non altero; utpote si vel non cognosceret oves suas, vel non cognosceretur ab eis. Pastorum quippe alii cognoscunt oves suas, sed non cognoscuntur a suis. Alii cognoscuntur a suis, sed non cognoscunt suas. Alii neque cognoscuntur a suis, nec cognoscunt suas. Alii et cognoscunt suas, et cognoscuntur a suis. Primum fit cum prælati subditis necessariam exhibent providentiam et debitam ab ipsis non accipiunt obedientiam; secundum, cum prælati debita solvitur obedientia, nec ab ipsis necessaria subditis impenditur providentia; tertium, cum nec illi providentiam neque isti largiuntur obedientiam; quartum fit cum et illi providentiam, et isti obedientiam exsolvent debitam. Sic etenim pastor ovem cognoscit, si ejus necessitati sicut notæ sive commissæ diligenter providet. Ovis pastorem agnoscit, si ejus voci non ut alienæ, sed ut domesticæ incunctanter obedit.

## LIBER SEXTUS.

### ADNOTATIONES ELUCIDATORIÆ IN SCRIPTURAM, TRACTATUUM MORALIUM FRAGMENTA, ETC.

TIT. I. *De quadruplici potestate Christo data, et quadruplici statu creaturarum.*

*Data est mihi omnis potestas, etc. (Matth. xxviii).* Magno et inestimabili gaudio mens nostra potest hilarescere, si quam eminenti gratia natura humana de morte translata sit ad gloriam curet attendere.

PATROL. CLXXXVII.

D Duplo enim amplius exaltata est quæ cecidit, si attendas de quo statu ceciderit, et ad quem ascenderit. Lapsus enim est de animali et mortali ad mortuum. Primus enim homo factus est in animam viventem, id est, vitam animaleam; et si animaleam, etiam mortalem. Et corpus mortuum est propter

peccata. Reparatio autem facta est de mortuo ad immortale et spirituale; quia secundus homo in spiritum vivificantem, hoc est, quidquid mortale inerat immortalitate absorbente. Tres autem in homine gradus constituo: mortalem, mortuum, immortalem. Mortuum peccatum deiecit de medio ad infimum, gratia erexit de infimo ad summum, ut non sit regressus de mortuo ad statum primi hominis animalem, sed magis fiat ascensus ad vitam secundi immortalem. Quatuor autem rationalis creaturæ status esse discernuntur. Primus, creaturæ miseræ et mortalis; secundus, creaturæ beatæ sed mortalis; tertius, creaturæ miseræ licet immortalis; quartus, creaturæ beatæ et immortalis. In primo consistit creatura misera et mortalis; in secundo, creatura beata et mortalis; in tertio, creatura misera et immortalis; in quarto, creatura beata et immortalis. Primus status, creatura mortalis et misera, est homo injustus: propter conditionem mortalis, propter pravam voluntatem et peccatum miserimus. Nam peccatum hominem facit miserum, ut merito ei dicatur: *Miserere animæ tuæ, placens Deo (Eccli. xxx)*. Quasi dicatur: Miserere, licet misera est, quia beata esse potest. Secundus, creaturæ beata et mortalis, homo justus, mortalis ex jure conditionis, beatus ex habitu justitiæ. David enim dicit beatitudinem esse illius hominis cui Deus accepto fert justitiam. Nam beatus justus vir cui non imputavit Dominus injustitiam. In hoc enim: *beati sunt pauperes spiritu, beati mites (Math. v)*, et cæteri. Tertius, creatura misera et immortalis, apostatæ sunt angeli habentes miseriam immortalem, velut creatura quæ immortaliter est miserie deputata. Est enim immortalis propter ævum naturæ indissolubilis, misera vero propter nequitiam malitiæ insolubilis. Tria autem sunt quæ concurrunt ad ejus miseriam: cruciatus invidiæ, quo ex alieno successu scilicet hominis justis, tabescit invidia; tormentum conscientiæ, quæ, acerbissima dissectione in semetipsam cujus culpa talis facta est, nova rabie grassatur; imminenti terror gehennæ, quæ ipsos excruciat. Quartus status est creatura beata et immortalis, angelicus spiritus, quæ contemplatione Creatoris beata, perennitate vitæ et immortalis. In primo ergo statu, creatura misera et mortalis, est homo injustus. In secundo, creatura beata et mortalis, homo justus. In tertio, creatura misera et immortalis, spiritus apostaticus. In quarto, creatura beata et immortalis, angelicus spiritus. Homo quoque quadripartitæ creaturæ statui congruit. Quadripartita est potestas, quæ Christo glorificato data est. Accepit enim potestatem justificandi, quæ creaturam mortalem et miseram, beatam faceret, et vivificandi, qua beatam et mortalem, beatam et immortalem constitueret, et judicandi, qua beatam immortalem a misera et mortali discerneret, et glorificandi, qua discretam judicio, gloriosam et immortalem efficeret. De prima dicitur: *Filius habet potestatem dimittendi peccata (Math., xi)*. De secunda: *Potestatem habeo ponendi animam meam*

(Joan. x). De tertia: *Timete eum qui potestatem habet corpus et animam mittere in gehennam (Math. x)*. De quarta: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det illis vitam æternam (Joan. xvii)*. Prima quidem a misera et mortali tollit impietatem; secunda a misera et mortali excludit immortalitatem; tertia discretæ a misera et mortali quæ mutari non potest, commutandi in melius donat possibilitatem; quarta jam assumptæ in gloriam, lucis inaccessibleis exhibet claritatem. Prima ergo sanat interius, secunda exterius. Illa culpam amovens, hæc pœnam, eam quæ ex peccato accidit corporaliter, non illam quæ post corpus imminet æternaliter. Nam ab hac tertia quæ sequitur, potestas judiciaria discernit alios ad eam per hanc mortalitatis pœnam nascendo, alios item ab ea quasi instanti pariter eximendo. Optimum ergo et justum est, ut omne genuflectatur cælestium, terrestrium, et infernorum, in nomine Jesu (Philip. ii). Quem propter passionem videmus gloria et honore coronatum: cælestium, propter potestatem glorificandi; terrestrium, propter potestatem justificandi; infernorum, propter potestatem judicandi mortuorum et vivorum. Propter potestatem vivificandi, creatura misera vel injusta et mortalis amplectitur et diligit potestatem justificandi. Creatura justa et mortalis præstolatur fideliter potestatem vivificandi. Creatura misera et immortalis, experiatur potestatem judicandi. Creatura beata et immortalis perfruatur feliciter potestate glorificandi.

#### TIT. II. De silentio animæ contemplativæ.

*Factum est silentium in cælo quasi media hora (Apoc. viii)*. Est silentium quod est contemplatio. Cælum est anima justis. Unde: *Cælum sedes mea est (Isa. lxvi)*; et: *Cæli enarrant gloriam Dei (Psal. xviii)*. Cum igitur quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo: quæ quia in præsentis non est perfecta, non hora, sed media hora fieri perhibetur.

#### TIT. III. De uberis maternæ affectionis.

*Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus (Rom. xii)*. Materni breviter exprimuntur affectus, quia nec dolere nec gaudere parvuli absque ea quæ genuit possunt. Habet enim duo ubera, ex quibus duplex filiis lac porrigit. Primum uber est congratulatio, secundum compassio. Primum lac exhortatio, secundam consolatio. Ex ubere itaque congratulationis pastor bonus producit lac exhortationis proficientibus; ex ubere compassionis porrigit lac consolationis pusillanimis ex vi tentationis concussis. Quanti sunt hodie qui Christi opprobria, sputa, clavos, lanceam, crucem, mortem denique in fornace avaritiæ conflant, et pretium universitatis in marsupio suis includere festinant, et cum sint de patrimonio Christi crucifixi, nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Joseph? Sed quæ mater est ubera habet et non cessat de ubere congratulationis lac exhortationis,

et de ubere compassionis lac exprimere consolationis. Gaudere scilicet cum gaudentibus, et flere cum flentibus.

**TIT. IV. Responsum a triplici spiritu accipi.**

*Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto (Luc. 11).* Aliquando homo accipit responsum a Spiritu sancto, aliquando a spiritu malo, aliquando a spiritu suo. Quando accipit a spiritu malo, semper deluditur; quando a spiritu suo, sæpe decipitur; quando a Spiritu sancto nunquam fallitur. Spiritus malus semper deludit, spiritus hominis sæpe decipit, Spiritus sanctus semper bene docet et instruit. Nam quoties dat responsum, reddit veritati testimonium, sponsorque et testis de seipso facit iudicium. *Spiritus*, inquit, *scrutatur verba Dei (I Cor. 11)*. Dat ergo Spiritus sanctus responsum, per inspirationem, quam suggerit: testimonium per gratiam quam infundit; iudicium per discretionem quam tribuit. Quia vero multæ sunt suggestiones, et non facile credendum est omni spiritui, gratia cuiusdam optimi saporis bono spiritui testimonium reddit. *Ipsæ*, inquit, *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro (Rom. viii)*. Quoniam ipsum gustum a carnis affectionibus, scientia iudicandi discrevit. *Spiritus enim omnia iudicat (I Cor. 11)*, *attingens a fine usque ad finem fortiter (Sap. viii)*. Aspiratio ergo iudicat, gratia commendat, scientia discretionis examinat. Quicumque his fulcitur auctoritatibus et circumstantiis, huic secure assentias.

**TIT. V. De infirmo, causa morbi, medico et remedio morbi.**

*Infelix homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Rom. vii.)* Hic quatuor considerata: infirmus, causa morbi, medicus et remedium. Medicus Deus, infirmus homo, causa morbi amor mundi, remedium amor Dei. Horum differentia hæc est: Amor mundi in principio dulcis, in fine amarus nimis; amor Dei ab amaritudine incipit, finitur in dulcedinem magnam. Unde architracinus sponso: *Omnis homo primum bonum vinum ponit; sed cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, etc. (Joan. 11)*.

**TIT. VI. De triplici edicto, et de Moyse in fiscella clauso, per allegoriam ad Christum.**

*Exiit edictum a Cæsare Augusto, etc. (Luc. 11)*. Tria sunt edicta: Primum ad liberationem, secundum ad purgationem, tertium ad salvationem. Primum exiit a sapientia, secundum a potentia, tertium a gloria. Nisi sapientia exiret, potentia non salvaret nos, nec gloria vivificaret. Exiit filius qui diu latuit. Sicut Scriptura ait, Moyses latuit tribus mensibus in domo patris (*Exod. 11*), Christus tribus temporibus in sinu Patris: ante diluvium, post diluvium, post legem. Ut exeat textur fiscella scirpea. Fiscella est Maria; scirpea, fragili ex carne sine nodo culpæ. Recens in aqua rore gratiæ, pice et bitumine finitur ne dissolvatur, neve aqua intret. Duo sunt mala hominis: unum carnis, aliorum spiritus, luxuria et superbia. Contra luxuriam

adhibetur bitumen virginitatis, contra superbiam pix humilitatis; et ideo aqua libidinis non potest influere, quia carnem claudit bitumen, nec superbia potest dissolvere, quia pix sigillat mentem. Audi vocem bituminis: *Quoniam virum non cognosco (Luc. 1)*. Audi picem liquentem: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum (ibid.)*. Valida fiscella interius omne bonum continet; exterius nullum malum accedit. In tali vase venit in Ægyptum hujus mundi Dominus.

**TIT. VII. De vigiliis, somnis, quando et a quibus surgendum.**

*Hora est jam nos de somno surgere (Rom. xiii)*.

Tria ponit: horam, somnum, et surgere. Fuerunt quasi cuiusdam noctis tenebrose vigilæ tres. Prima in paradiso, in qua diabolus tribus modis tentat et superat: per avaritiam, per vanam gloriam, per gulam. Secunda in lege naturali, in quibus sunt tria quibus victus homo desperat: hostis instantia per suggestionem, malignitas carnis per concupiscentiam et titillationem fragilitatis, mentis ignorantia per alienationem veritatis. Tertia in lege scripta Moysi, in qua tria sunt, per quæ moriens homo expirat: abusio corporalium, quam faciebant in manna, dicentes: *Revertamur ad ollas carniū; transgressio spiritualium mandatorum, dum facti sunt prævaricatores, obstinatio malorum cordium, sæpe etenim correpti pejores sunt facti*. Tres similiter sunt species somni: Prima qua dormitat per cogitationem, tribus modis: immunditia, cum res turpes revolvit; superbia, cum in proximum se erigit; concupiscentia, cum res proximi concupiscit. Secunda qua dormit per locutionem, tribus modis: sermone supervacuo, detractorio, adulatorio. Tertia qua soporatur per operationem tribus modis: opere simulatorio, impio, impudico. Dicit igitur: *Hora est jam nos de somno surgere*. Post tres vigilias noctis sequitur quarta vigilia; quæ est ab Incarnatione Domini usque ad finem sæculi. Post quam nox non est, sed dies perpetua: *Nox enim præcessit; dies autem appropinquavit (Rom. xiii)*. Quarta vigilia noctis qua Dominus venit super aquas, tripartita est, tribus principaliter horis distincta. Prima hora, tempore martyrum, obstrepentibus hæreticis; secunda, tempore confessorum, pullulantibus hypocritis; tertia erit cum refrigescet charitas multorum. In his et in illis sicut per tres vigilias dormitavimus, dormivimus et soporati sumus. Sic quarta vigilia, tribus modis oppositis, de somno surgimus, trium vigilantium intentione; qui sunt spiritualis puritas, contra immunditiam; spiritualis paupertas contra concupiscentiam; oris custodia contra linguæ vitium: idque tribus modis: ostium ut sit circumstantiæ, contra sermonem supervacuum; laus ex amore, contra detractorium; veritas in ore, contra adulatorium. Tribus modis etiam vigilare excitamur in operis exhibitione, per tres monitores: qui sunt veritas actualis contra opus simulatorium, pietas

maternalis contra impium, sinceritas corporalis contra impudicum.

**TIT. VIII. De triplici jugo suavi et onere levi, obedientiæ et inobediendiæ.**

*Jugum meum suave est, et onus meum leve est (Math. xi).* Jugum vel onus suave est triforme. Primum timoris gehennæ, secundum regularis disciplinæ, tertium dilectionis et gratiæ. Primum sustinent qui tantum timore gehennalis pœnæ manus suas coercent a prava operatione; secundum portant qui timore temporalis pœnæ et amore præsentis commodi, corda sua reservant a prava cogitatione; tertium, illi qui sola Dei dilectione declinant a malo et faciunt bonum. Primi sunt servi, secundi mercenarii, tertii sunt filii. Primum servos excitat, secundum mercenarios confortat., tertium filios corroborat, quia primi inistant, secundi proficiunt, tertii perseverant. Sicut autem obedientiæ, ita et inobediendiæ, triforme est jugum. Primum iniquitatis et malitiæ quæ est luxuria, in quo Salomon subjigatur; secundum prosperitatis et abundantæ, in quo dives purpuratur; tertium afflictionis et miseræ, in quo Ochozias, postquam cecidit per canellos, consuluit Beelzebub deum Accaron (*IV Reg. 1*).

**TIT. IX. De triplici divinæ gratiæ operatione.**

*Quid habes quod non accepisti? (I Cor. iv.)* Crearis, sanaris, salvaris. Qui recte sapiunt, hanc triplicem divinæ gratiæ continentur operationem. Prima est formatio, secunda reformatio, tertia consummatio. Primo in Deo Christo formamur, secundo per ipsum reformamur, tandem per ipsum et cum ipso consummabimur. Siquidem quod non erat in illo creari oportuit; quod erat et deformatum erat, per formam reformari, et membra non nisi a capite perfici; quod erit cum occurremus in virum perfectum et mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes. iv*). *Quando apparuit Christus vita nostra tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria (Coloss. iii).* Creatio ergo fit sine nobis; consummatio de nobis: neutra a nobis. Sola reformatio quodammodo fit nobiscum, propter consensum voluntarium. Unde reputatur inter merita, quæ sunt jejunia nostra, vigiliæ, opera misericordiæ, et cætera virtutum exercitia, quibus constat nostrum interiore hominem renovari de die in diem.

**TIT. X. De equi boni conditionibus.**

Equus nobis exactiori diligentia perquiratur, quem ipsa pulchritudo commendat aspectu; post omni vitio mundum, inspectio diligens approbet; feratur per planum, nec sessorem qualibet inæqualitate concutiat, nec celeritatem retardet æqualitas. Nec pes aliquo reversus unquam cespitem offendat. Non sit opus eum vel freno cohibere, vel urgere calcariibus, qui tanta facilitate cuilibet mancipetur obsequio, ut omnem sessoris explorare videatur affectum. Denique tanta progressus ejus suavitate procedat, ut qui insidet non incedere sed labi videatur, non se tan equo vehi, quam navicula subveli

arbitretur. Quæ omnia corpori, quo tanquam equo utitur anima, applicari moraliter possunt.

**TIT. XI. Qualis sit rector erga subditos.**

Curandum est ut rectorem subditis et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina. Et inter hæc sollicita circumspectione providendum ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa, ut insit et juste consulens misericordia, et pie sæviens disciplina. Hinc semivivo vinum et oleum adhibetur, ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur, et sit in vino morsus severitatis, et in oleo mollietas pietatis, fiatque ex utroque temperamentum quoddam. Quo videlicet nec multa asperitate exulcerentur subditi, nec nimia lenitate solvantur. Unde in arca fœderis cum tabulis virga simul et manna est quia cum Scripturæ sacræ scientia in arca pectoris sicut est virga districtio, sic et manna dulcedinis. Hinc David: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt (Psal. xxii)*. Virga enim percutimur, baculo sustentamur. Sit ergo districtio virgæ quæ feriat; sit et consolatio baculi quæ sustentet; sit amor, sed non enolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus non immoderate sæviens, et pietas non plusquam expediat parcens.

**TIT. XII. De galli et prædicatoris consimili officio.**

Gallus priusquam cantet, alas excutit et se feriens vigilantorem reddit, quia prædicator prius se bonis actionibus exercet, ne in semetipso torpens opere, alios excitet voce, ut quod locuturi sunt, opere clament et voce, et sic cæteros ad vigiliam vocent. Hi profundiori hora noctis valentiores et productiores circa matutinum leniorem vocem reddunt; quia iniquis alta voce terrores intonant, luci propinquantibus blanda de præmiis proferunt.

**TIT. XIII. De quatuor considerandis.**

Quatuor consideranda occurrunt: ut consideres te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te. A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia te neglecto. Quid enim tibi prodest si universum mundum lucrareris, teipsum perderes? Si sapiens sis, totum tibi conducet ad sapientiam; si tibi non fueris, et noveris omnia mysteria, lata terræ, alta cæli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. Sapiens sibi sapiens erit, et bibet de fonte fidei ipse primus. A te proinde tua consideratio inchoet, et in te finiatur; quocumque evagetur ad te revocaveris eam cum salutis fructu. Summe exemplum de summo omnium Patre, Verbum suum et emittente et retinente. Verbum tuum est consideratio tua, sic exeat ut te non deserat. Et hæc tua consideratio in tria dividitur, uti consideres quid, quis, et qualis sis, quam benignus et mansuetus et similia. Homo juxta philosophos est animal rationale et mortale. Hæc duo consideranti, is tibi fructus occurrat, ut mortale quod in te est rationale humiliet; et rursus rationale mortale confortet: et neutrum neglectum erit bonum. Circumspecte considerato quid sis, natura occurrit qua es homo. Percunctanti quis?

Personæ nomen occurrit, quia es vel monachus simplex, vel pastor, vel episcopus. Quid ad te horum principaliter pertinet, sive quod nactus sive quod natus? Hoc ergo consideres inmaxime quod maxime es. Nec modo quod natus, sed qualiter natus. Nudus egressus es de utero matris. Nunquid infulatus? Si consideres qualis sis, occurrit homo dolens, quia homo sis, erubescens quod nudus, quod natus sis plorans, murmurans quod sis natus ad laborem non ad honorem. Ita tibi sume formam tam de conditione originis quam de sacramento redemptionis, quia auctor naturæ summa imaque consociat in sui persona; lumen Verbumque temperat. Tu altus sedens, non alta sapiens sis, sed humilia de te sentiens humilibus consentias. Proinde si consideres quantus sis, cogita et qualis, et maxime monstruosa res est grandissimus animus et infirmus, sedes prima et ima, vana lingua et magniloqua, et manus otiosa, sermo multus, et fructus nullus; vultus gravis, et actus levis; ingens auctoritas, et nutans stabilitas. Considerandum ergo quid sis, ut te in te teneas, non ambulans in magnis, neque in mirabilibus super te, neque sub te in profundum, quia locus medius est tuus, et virtus est ut qui sis sentiens, non decus tuum, sed ministerium datum consideres. Propheta cum similiter elevaretur audivit: *Ut evellas et destruas, et ædifices et plantes* (Jer. 1). Rustica res, in sudoris autem schemate quidam labor spiritualis non honor expressus est. Ut enim rusticum facias opus, prophetæ sarculo opus est, non sceptro. Attendas regimini non imperaturus, sed vitia extirpaturus. Illius tenore contentus, curam hæreditabit et operam, non gloriam; sed et duritias pro blanditiis. Cathedra episcopalis specula est; inde superintendens sonans episcopi nomen, officium significat non dominium. Tertiæ considerationi adjiciendum, qualis sis in condonandis injuriis, qualis in ulciscendis, quam in utroque providus loci et modi observator, qualis in prosperis, qualis in adversis, qualiter constans in propriis injuriis, condolens in alienis. Magnus est qui incidens in adversa, non excidit vel parum a sapientia; major qui cum præsens felicitas sibi arrisit, illi non arrisit. Facilius enim contraria fortuna quam prospera sapientia retinetur.

**TIT. XIV. De tribus supplicationibus, seu rogationibus principalibus.**

Tres sunt principales processiones: Prima in Purificatione beatæ Mariæ cum cereis ac lucernis; secunda in ramis Palmarum, cum floribus et palmis; tertia circa Ascensionem Domini, cum crucibus et vexillis. In duobus autem consistit purificationis nostræ festum: in emundanda conscientia propter Deum, et fama propter proximum. Conscientia a manifestis et occultis. Unde: *Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea*, etc. (Psal. 1). Ecce de manifestis. Et: *Ab occultis meis munda me* (Psal. xviii). Ecce de occultis. Fama quoque mundanda et protegenda a vera et falsa infamia. In his opus est lucerna, id est prudentia multa quæ in secretioribus et obscu-

ris, peccata quibus cæci facti sumus quærat, inveniat et purget, ut sic illuminatus dicat: *Lumen ad revelationem gentium*, etc. (Luc. 11). Purificati autem facimus secundam cum floribus et palmis. Arbores prius folia, deinde flores, et tandem producant fructus. In folio initium boni, in flore promissio primi, in fructu perceptio. In floribus præcedimus, si bonis initiis spe præmii ad æternitatis fructum tendimus. Palma non nisi centenaria fructificat, significatque palma victoriam. Centesimus fructus vitam æternam significat. Palmam portat in palma, qui in bonis de diabolo triumphat, et æternæ vitæ fructum exspectat. Sequitur processio in crucibus et vexillis. In cruce carnis afflictio, in vexillis mentis elevatio; crucibus vexilla addimus cum ex carnis maceratione ad cordis magnificentiam proficimus. Prima processio fit de domo in templum, secunda de vico in civitatem, tertia de terra in cælum. Domus est mansio usibus destinata propriis; templum, domus divinis dedicata. Conscientia ergo immunda domus est, munda templum, et ita prima processio, ab immunda incipiens conscientia, in ipsius munditiam terminatur. Vicus vero habitatio immunita. Secunda ergo processio a pusillanimitate spiritus et tempestate, modo ejusdem terminatur securitate. Ultima fit de terra ad cælum: de loco afflictionis et miseræ ad locum jucunditatis et gloriæ. In prima processione, hinc adsunt puer et puella, inde senex et vidua. In puero lacrymæ et mœror, in puella pudor, in senæ tremor, in vidua notatur dolor. Egret omnino purificationis nostræ festum talibus cultoribus ex recordatione peccatorum lacrymantibus, erubescuntibus, tremantibus et dolentibus. Nam tallium est circumducere processionem cum immolatione in templo vociferationis. In secunda processione, hinc videre est discipulorum cœtus, inde utriusque sexus turbam, quæ convenerat ad diem festum. Recipit hæc pueros, adolescentes, ætate maturos. In primis virtutis inchoatio, in secundis promotio, in tertiis notatur perfectio. Cum his oportet procedere qui vult sanctam ingredi civitatem. Ultima processio recipit solos perfectos, hinc viros angelicos descendentes et Galilæos sursum intendentes: medium Jesum a terra sublevatum, a nube susceptum, et in cælum assumptum. Primi sunt boni doctores; secundi boni auditores; tertii eos qui ex his et illis in cælum recipiuntur designant. In secunda processione opus est aut turture aut columba; uterque gemitum pro cantu habet. In cantu turturis gemitum pro peccatis; unde solitudinem amat. In cantu columbæ notamus gemitum pro dilectione patriæ: unde congregationem amat. Hoc opus in processione expiationis. In secunda pullo et asina quæ sunt minora subselliorum et elitellatorum genera. In asina humilitas, in pullo humiliatio. Humilitas qua quisque intus vilescit sibi in oculis Dei; humiliatio ejus effectus, quasi exterius se abjicit in oculis proximi; multi enim sunt exterius abjecti qui vere humiles non sunt. Ili in pullo, non in asino.

dent. Alii infirmitatem suam agnoscunt; sed dum foris humilia erubescunt, asinam, non pullum habent. Dominus non nisi in his subselliis sedet, quia : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum et contritum spiritu, et tremulentem sermones meos? (Isa. LXVI.)* In tertia fit processio in tuba et cymbalo. Cymbalum est jubilationis, tuba admirationis. Cymbalum a quacunque parte percutiatur idipsum resonat. Multiplex percussio, simplex resonantia, ut et nos quomodo-cunque et ubicunque feriamur, non nisi in cymbalis benesonantibus et jubilationis, solam Dei laudem resonemus, intendentes in tubam admirationis.

TIT. XV. *Forma exordii sermonis.*

In auribus tam prudentium, tamque venerabilium personarum quemlibet mihi timeo usurpare sermonem, qui nihil penes me nisi conscientiam habeo peccatricem, minorem scientiam et eloquentiam imperfectam, cui opportunius esset silere quam loqui, pasci quam pascere, aures vobis potius exhibere quam linguam. Sed quis sum qui mandatis Domini mei audeam obsistere? Multa de me mihi fiducia; verum ad sanctitatem præcipientis et ad merita vestra converto, cui necesse est obedire ex regula; idque sine mora. Nam os meum obedientiæ necessitas aperit, utinamque illud merita vestra adimpleant gratia ejus, qui ait : *Aperi [Dilata] os tuum, et ego implebo illud! (Psal. LXX.)*

TIT. XVI. *Ad pastores et prælatos sermo de officio pastorali.*

Videte, fratres, ministerium vestrum, judicate judicium Domini, quia iudices sæculi positi estis, non criminem ad occidendum, sed vulnerum ad sanandum. Videte languidum in manibus vestris, quem vobis misericors ille Samaritanus commisit : pro quo pretium ab eodem accepistis ne de vestro constet curatio ejus. Habetis duos nummos in duplici Testamento : Veteris monetæ unum, novæ alterum; ut Veteri emanent medicamenta quæ mordent; Novo, quæ sovent. Prima ad putrida purganda; secunda ad viva confirmanda. Hi sunt duo gladii quos Petrus parat in passione Domini. Primus est increpatio; secundus exhortatio. Unus quo ab Ecclesia putrida membra resecantur; alter quo sana a vulneribus defensantur. Hoc Petrus vobis reliquit, ut vitia hominum feriat; sed cum fervore Petri, hæredes ejus et imitatores esse velitis. Christus in oculis vestris crucifigitur, et vos gladium in vagina habetis? Quid Christianus, nisi corpus Christi, cum ipse dicat : *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis (Matth. xxv).* Quid pigri? quid timidi estis? Forte quia non statis sicut Phinees, iram Domini non placatis ut cesset quassatio. Forte quia discubuistis ad ollam Pharaonis, sagimen diligitis, pigrum est vobis ad bellum surgere. Forte quia lac diligitis et lanam, non oves pascitis, sed vosmetipsos, et fugitis veniente lupo, quia de ovibus non curatis. Saltem si lac ovium comeditis, carnem servate. Si fructum pro custodia quæritis, ipsas tamen oves non occidatis. An non occiditis? *Si eis iniquitatem suam non*

*annuntiat, sanguinem, inquit Dominus, de manu tua requiram (Ezech. iii).* Bonus pastor Christus etiam carnem suam ovibus dedit edendam, ut eas reficeret, et vos quomodo pretium pro gratia accipientes et lupi facti, ipsas oves necatis? Væ pastoribus malis, qui pascunt semetipsos non oves, qui sicut mercenarii, videntes lupum venientem, fugiunt non mutando locum, sed subtrahendo auxilium. Si ergo pastores estis vigilate super gregem vestrum. Ascendite ex adverso, et date vos murum pro domo Israel. Et quasi boni canes, latrate circum caulas Ecclesiæ vocibus confidentiæ, ut timeant latratores lupi, et oves securæ permaneant, et vos, pro bona custodia, pretium condignum accipere mereamini.

TIT. XVII. *De verbi Dei efficacia.*

*Vivus est sermo Domini et efficax, etc. (Hebr. iv.)* Sermo Domini vivus est et multiplex, quia loquitur per homines, loquitur et per se : per homines multos, per se unum. Videamus magnum sacramentum. Verbum Dei humana carne vestitum semel visibile apparuit : quotidie idipsum, iterata voce, conditum ad nos venit. Humanitatem Christi mali non solum videre, sed etiam occidere potuerunt. Quotidie sermonem Dei mali audiunt et contemunt. Quemadmodum autem illi non occidissent, si cognovissent; ita isti nequaquam verba Dei audita contemnerent, si virtutem eorum interno sapore gustarent. Sermo Dei vivus est, quia in eo vita est et cor vivificat. Quod foris est transit, quod intus mutabilitatem non recipit. Vivus est ergo, quia non mutatur; efficax, quia non deficit. Non fallitur iudicio promissio ejus, oblivione non moritur, nec intentione mutatur. Operatio ejus difficultate non vincitur, iudicium ambiguitate non fallitur. Veraciter permittit, fortiter facit, subtiliter discernit. Vivus est ut credas; efficax ut speres. Penetrabilis in iudiciis; vivus in præceptis et prohibitionibus; efficax in promissis et comminationibus. Penetrabilis in iudiciis et damnationibus : *penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hominis gladius non nisi hominis corpus incidit : ideoque anceps non est : dicitur enim anceps, qui utraque parte secat, quia *potest animam et corpus perdere in gehennam (Matth. x).* Sive utrumque dijudicat. incidit, et discernit : *pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus,* dum sacrum eloquium nobis quæ inter carnalia de fide repugnantia habeatur ostendit : *compagum quoque et medullarum,* quod explanatur cum subditur *cogitationum et intentionum.* Primum est foris super omnia quasi cutis; deinde delectatio quasi caro; inde cogitationes quasi ossa; tandem intentio quasi medulla. Sicut autem cutis carnem legit, sic opera delectationem; et sicut ossa carnem fulciunt, sic cogitationes desideria pascunt, et sicut medullæ ossibus interiores sunt, sic in cogitationibus latent intentiones. Cogitationes compages vocantur, quia sicut compago vinculum est quod medium extrema conjungit, ita cogitationes quæ ex desiderii nascuntur, et desideria gignunt, quodammodo

utraque, hæc nutriendo, illa gignendo, conjungunt. A Et bene post divisionem animæ et spiritus, id est carnalium voluntatum, divisio compagum, id est cogitationum bonarum et malarum, quasi perplexior et difficilior est posita; postremo quasi discretior intentionum. His omnibus secreta est merito in extremo medullarum divisio posita. Hic autem sermo Dei dijudicando penetrat intus per sapientiam suam secreta nostra subtiliter intelligendo; foris per doctrinam suam utiliter nos illuminando, eadem faciendo intelligere. Quia ergo vivus est, credamus eum vera prouittere; quia efficax, speremus eum promissa perficere; quia penetrabilis et falli non potest, offendisse eum doleamus, et de reliquo offendere eum caveamus.

TIT. XVIII. *De Pharisæis sui admiratoribus, et hypocritis occultis detractoribus.*

Pharisæica jactantia cunctos quidam homines quod superiores se et meliores existimant, despiciunt, venientes ad eos sub vestimentis ovium, intus autem lupi rapaces sunt: sed et pulices mordaces, imo linæ demolientes bonorum vitam, cum palam non audeant, in occulto corrodunt; si clamorem invectionis non possunt, saltem susurrium detractionis emittunt. Quid hujusmodi prodest tanta in suo victu parcitas, et in vestitu asperitas illa, et notabilis vilitas, in vigiliis, in jejuniis, in totius denique vitæ suæ singularitate quædam austerior conversatio, nisi forte opera sua faciunt ut videantur ab omnibus? (*Matth. ix.*) Sed dicit Christus: Amen, dico vobis, receperunt mercedem suam (*ibid.*). Tales, juxta Apostolum, in hac vita tantum sperantes, miserabiliores sunt omnibus hominibus (*I Cor. xv.*) In hac vita tantum in Christo sperat, qui de Christi servitio tantum temporalem gloriam querit. Miser talis homuncio, qui tanto labore et industria studet non esse, vel potius non videri sicut cæteri hominum: minus acceptus, imo cruciandus gravius quam quilibet hominum. Siccine non invenitur hypocritis via, ut ita dicam, utcumque tolerabilior ad infernum! cur saltem illam, qua multi incedunt, viam latam quæ ducit ad mortem non eligunt, ut velut de gaudio et non de luctu ad luctum transirent? O quam feliciter est illis: quorum non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum: qui in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur! (*Psal. lxxii.*) Qui etsi peccatores, et pro temporalibus gaudiis perpetuis cruciatibus addicti, saltem abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Væ portantibus crucem, non sicut Salvator suam; sed sicut Cyrenæus alienam. Væ citharædis citharizantibus non velut illi de Apocalypsi in citharis suis, sed vere, ut hypocritæ, in alienis. Væ semel et væ iterum pauperibus superbis, portantibus crucem Christi, non sequentibus Christum! qui cujus passionibus participantur, humilitatem sectari negligunt. Duplici contritione conteruntur qui hujusmodi sunt. Quia hic pro temporali gloria se affligunt, et in futuro pro interna superbia ad æterna supplicia

protrahentur. Laborant cum Christo, sed non cum Christo regnabunt; sequuntur Christum in simulata tristitia, non tamen Christum consequentur in gloria. De torrente in via bibunt, sed non exaltabunt caput. In via lugent, sed non consolabuntur in patria: et merito. Quid enim facit superbia sub pannis humilitatis Christi? Nunquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi unde involuta fuit infantia Salvatoris? et quomodo inter præsepium Domini simulans arrogantia se coarctata, et pro vagitibus innocentie malum murmurat detractionis? An non illi superbissimi in psalmo quorum *prodiit ex adipe iniquitas eorum*, multo citius sint redempti ab iniquitate et impietate, quam isti qui latent sub sanctitate aliena? (*Psal. lxxii.*) Certe minus est impius conditens impietatem quam mentiens sanctitatem, quia mendacium addens geminat impietatem.

TIT. XIX. *De incremento seminis jacti in terram, id est fidei et cæterarum virtutum.*

Sic est regnum Dei quemadmodum si homo jaciatur semen in terram, et dormiat et exurgat nocte et die et semen germinet, et crescat dum nescit ille. Ultra enim terra fructificat; primum herbam, deinde spicam, postea plenum frumentum in spica. Et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis (*Marc. iv.*) In cordis ascensione quidam gradus sunt de quibus ait psalmista: *Ambulabunt de virtute in virtutem* (*Psal. lxxxiii.*) Unde Job: *Per singulos gradus meos pronuntiabo illum* (*Job xxxi.*) Is quippe per singulos gradus suos pronuntiat, qui propter incrementa virtutum quæ accipit ei qui dedit laudem reddit. Et non solum de virtute in virtutem gradus sunt, sed unaquæque virtus quasi quibusdam gradibus augetur et per incrementa perficitur. Est enim aliud virtutis exordium, aliud profectus, aliud perfectio. Si ipsa fides quibusdam gradibus ad perfectionem non deduceretur, apostoli non dixissent: *Adauge in nobis fidem* (*Luc. xvii.*) Et alius, an crederet requisitus, non respondisset: *Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam* (*Marc. ix.*) Si enim incredulitatem se habere noverat, quomodo credebat? Sed quia fides meritum gradibus crescit, uno atque eodem tempore is qui non plene crederat, simul et credebat, et incredulus erat. Hos itaque gradus sub messis nomine, Marcus noster describit dicens: *Sic est regnum Dei*, etc. Semen homo jacit in terram, cum bonam intentionem cordi suo inserit. Posteaque dormit, id est in spe boni operis quiescit; nocte exurgit ac die, quia inter prospera et adversa non deficit semen, germinat et crescit ille, quia et cum adhuc incrementa sua mereri non valet, virtus semel concepta ad provectum ducitur; et ultra terra fructificat, quia præveniente se gratia mens hominis spontanea ad fructum boni operis surgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Ipsa enim invocatio boni operis instar herbæ teneritudinem habet, et ad spicam pervenit, cum virtus percepta ad perfectum operis

pertrahit. Plerumque trumentum in spica fructificat, cum virtus ad robustum et perfectum opus proficit. Producto fructu, omnipotens Deus falcem mittit, et messem suam desecat, quia cum unusquisque ad perfecta opera produxerit temporalem vitam suam, per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad horreum cœlestē perducatur. Cum igitur desideria bona concipimus, semen vitæ in terram mittimus; cum opera recta concipimus, herba sumus; cum ad perfectum boni operis conficimus, ad spicam pervenimus; cum ipsius operis perfectione solidamur, plenum frumentum in spica proficimus. Petrus herba fuit. Cum autem ancillæ verba timuit, viriditas adhuc erat in mente, quia Christum omnium redemptorem credebat, sed flexibilis pede conculcabatur timoris. In spicam suam excreverat, cum enim quem confiteri timuerat in Galilæa, viventem videbat. Ad plenum granum in spica pervenerat, quando, veniente desuper spiritu, ita roboratus est ut vires persequentium cæsus despiceret, et Deum inter flagella prædicaret.

Tit. XX. De hydiis vacuis et plenis.

Hydiæ aliquando sunt vacuæ, aliquando plenæ. Plenæ autem aliquando veneno, aliquando aqua vel vino. Vacuæ sunt cum pro inani gloria vel terreno commodo flunt. Plena veneno, si cum rancore animi vel murmure; aqua cum ex timore: siquidem per aquam quidam timor intelligitur. Unde Salomon: *Timor Domini fons vitæ (Prov. xiv)*. Vino plenæ sunt, cum timor vertitur in amorem, cum charitas timorem excludit. Ut vacuæ sint vel veneno plenæ, non vult Dominus; ut aqua impleantur jubet; ut aqua in vinum vertatur facit.

Tit. XXI. De pigro, de luctante et vincente.

Tres sunt: piger, luctans, vincens. De primo dicitur: *Abscondit piger manus suas sub axilla (Prov. xix)*. Luctans audit: *Viriliter agite (Psal. xxx)*. Et vincenti clamat Dominus: *Vincenti dabo edere de igno vitæ, quod est in paradiso Dei mei (Apoc. ii)*. Pigo ergo est primo consolandum, secundo condolendum, vugnanti metuendum, vincenti congaudeandum. Primus habet manus ligatas, secundus exertas, tertius quietas. Primus insanus sine vulnere, secundus sanus cum vulnere, tertius sanus ab omni vulnere. Primus dormit sine spe, secundus vigilat in spe, tertius gaudet in re. Piger tenet silentium a bono, secundus a malo, tertius ab incommodo. Incommodum dico nocivum corpori et animæ, id est peccata et peccati pœnam. Hoc silentium erit in vita beata, ubi servus liber erit a domino suo. In hac enim vita non est servus liber a Domino, quia licet per pœnitentiam relinquat peccatum peccator, impugnatio tamen peccati adhuc insistit.

Tit. XXII. De nocte, cursu ac itineribus ejus.

Nox in suo cursu medium iter habet (Sap. xiii). Nox ignorantia boni. Cursus noctis est ad defendendum tempus bonitatis. Tria sunt itinera noctis: Primum, ex ignorantia boni errare; secundum, post cognitum bonum errorem diligere; tertium, in er-

rore perseverare. Cum itaque venit Christus, medium silentium tenebant omnia, mox in suo cursu medium iter tenebat, quia homines a bono silebant et errorem diligebant.

Tit. XXIII. De multiplici acceptione Eucharistiæ corporis Domini.

Qui semel datus est mundo in forma carnis, is cunctis diebus aut horis datur fidelibus in specie panis, scilicet in esu sacramenti sui, sed sæpius et in cunctis horis devotis datur in gustu spiritus sui. Primum ad redemptionem, secundum ad sanctificationem, tertium ad consolationem. Primum exigit ut fides sit recta, secundum ut conscientia sit pura, tertium ut devotio sit pura et prompta. Hoc mentem elevat, ut gratiæ occurrat; cor aperit, ut excipiat; affectum dilatat, ut plurimum inde plus capiat.

Tit. XXIV. De præparamentis ad Purificationem Mariæ digne celebrandam.

*Sint lumbi vestri præcincti, etc. (Luc. xii)*. Lumbi nostri sint præcincti, ut Purificationem Mariæ æmuletur, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris, ut gaudium Simeonis lumen in manibus, portantis etiam visibili signo in nobis præsentemus. Simus casto corpore, et mundo corde, ut Purificationem Virginis expressius colamus. Simus ardentes devotione, lucentes opere, ut cum Simeone Christum portemus in manibus. Sit lucerna in corde, sit in manu, sit in ore. Lucerna in corde luceat in nobis, in manu aliis, in ore proximo. Lucerna in corde puritas est fidei; lucerna in manu, exemplum operis; lucerna in ore, sermo ædificationis. Non solum coram hominibus nos lucere necesse est per orationem, et coram Deo per intentionem, sed etiam coram angelis per operationem. Lucerna nostra coram angelis est pura devotio, cum in conspectu angelorum psallimus sapienter, vel oramus ardentem. Lucerna coram Deo, simplex intentio, ut ei soli placeamus cui nos probavimus. Quod autem fides lucerna sit, testatur Salomon: *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus (Prov. xxi)*, id est non deficiet in tentatione fides ejus. Quod opus bonum lucerna sit, ostendit Dominus: *Luceat lux vestra, etc. (Matth. v)*. Quod Domini sermo lucerna sit ostendit David: *Lucerna pedibus meis verbum tuum (Psal. cxviii)*. Quod oratio lucerna sit Salomon notat: *Lucerna Domini spiraculum vitæ hominis, quæ investigat omnia secreta ventris (Prov. xx)*. Lumen namque quod nobis orantibus vel psallentibus desuper aperitur spiraculum est vitæ, in quo suaviter respiramus. Quod autem dicatur investigare secreta ventris, id est mentis, non illud esse putandum quod Dominus comminatur se scrutaturum esse in lucernis; istud namque causa cum sit illuminantis, illud iudicii est exquirentis. Nam et aliter investigat secreta ventris potio medici, aliter gladius carnificis. De intentione dicitur: *Lucerna corporis tui est oculus tuus (Matth. vi)*. Nobis ergo, quibus ardent tot lucernæ, cum exstincta fuerit lucerna hujus vitæ, oriatur lux inexstinguibilis

vita, et quasi fulgor meridianus consurget nobis ad A vesperam. Et cum nos consumptos putaveris, oriemur ut lucifer, et tenebræ erunt sicut meridies.

TIT. XXV. *De triplici descriptione ad conjugium, ad continentiam, et ad virginitatem.*

Ut describeretur universus orbis, etc. (Luc. 11). Triplex est descriptio: Alii ad conjugium, alii ad continentiam, alii describuntur ad virginitatem. In his tribus est tota descriptio Christi: qui non est in aliqua istarum, non est Christi, sed potius ad censum diaboli pertinet. Conjugium comparatur tapetibus, quæ super terram extenduntur. Continentia est cortina dependens in pariete. Virginitas regium mantile supra quod fercula ponuntur. Primum est sub pedibus regis, secundum in conspectu, tertium juxta regem vel circa. Primum ad usum, secundum ad delectationem, tertium ad dignitatem. Primum in terra terræ pulvere obfuscat, secundum supra terram coronatur, tertium caelestia imitatur. In conjugio est vinculum spiritus propter societatem, usus carnis propter prolem, moderatio carnalis consortii propter suscipiendum corpus Christi et orationem. Fornicatio est ignis comburens, conjugium ignis calefaciens, virginitas ignis lucens, et levitate se ad alta acuens ac agens. Nostrum igitur est aut perire incendio, aut evadere remedio.

TIT. XXVI. *De vocatione Lazari in sepulcro, moraliter alludendo primo ad hoc quod « abyssus abyssum invocat; » deinde de tertia decima mansione Judæorum in deserto, et quæ sequuntur.*

Lazare, veni foras (Joan. xxi). In hac vocatione videndum est quis vocat, quem vocat, et quomodo vocat. Hæc enim tria in omni vocatione sunt attendenda: qualitas vocantis, vocati et vocandi, id est vocans, vocatum et vocatio. Historialiter Christus Lazarum materiale de sepulcro vocavit materiali. Spiritualiter abyssus vocat abyssum: Abyssus Dei, abyssum hominis; abyssus sapientiæ, abyssum ignorantiae; abyssus misericordiæ, abyssum miseriam. Venit enim sapientia Dei ad ignorantiam nostram, venit misericordia Dei ad miseriam nostram, venit Christus sublimis ad limum nostrum, excelsus ad profundum nostrum, et infixus est in limo profundi, ut nos erueret de profundo. Abyssus Christus est, quia incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (Rom. xi). Unde Ego latitudo, etc. (Jer. xvii). Abyssus etiam cor hominis pravam et inscrutabile. Et quis cognoscet illud? (ibid.) Unde et Jonas sub persona Christi in passione: Abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum (Jon. ii). Abyssus igitur superior vocat inferiorem; Christus hominem, dicens: Lazare, veni foras. Quasi dicat: Abyse malitiæ Adam, abyse ignorantiae, abyse miseriam, veni foras. Sed unde et quo de sepulcro, imo de sepulcris? Omne enim peccatum sepulcrum est: ergo quot peccata, tot sepulcra. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos (Luc. ix). Mortuus mortuum sepelit, cum peccator peccatorem adulationibus pascit. In sepulcris concupiscentiæ mortui sunt et

sepulti quibus dedit Dominus desideria cordis eorum. Decima tertia mansione in exitu de Ægypto mormuravit populus contra Dominum suum et Moysen, reversi enim sunt corde in Ægyptum ad ollas carni, cæpas, allia et pepones. Nam tertius decimus numerus, primus a duodecimo doctrinæ apostolorum, transgressionem notat. Inde Christus tertia decima transgrediens, tertia decima passus est, ad vesperam fecit pro nobis sacrificium vespertinum, ut de vespere mortis duceret nos ad matutinum vitæ. In hujusmodi sepulcris fetebat quatuordecim. Prima dies mortis nativitas carnalis; quia homo nascitur ad laborem, repletus multis miseriis. Unde: Quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Rom. vii.) Secunda transgressio legis naturalis; tertia scripturæ legis; quarta datæ gratiæ. Ecce jam fetet. Hunc tamen vocat de abyssis terræ. Unde: De abyssis terræ iterum reduxisti me (Ps. lxx). Primo in corpore, iterum in anima. Primo de peccato originali; iterum de actuali. Primo in te capite nostro, cum naturam nostram de morte suscitasti; iterum in membris, cum nos morte peccati liberasti. Semel in spe, iterum in re de abyssis terræ ad abyssum caeli reduxisti. Tres autem sunt abyssi vitæ, prima profunda, secunda profundior, tertia profundissima. Peccatum in cogitatione, operatione, consuetudine. Mortuus in domo, in porta, fetens in sepulcris. Ab hac triplici abyso postulat liberari Propheta: Non me demergat, inquit, tempestas aquæ, per iniquam cogitationem, neque absorbeat me profundum, per pravam operationem, neque urgeat super me puteus os suum, per obstinatam consuetudinem (Psalm. lxxviii). Lazare, veni foras. Qua? per me, quia ego sum via (Joan. xiv). Quo? ad me, quia ego sum patria. Veni per me hominem, ad me Deum. Unde vocatur de peccatis. Qua? per Christum hominem ad Christum Deum. Vocat igitur abyssum de abyssis, et per abyssum.

TIT. XXVII. *Quod multiplici ratione Maria dicatur virga, et Christus flos ejus.*

Virgo Dei genitrix virga est, flos filius ejus. Perquam convenienter, fratres charissimi, dicitur virga, beata virgo Maria. Est enim virga recta, virga erecta, et in cælum usque porrecta. Virga gracilis, virga fragilis, virga flexibilis, virga frondosa, virga florifera, virga fructifera: Recta per fidem, erecta per spem, porrecta per longanimitatem, per humilitatem gracilis, per mansuetudinem flexibilis, per virginalem conceptionem florifera, per partum salutis fructifera. Gracilis, per abjectionem sui, fragilis per despectionem mundi, flexibilis per compassionem proximi, frondosa per gratiam devotionis, florifera per gratiam virginitatis, fructifera per prærogativam fecunditatis. Prærogativa fecunditatis fuit quia talis taliter talem genuit. Qualis? virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Qualiter? Angelo nuntiante, Spiritu sancto operante, virtute Altissimi obumbrante. Qualem? Sanctum sanctorum, Regem sæculorum, Dominum angelorum, Regem devotique regum, et Dominum dominorum, unicam Virginis

matris, unigenitum Dei Patris, Deum et Dominum A  
 majestatis. Virgo Dei genitrix, virga est; flos filius  
 ejus, quam bene quam recte dicitur flos? quia ex  
 virga virgine producitur. Quid flore tenuius? Quid  
 flore tenerius? Quid ad tactum lenius? Quid ad  
 ferendum levius? Quid flore speciosius? Quid flore  
 fragrantius? Quid flore fructuosius attendimus? In  
 flore itaque est mellificatio, ex flore fructificatio, ex  
 flore favus et fructus. In favo mel et cera, in fructu  
 potus et esca. Si parva sunt ista, addo quod et in  
 flore medicamenta. Quid flore tenuimus cum astrin-  
 gitur? Quid tenerius cum atteritur? Quid lenius cum  
 attrahitur? Quid levius cum portatur? Quid spe-  
 ciosius cum aspicitur? Quid fragrantius cum olo-  
 ratur? Quid utilis si effectus attendantur? Septem  
 itaque sunt quæ in flore miramur: tennitatem, tene-  
 ritatem, lenitatem, levitatem, pulchritudinem, fra-  
 grantiam, utilitatem. Ex his itaque collige, Virginis  
 ille filius qualis invenitur ab illis quibus in florem  
 vertitur. Nam qui incredulis et prævaricatoribus  
 est *Japis offensionis, et petra scandali* (I Petr. II), flos  
 est spe et amore inhærentibus. Illis flos igitur imi-  
 tabilis specie et utilitate singularis; flos in quo est  
 filius Virginis, flos tenuis ad indignationem, tener  
 ad miserationem, mansuetudine lenis, levis domina-  
 tione, pulcher per dominationem, pulcher per mode-  
 rationem, fragrans per repositionem, utilis per  
 remunerationem. Est ergo tenuis in flagellis, tener  
 in misericordiis, lenis in donis, levis in præceptis,  
 pulcher in exemplis, fragrans promissis, fructuosus  
 in præmiis. Ille flos factus est nobis medicina; ex  
 illo enim mel et cera, in ipso potus et esca. Medicina  
 in redemptione, potus et esca in justificatione,  
 mel et cera in glorificatione. Ex hac medicina sanitas  
 sempiternæ incorruptibilitatis, ex ejus esca re-  
 sectio internæ sanitatis, ex ejus potu ebrietas æter-  
 næ fecunditatis. De illius esca et cera, splendor  
 summæ claritatis. In ejus melle dulcedo indeficientis  
 felicitatis.

TIT. XXVIII. De matre et puero in Ægyptum profu-  
 gis moraliter, et persecutione puerorum sanctorum  
 Innocentium.

Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum  
 (Matth. II). Mater munditia est cordis, puer veritas, D  
 quia de tali matre nascitur intelligentia, veritas,  
 cognitio sui et Dei. Hæc est plena intelligentia et  
 plena sapientia. Vis scire quod de tali matre talis  
 filius nascitur, cognitio scilicet Dei de cordis mun-  
 ditata? *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-  
 bunt* (Matth. V), id est cognoscent. Puritas cordis  
 est terra quæ in perpetuum stat. Quia quod purum  
 est, corruptionem ignorat, et sic perire nescit.  
 Illius terræ fructus, veritas, quia *veritas de terra  
 orta est* (Psal. LXXXIV). Nato tali puero, *Herodes tur-  
 batur, et omnis Hierosolyma cum illo*, quia puerum  
 qui natus est, non vult crescere, imo omnes pueros  
 vult occidere. Herodes est superbia. Hierosolyma  
 regnum ejus. Diligit Christus parvulos Judæos,  
 amat Hierosolyma magnos Judæos. Judæos conf-

lentes interpretatur. Vis scire equales confessores He-  
 rodes habeat rex superbus? *Non sum, inquit, ut  
 ceteri homines raptores, etc.* (Luc. XVIII). Talium  
 Hierosolyma turbatur cum eo. Vis audire quales  
 habeat Christus? *Ego sum, inquit, minimus aposto-  
 lorum, etc.* (I Cor. XV). *Excelsus Dominus humiliata  
 respicit* (Psal. CXXXVII), parvulos quærit. *Sinite,*  
 inquit, *parvulos venire ad me, etc.* (Matth. XIX). Su-  
 perbus Herodes humilia despicit, ambulans in ma-  
 gnis, et mirabilibus super se parvulos Christi quæ-  
 rit occidere a bimatu et infra. Humilis confessio  
 minimum facit Judæum et parvulum: in quantum  
 humilis est parvulum; in quantum confessio, Juda-  
 eum. Sed alia est confessio criminis, alia laudis.  
 Tu forte mala tantum in te invenis, erubescis con-  
 fiteri: illa bona aliqua comprehendit, et hæc de  
 Dei munere cognoscens, gratias agit. Uterque pro  
 humili confessione Judæus et parvulus, sed tu anniculus:  
 ille bimus. Qui enim pro peccatis Domino  
 confitentur, ad primum annum perveniunt; qui  
 pro donis, secundum attingunt. Confessio itaque  
 criminis facit anniculos; laudis, bimos. Herodes  
 igitur, qui Judæos magnos et tumidos, non ad lau-  
 dandum Deum, sed ad lapidandum Stephanum  
 promptus, non solum primum, sed et secundum præ-  
 vel humilis confessionis annum transgredientes dili-  
 git. Parvulos quos Christus diligit usque ad mor-  
 tem persequitur a bimatu, et infra; et ipsum pue-  
 rum, scilicet ipsam veritatem cordis mundati. He-  
 rodes puerum persequitur, cum ex accepta veritatis  
 intelligentia, spiritu elationis animus impugnatur.  
 Multi enim cum veritatis intelligentiam accipiunt,  
 altiora seipsis quærentes se deserunt. Nunc de  
 mysterio Incarnationis et Trinitatis, nunc de secre-  
 tis cælestibus, et Spiritus sancti charismatibus  
 disputant; et dum supra se rimantur, suæ infirmi-  
 tatis nescii, se esse homines obliviscuntur. Qui ergo  
 hanc Herodianam impietatem cupit evadere, angelis  
 consilio obediat. *Accipe, inquit, puerum, et matrem  
 ejus, et fuge in Ægyptum. Ægyptus tenebræ* interpre-  
 tatur. Ad tenebras igitur nostras considerandas ire  
 præcipimur, quando per spiritum superbiæ impu-  
 guamur. Est autem puer aliquando apud Ægyptum,  
 aliquando invenitur in Judæa: apud Ægyptum est  
 quando docet me quantæ sint tenebræ meæ, in-  
 struens me vera cognoscere de meipso; apud Judæam  
 est quando ostendit mihi quæ sit claritas sapientiæ  
 suæ, erudiens me vera de Deo. In Ægypto dat co-  
 gnitionem mei; et in Judæa, Dei, quia *Notus in Ju-  
 dæa Deus* (Psal. LXXV). Accipe puerum et matrem  
 ejus, cum utroque fuge. Si Herodem non evitas,  
 puer occiditur, quia si superbiæ non declinas,  
 veritatis lux exstinguitur. Si cum utroque non per-  
 gis, intus non eris. Si pristinos errores, præteritas  
 delectationes, ad memoriam reducis, in Ægyptum  
 quidem venisti et moraris in ea, in tenebris tuis  
 considerandis occupatus; sed quia sine puritate  
 huc venisti, raperis in turpem delectationem; sed  
 quia veritas tecum non est, ca lis cito in errorem.

Si enim antiquas voluptatis vias per concupiscentiam respicis, sine Virgine matre pergis. Si mala tua excusas vel mala esse dissimulas, sine puero in Ægypto moraris. *Fuge, ergo et cum utroque esto ibi usque dum dicam tibi.* Non ante tempus redeas, sed neque ultra quam satis est moreris. Nam si mala tua nimis attendas, cito te in desperationis foveam præcipitas; si ante tempus vel ultra modum de Dei misericordia confidis, te nihilominus in præsumptionem erigis. Cum igitur ex nimia consideratione tenebrarum tuarum tanquam ex multa mora Ægypti in desperationem traheris, et a tristitia absorberis, angeli Satanae consilium sequeris. Hoc ipsum si ex Judæa facias inhabitatione, per inanem lætitiã ad vanam gloriam et spem rapies. Si igitur discretus es, non solum fugias, sed esto ibi usque dum dicam tibi, ut ait Angelus magni consilii: *Surgens ergo Joseph fugit in Ægyptum cum matre et puero, et erat ibi usque ad obitum Herodis, usque dum diceretur ei: Revertere in terram Israel, defuncti enim sunt qui querebant animam pueri,* etc. Et nota quod nocte fugit. Nox autem propter tenebras significare quandoque solet ignorantiam; quandoque propter frigus tristitiam. Nocte igitur ad Ægyptum tendit, qui pristini erroris sui vias cum gravi mœnore respicit. Qui enim conscientia suã tenebras cum alacritate intuetur, in Ægyptum clara die revertitur. O quanta impudentia, peccata præ oculis habere et non gemere, erubescenda tueri et non erubescere, dolenda videre et minime dolere! De nocte quidem ire disponebat qui dicebat: *Recogitabo annos meos in amaritudine animæ meæ (Isa. xxxviii).* Qui recogitat in jucunditate animæ suæ, sibi, o Domine, non tibi recogitat annos anteactæ vitæ suæ. Recogita illi annos tuos in amaritudine animæ tuæ, non in dulcedine, ut nocte fugias in Ægyptum, quia eo amplius dulcescat tibi Lonitas Dei, quo magis tibi amarescit iniquitas tua; et quo plus displicet injustitia, tanto plus placeat Dei misericordia. Utile enim est fugere ad Ægyptum et infirmitatis nostræ tenebras inspicere, ne animus intumescat. Sed forte dices: Tenebræ conculcabunt me si in Ægyptum iero, ideoque audi: *Nox nocti indicat scientiam (Psal. xviii).* Tantum ergo puer Jesus, et mater sit tecum, fiducialiter ibi et vere dicere poteris: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala (Psal. cxxxvii),* quoniam puer Jesus et mater Virgo, et cordis munditia, et veritatis intelligentia mecum est, quinimo et nox facta est illuminatio mea in deliciis meis. O bone Jesu! quanta qualesque misericordia divina, dum nox vertitur in diem, tenebræ in lucem, amaritudo in jucunditatem, ignorantia in scientiam? *Fugit quoque Joseph in Ægyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis.* Obitus Herodis, defectus est elationis. Si in Ægyptum vadis et in ea moraris, quando infirmitatis tuæ tenebras agnoscis, omnis profecto arrogantia deficit. Defuncto Herode tempus est revertendi in terram Israel. Israel *vir videns Deum*

interpretatur. Ille Israel est cujus mens in contemplatione levatur. *Ego vir videns paupertatem meam (Thren. iii);* usque hodie, quia nihil nisi tenebras video, in Ægypto sum, qui vero per contemplationem gloriam Dei intuetur, in terra Israel moratur, quia si quis sapientiam loquitur inter perfectos, et quæ corde contemplatur ore confitetur, in Judæa conversatur. In Ægypto quisque est per considerationem sui; in terra Israel per contemplationem Dei; in Judæa per ædificationem proximi.

TIT. XXIX. *De sacramentorum diversitate.*

Sacramentorum alia consistunt in rebus, ut aqua aspersionis; alia in factis ut signaculum crucis, tunsio pectoris, expansio manuum; alia in verbis, ut responsoria; alia in jubilis et gestu, ut aqua aspersio exemplo Elisei mittentis sal in aquam, ut amari fontes dulcorarentur. Innuat autem aqua poenitentiam de præteritis, sal discretionem de futuris: quæ duo juncta amaram conscientiam in dulcedinem vertunt, illusiones et infestationes dæmonum pellunt. Signaculum crucis, virtus est passionis Christi; tunsio pectoris expulsionem malæ cogitationis; expansio manuum charitatem notat; Responsorium, bonam operationem. Alleluia præsentem lætitiã. Jubilus futuram significat.

TIT. XXX. *De sancio, vulneribus ejus, et medico et medicamentis, et operibus misericordia.*

Homo in peccatis jacens ægrotus est, vitia vulnera, Deus medicus, dona Spiritus sancti antidota, virtutes sanitates, beatitudines gaudia. Per dona Spiritus sancti vitia sanantur, sanus virtutibus operatur, operans gaudiis muneratur. Sex autem sunt opera misericordia, esurientem pascere, sitientem potare, hospitem colligere, nudum vestire, infirmum visitare, ad carceratum et inclusum venire; septimum, ut in Tobia legitur (Tob. i), mortuum sepe- lere.

TIT. XXXI. *De duabus portis summe vel bonis vel malis.*

Duxæ sunt portæ, amor et timor. Quæ cum bone sunt, omnem bonum efficiunt. Per timorem enim mala caventur, per amorem bona exercentur. Cum vero malæ, omnium malorum causa sunt. Per timorem enim malum a bono reciditur, et per amorem malum mala fiunt. Portæ igitur sunt per quas mors et vita ingrediuntur. Mors, quando ad malum aperiuntur; vita, quando ad bonum reserantur.

TIT. XXXII. *De quadruplici timore.*

Quatuor sunt timores: servilis, mundanus, initialis, filialis. Primus pro evitanda pœna abstinere a malo, retenta voluntate mala; secundus pro evitanda pœna abstinere a malo, obtenta voluntate bona; tertius pro evitanda pœna a pravo opere abstinere, et pravæ cogitationes resecat; quartus bono firmiter adhæret, illud amittere nolens. Primus hominibus placere quærit, pœnam quæ ab hominibus infertur, non reatum conscientia timens; secundus hominibus placere non quærens, tametsi displicere metuens, tam mendax est in veritate neganda;

quam fallax alter in veritate tegenda, uterque in A veritate offendit; tertius, quia poenam quam Deus qui cor inspicit comminatur declinare vult, ei displicere metuit; quartus Deo placere volens, destinatum bonum timet, id est non vult amittere.

Tit. XXXIII. De triplici vitio, triplici peccato, et triplici remedio.

Triplex vitium, triplex peccatum, triplex remedium: Impotentia, ignorantia, concupiscentia; tria virtute hominis interioris vitia, dum consensum alliciunt, transeunt in peccata, quorum alia per infirmitatem, alia per errorem, alia ex sosa (sic) perversa voluntate ultro committimus, triplex vero remedium in divinis constitutionibus, comminationibus et promissionibus, intelligimus. Unde: *Omne caput languidum, et omne cor mœrens! A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas (Isa. 1)*, ecce mala innata. Vulnus et livor et plaga tumens, etc., ecce mala illata. Prima intrinsecus, secunda extrinsecus. Ad cumulum autem malorum sequitur contemptus remediorum. *Non est, inquit, circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo, etc.* Ecce quantis malis premimur. Ergo disce, o homo! et si ab homine dedignaris, ab eo saltem qui docet hominem scientiam, tantam miseriam, quod scilicet de interioribus timere, de exterioribus debeas formidare, ut ardentius medici remedia quæras, et diligas ligamenta, scilicet divinarum institutionum, curamenta comminationum, fomenta promissionum. *Omne, inquit medicus in propheta, caput languidum, etc.* Caput, id est liberum arbitrium, quia sicut caput corpori præminet, ita liberum arbitrium omni C occasione præsidet. Isto nihil dignius, quia incommutabili æternitati præ cæteris vicinius accedit, ejus in se imaginem expressius gerit, quia nulla culpa, vel miseria, non dicam destrui, sed nec minui potest; et sicut superiorem non habet, nec habere potest, sic liberum arbitrium dominium non patitur nec pati potest, quia violentiam illi inferre, nec Creatorem decet, nec creatura potest. Tptus si infernus, totusque mundus, et militiæ cœlestis in unum conjuret exercitus, unus ex libero arbitrio consensus in qualibet re invito extorqueri non valet. Hoc itaque caput in homine languidum dicitur, quia ad amorem bonum torpet. Capitis languorem ostendebat, qui dicebat: *Sine me nihil potestis facere (Joan. xv)*. Quid enim boni facere potest ex seipso, quando nec *dicere potest Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto (I Cor. xii)*. Nihil ergo languidius eo quod ad quodlibet bonum etiam minimum minime convallescere potest, quia: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei (Rom. ix)*. Voluntati enim ejus quis potest resistere? Unde sicut admiranda arbitrii dignitas est, ab ullo cogi non posse; sic miseranda infirmitas, in seipso ad omne opus bonum torpere. Sequitur: *Omne cor mœrens, etc.* Ex corde consilium de occulto eruitur, et in secreto invenitur, et ex eo bona intentio procedit, quoniam per consilium vita nostra depravata

corrigitur. Nam mors et vita ex ipso procedit, quoniam si ex consilio intentio bona depravatur, quid juvat honorum operum prolem gignere, et eam per pravam intentionem necare? Quidam in ipso proposito ex mala intentione opera corrumpunt, alii post exercitia virtutem per vanam laudem a bona intentione evanescent. Primi abortivos faciunt parere; secundi natos vel adultos occidunt. Nonne satius non parere quam dormiendo partum opprimere, vel ex consilio necare? Melior est sterilitas quæ non parit, quam filiorum necatrix sine misericordia. Quid enim ossa arida sine anima, nisi fortia opera sine intentione bona? Et hæc ab virtutum merito et retributione frustrata, sed vaticinante filio hominis ingressus est spiritus in ea, et revixerunt. Quia ergo ex consilio intentio accipit ut bona sit, quasi de corde spiritus procedit qui ad corporis vivificationem exiens, se per virtutum opera diffundit, ut nostrum sit quod dicitur: *Consilium custodiet te, et prudentia servabit te (Prov. 11)*. Hoc autem cor in tenebris ignorantie positum erat, modo in discernenda quantitate, dicendo majus malum esse minus, et e converso; modo in examinanda qualitate, dicendo malum bonum et e converso; non judicando scilicet inter noctem et noctem, ut a malis pejora, et a pejoribus pessima dijudicet, nec inter diem et diem, ut a bonis meliora, a melioribus optima separet; nec omnem noctem, ut quodcumque vitium digna examinatione penset; nec omnem diem, juxta Apostolum, ut unamquamque virtutem juxta propriam dignitatem æstimet. Hæc enim sunt quinque talenta quæ imprimuntur cogitationi, lucranda ex eis alia quinque, si imprimantur et affectui, ut quæ cognoscit, efficaciter diligendo duplicet. Alioquin *melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum abire (II Petr. 11)*. Diligenda avide debemus diligere, et contraria debemus odire. Nec huc ascendisse sufficit, nisi ulterius ascenderimus, scilicet ut in malis, pejora majori odio persequamur, in bonis meliora altiori dilectione complectamur. Et de secundo ad tertium, ut de melioribus optima eligamus, ex deterioribus pessima maxime contemnamus. Et quia possumus hæc tria facere in dilectione bonorum, et contrariorum reprobatione, contrarium modum minime servare studeamus, sed per quartum et quintum ascendamus, ut in omni bono vel malo odii vel amoris congruam mensuram servemus. Sed in his omnibus cor mœret, et ex mœreore caligat. Mœror namque lacrymas fundit: lacrymæ oculos caligare faciunt. Recte ergo cor mœret, quia ad omne consilium rationis cor habet. Vere mœret; et mœrere debet, quia malum diligimus, quod dum consilium patitur, sicut non ignorat, ita nec dissimulat. Quanto enim evidentiùs per consilium cognoscit malum quod patitur, tanto amplius mœret et suis pravitatibus indignatur, quia qui apponit scientiam, apponit et dolorem (*Eccle. 1*). Si igitur cor habemus, non omni consilio destituti sumus, tantum malum dissimulare non debe-

mus . debet dolor noster acrius nos urgere interius, A  
 apparere exterius, intus ad remedium, foris ad  
 exemplum. Nam mœror est dolor acrius intus sæ-  
 viens, et in lacrymas foris erumpens. Si ergo co-  
 lumba seducta et non habens cor non sumus, si  
 absque prudentia et sine consilio non existimus,  
 probemus in opere quam vere doleamus in corde,  
 appareat exterius quid patiamur interius. Sequitur :  
*A planta pedis*, etc. Pes notat carnale desiderium,  
 quia sicut pes in imo jacet et a pedibus totum cor-  
 pus circumfertur, ita carnale desiderium in infimis  
 adhæret, et a carnalibus desideriis animus exagita-  
 tur, et circumfertur, quandiu enim homo vagus et  
 profugus vivit super terram, tandiu post concupi-  
 scentias suas abiens repletus miseriis et nunquam  
 in eodem statu permanet, quærens apprehendere B  
 quod concupiscit et effugere quod odit. Nunc hoc,  
 nunc illud amat: quæ prius amaverat, iterum des-  
 picit et fastidit. Sed cur dicimus fastidire, qui, Scri-  
 ptura teste, cursum in amaritudine consummat.  
*Omnia, inquit, flumina intrant in mare (Eccle. 1)*, hoc  
 est omnem delectationem carnalem in amaritudi-  
 nem terminari, omne flumen, et omnis dulcis aqua  
 dum mare intrat, in amaram mutatur aquam, quia  
*extrema gaudii luctus occupat, et risus dolore misce-  
 bitur (Prov. xiv)*. *Et mare non redundat (Eccle. 1)*,  
 quia divina æquitas in omni percussione sua quam  
 ad ultionem vel correctionem fert, modum servat,  
 iustitiæ metas non excedit. Malitiæ nostræ meri-  
 tum, miseriæ nostræ quantitas non exsuperat. A pede  
 igitur usque ad verticem non est sanitas, et sic pes C  
 cum toto corpore dolet, quia concupiscentiæ malum  
 undique fervet, et dolorem in singulis membris pro-  
 pria infirmitas extorquet. Quid enim infirmius quam  
 non posse plene resistere in quibus erubescimus?  
 Mente consentire legi Dei, et in lege Dei captivari,  
 et vinci? Hæc igitur sunt tria vitia: languor capi-  
 tis, mœror cordis, dolor infirmi corporis. Qui de-  
 defectus nostri ab interioribus surgunt. Per languorem  
 capitis intelligimus debilitatem liberi arbitrii ad bo-  
 num; per infirmitatem corporis, inquietudinem desi-  
 derii ad malum; per mœrorem cordis, caliginem,  
 ambiguitatem iudicii ad utrumque discernendum. In  
 languore, in impotentia boni, in vexatione infirmi-  
 tatis, in concupiscentia mali, in nubilo mœroris D  
 ignorantia boni et mali.

Secundum hoc genus triplex vitiorum, triplex est  
 genus peccatorum. Unde sequitur: *Vulnus, livor,*  
*plaga tumens*. Alia enim sunt quæ incidimus per in-  
 firmitatem, alia per errorem, alia per iniquitatem.  
 Vulnus est peccatum quod committitur per infirmi-  
 tatem. Quid enim contritio exterius aperta sine tu-  
 more, nisi culpa manifesta sine elatione, cum hu-  
 miliatioe et confusione? Talia per infirmitatem quo-  
 dammodo inviti committimus; nulla enim magis  
 erubescimus magisque damnamus. Livor est pecca-  
 tum ignorantia; nam sicut contritio pelli obtendi-  
 tur, et ne sanies profluat, pelle, qua tegitur, prohi-  
 betur, sic ignorantia peccata ne in apertum pro-

deant, sub ambiguitatis suæ umbraculo se velant,  
 et, ne per confessionis aperturam purgatio suæ cor-  
 ruptionis erumpat, falsæ opinionis velamento se  
 palliat. Plaga tumens est peccatum malitiæ, quia  
 neque per infirmitatem, neque per ignorantiam,  
 sed per solam malam voluntatem tumor contem-  
 ptus Dei committitur. Hæc tria sunt peccata, in Pa-  
 trem, in Filium et in Spiritum sanctum. Vel per hæc  
 tria intelligemus mortuum extra domum, in domo,  
 et in tumulto, scilicet cogitationis peccatum, actio-  
 nis et consuetudinis. Vulnus in tumorem versum,  
 est peccatum consuetudine obductum; vulnus aper-  
 tum, peccatum per actionem manifestum; livor sub  
 pelle putrescens, peccatum in cogitatione latens.  
 Vel per vulnus quod est sine tumore, peccatum;  
 quod accusamus non defendimus; per livorem, illud  
 quod per hypocrisim tegimus; per plagam tumen-  
 tem, quod per contumaciam defendimus. Tribus  
 itaque modis peccati contritio aperitur, tribus ob-  
 ducitur; tribus inflatur: aperitur in modum vul-  
 neris, obducitur in modum livoris, inflatur in mo-  
 dum plagæ tumens. Sed peccati vulnus aliter pa-  
 tet homini in seipso, aliter proximo, aliter Deo;  
 sibi per cognitionem, proximo per actionem, Deo  
 per confessionem. Quantum enim in nobis est, illud  
 Deo abscondimus quod coram eo per confessionem  
 damnare nolumus. Tribus item modis absconditur  
 ad livoris similitudinem. Pelle obducitur aliter no-  
 bis, aliter Dei oculis, aliter proximi. Nobis per er-  
 rorem, Deo per taciturnitatem, proximo per simu-  
 lationem. Similiter tribus modis intumescit, dum  
 more plagæ tumens distenditur: in seipso putres-  
 cit per malitiam, coram proximo per imprudentiam,  
 circa Deum intumescit per contumaciam. Per mali-  
 tiam, homo destruit seipsum, per imprudentiam  
 destruit vel perimit proximum, per contumaciam  
 impugnat Deum.

Huic triplici malo, triplex remedium additur. In  
 ligamentis, curamentis, fomentis, licet quælibet ad  
 tria mala posse referri videantur. Plagam tumen-  
 tem respiciunt in præsentis eloquio, cum dicit cir-  
 cumligata, curata, fota. Intelligimus autem liga-  
 menta in mandatis, curamenta in minis, fomenta  
 in promissis. Triplex est autem vinculum manda-  
 torum. Primo trahimur, secundo retrahimur, tertio  
 astringimur. Vinculum attrahens, præceptiones  
 sunt, quæ sunt eorum quæ fieri oportet: quibus sæpe  
 urgemur eo quod bonorum operum gressus sine dif-  
 ficultate non dirigamus. Quæ sunt: *Diliges Dominum*  
*Deum tuum*, etc. (*Deut. vi*). Vinculum retrahens,  
 sunt prohibitiones, quæ sunt eorum, quæ fieri non  
 licet: quibus tamen sæpe inde retrahimur quod  
 per desiderium properamus. Quæ sunt: *Non oc-  
 cides*, etc. (*ibid.*) Vinculum astringens, sunt  
 admonitiones, quibus cordium fluxum ligamus, cum  
 voluntates etiam a licitis restringimus. Quæ sunt:  
*Si vis perfectus esse vade et vende*, etc. (*Matth. xix*).  
 Triplex est curationum genus in divinis commina-  
 tionibus. Est comminatio correctionis, reprobatio-

nis, damnationis. De prima dicitur: *Flagellat omnem filiam quem recipit* (Hebr. xi). De secunda: *Indurabo cor Pharaonis* (Exod. vii). Et: *Quem vult indurat* (Rom. ix). Et: *Addam correctiones vestras in septuplum, propter peccata vestra* (Levit. xvi). Et: *Conteram superbiam duritiæ* (ibid.). De tertia dicit sinistris: *Ita in ignem æternum* (Matth. xxv). *Vermis non morietur*, etc. (Isa. lxvi). Amarum lic succus herbarum, sed ad desiccandos vitiorum humores efficacissimus. Nimis effrenatus est qui non studet concupiscentias temperare vel refrenare, etsi attendat in electis mala septemplexiter puniri; alios propter peccata in reprobum sensum dari et quosdam in supplicium æternum. Triplex est olei species in divinis promissionibus. Prima promissio veniæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Quia non solum delictorum veniam, nec etiam solum gratiam, sed et gloriam dabit misericors et miserator Dominus. Ad primam pertinet: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur* (Isa. i). Ad secundam pertinet: *Divisiones gratiarum sunt* (I Cor. xii). Ad tertiam: *Alia gloriæ cælestium, alia terrestrium*, etc. (I Cor. xv). Prima ad vulnera medenda in usum unctionis fovet salubris. Secunda ad luminaria concinnanda in usum luminis ardet clarius. Tertia ad cibaria condienda in usum refectionis sapit dulcius, quia est oleum lætitiæ, participatio gloriæ. Hæ species olei sunt contra triplicem dolorem. Si doles ex vulnere criminis, et conscientia peccatorum te urget acerbius; accipe unctionem olei propositæ veniæ, et recipe consolationem, ad illam vocem: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (Ezech. xviii). *Convertimini a viis vestris pessimis* (Ezech. xxxiii). Et: *Quare moriemini, domus Israel? (Ezech. xviii.)* Quæ est tam immanis contritionis et pœnitentiæ amaritudo, quam lenire non possit hujus diviniæ unctionis infusio. Si doles ex infirmitate et defectu tuo, inungere oleo promissæ gratiæ, et accipe ab eo qui dat omnibus affluenter, et nemini impropert (Jac. i). Si, inquit, *notis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se?* etc. (Luc. xi). Hoc induc vasis inanibus ex præcepto, quia non novit deficere, nisi cum vasa vacua defuerint quæ possent impleri. Si doles de tribulationibus, habes oleum gloriæ, unde fatigationem levans, dolorem mitiges ab illo pretioso unguentario qui dicit: *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam*, etc. (Rom. viii). Primam unctionem Samaritanus infundebat ei qui incidit in latrones, et ea peccatrix mulier sanavit vulnera sua. Secundam accepit qui dicebat: *Gratia Dei sum, id quod sum*, etc. (I Cor. xiii). Hæc non debet esse vacua, quæ exemplo et verbo docuit. Exemplo: *Et gratia ejus in me vacua non fuit* (ibid.). Verbo: *Videte, inquit, ne in vacuum gratiam Dei recipialis* (II Cor. vi). Tertia prudentes virgines, intrantes in gaudium Domini sui, et ad nuptias Agni recubantes abundant (Matth. xxv). Habemus ergo tres olei species, utiles et ne-

cessarias: Primam, contra triplicem contritionem vulneris, livoris plagæ tumentis; secundam, contra triplicem dolorem mœsti cordis, languidi capitis, ægroti corporis; tertiam, contra triplicem fatigationem etiam sani corporis, videlicet laboris, egestatis, persecutionis. Oleum habes diviniæ misericordiæ, in quo soveas vulnera peccatorum; oleum gratiæ, in quo mitiges vitiorum morbos; oleum gloriæ, in quo lenias fatigationes certaminum. Primum est ergo sanare vulnera peccatorum, secundum curare morbos vitiorum, tertium lenire fatigationum dolores. In peccatorum medelam habemus oleum misericordiæ, confectionem illam propheticam ex prima olei specie confectam: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates* (Psal. xxxi). Mirabile unguentum illud quod non solum de infirmo sanum, sed etiam de misero facit beatum. Contra vitiorum morbos accipe aliam confectionem ex oleo gratiæ: *Beatus vir cujus Deus adjutor est* (Psal. lxxxiii); et: *Beatus quem tu erudieris, Domine* (Psal. xliii); et: *Beatus qui confidit in Domino*, etc. (Psal. ii). Beatus, inquam, quem Dominus adjuvat, et erudit, et protegit: adjuvat ad bonum, defendit contra malum, erudit ad utrumque discernendum. Adjuvare, erudire, defendere totum est gratiæ. Primum est igitur contra defectum fortitudinis, secundum contra defectum veritatis, tertium contra defectum virtutis. Omnia contra defectum boni naturalis. Primum contra debilitatem languidi capitis, secundum contra caliginem mœrentis cordis, tertium contra infirmi anxietatem corporis. Habemus adhuc tertiam olei speciem ex promissione gratiæ contra triplicem corporis jam convalescentis defatigationem. Contra fatigationem habes illud: *Labores manuum tuarum, quia manducabis: Beatus es et bene tibi erit* (Matth. v); contra afflictionem egestatis, illud: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (ibid.); contra tribulationem persecutionis, illud: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (ibid.). Quis inter tot tribulationum certamina non modo non doleat, verumetiam exhilarescat, cum Scripturæ attestatione addiscat de quo hæsitare non audeat, quoniam *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ* (Jac. i)! hoc est, quo apostoli ibant gaudentes a conspectu consilii, quoniam *digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. v). Ergo tertia olei species facit de tribulatione gaudens [gaudentes?], cum speret [sperent] in certamine, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, etc. (Isa. lxiv; I Cor. ii). Studemus ergo ex his secundum suam quisque utilitatem et virtutem infirma nostra sovere, ne illa diviniæ increpationis arguamur sententia: *Vulnus et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque sola oleo*, etc. (Isa. i).

TIT. XXXIV. De publicani justificatione.

Tribus virtutibus in domum suam rediit justificatus: obedientia, qua se dixit servum; justitia, quam

miseriordia facit; charitate in filio, quam Deus in A seipso gignit. Dicit enim tria: *Domine, miserere* [Vulg. *Deus, propitius esto*] *mihi peccatori*. In eo quod *Domine* clamat, servum se dicit; in eo quod *miserere* vociferat, misericordia se justum facit; in eo quod se peccatorem accusat, Deus ex impio filium gignit.

TIT. XXXV. *De consilio impiorum in quatuor.*

*Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, etc. (Psal. 1). In quatuor consilium impiorum consistit: malitia, astutia, audacia, imprudentia. Malitia ad mandandum in cogitatione; astutia ad ordinandum in deliberatione; audacia ad peragendum mala in operatione; imprudentia ad iterationem in consuetudine. Illi peccatorem ducunt ad sepeliendum. Sed si Jesus tangit loculum peccati mortalis per misericordiam, stant portitores. B

TIT. XXXVI. *De consilio piorum*, etc.

Consilium piorum consistit in quatuor: In innocentia, quæ privat fetore vitorum; providentia, quæ dotat odore proximarum virtutum; constantia, quæ conscripat honore virtutum receptorum; reverentia, quæ exornat decore retributionum.

TIT. XXXVII. *De tribus salutationum in Evangelio generibus.*

Tria salutationum in Evangelio genera invenimus: angelus Virginem salutavit, Virgo Elizabeth salutavit, Dominus post resurrectionem discipulos salutavit. Cum enim videmus eos qui in sterilitate senuerunt, montana professionis ascendendo, fervorem pœnitentiæ quasi quemdam filium concipere, vel in verbo Dei voce salutationis gratiam remissionis offerre debemus. Quos in sanctitate et castitate Deo servire videmus, invitando ad meliora, benedictionis fecunditatem necessario permittimus. Quos sanos in conclavi remotioris vitæ positos ad imitationis apostolicæ fastigium tendere conspiciamus, illis pacis geminæ soliditatem, cum etiam in suo corpore quædam præludia sentiunt, vice vocis ministeriospondemus. Alios vero qui in via sæculi positi sunt, in eodem Evangelio salutare prohibemur, quia nullam salutem sæculo inhærentes merentur.

TIT. XXXVIII. *De quatuor arguentibus gratiam devotionis et religionis.*

Quatuor sunt quæ nostræ gratiam devotionis D adaugent: Memoria peccatorum, quæ hominem apud se reddit humilem; recordatio peccati, quæ illum ad bene agendum sollicitat; consideratio peregrinationis, quæ illum hortatur visibilia contemnere; desiderium vitæ perennis, quod, hominem invitans ad perfectum, cogit eum cum terrenis affectibus voluptatis imitationem suspendere.

TIT. XXXIX. *De tribus quibus nos erudit Dominus.*

Tribus modis nos erudit Dominus: indulti beneficii largitate, quæ duritiam mentis emollit et excitat ad amorem; illati damni et verbi severitate, quæ præstans intellectum auditui nobis timorem incutit; contemptus publica utilitate, quæ, implens facies nostras ignominia, parit vobis verecundiam ut Deum

quæramus et ejus nomen: cujus hic est puer Ægyptius, quem lassum ab Amalecita derelictum adinvenit David et cibo refecit (1 Reg. \*xxxix).

TIT. XL. *De tribus nobis prohibitis, et tribus nobis licitis.*

Tria nobis prohibentur: male cogitare, male dicere, male facere. Quia in male cogitando vel imunditia est, cum res olidæ revolvuntur; vel superbia, cum animus super proximum erigitur; vel ambitio, cum res vel honor illicite concupiscitur. Necesse est malæ cogitationi istorum qui semper volunt maledicere, ut sit sermo vel supervacuum ratione carens et utilitate; vel detractorius, superna bona invida et odiosa corrosione diminuens; vel adulatorius caput alterius falsa olei delinitione demulcens. In male faciendo opus est vel simulatorium, cum aliud intendimus et aliud demonstramus; vel impium, cum proximos lædimus; vel impudicum, cum nos sordidamus. Per contrarium, ut bene cogitare, bene loqui, bene facere, eadem possunt notari. Triformis esse debet nostræ laudis oblatio: affectuosa, ut mens concordet voci; fructuosa, ut ædificationem pariat intuenti; gratiosa, ut placeat conditori, qui gratis dedit.

TIT. XLI. *Pœnitentiæ tria necessaria.*

Tria sunt necessaria pœnitentiæ: Abstinencia, per quam carnis superbia domatur; lectio, cujus fructu reformandus in vigore animus saginatur; oratio, cujus munimine virtutes ex anima proteguntur.

C TIT. XLII. *De tribus in quibus obnoxii Deo sumus.*

Tria sunt in quibus obnoxii Deo sumus: Signaculum naturæ, quo ad similitudinem Dei facti sumus; talentum fidei, quod per bonum opus Deo integrum resignare debemus; titulus per confessionem, quo ad serviendum Deo sponsonis vinculis alligamur.

TIT. XLIII. *De triplici via ad mortem.*

Trifaria ratione dividuntur vitæ ad mortem: Alia ærumnosa pauperibus, qui divite animo intumescunt ab inopia temporali ad æternam transferuntur; alia laboriosa in amaris, qui diversarum curarum angustiis districti obliviscuntur Dei, et ita ab his angustiis ad æterna referuntur; delictosa in divitibus, qui post dulcedines momentaneas sempiternam inveniunt amaritudinem.

TIT. XLIV. *De triplici via arcta.*

Triplex est arcta via quæ ducit ad vitam: Sanguinolenta in martyribus, qui in sanguine Agni lavantes corpora sua, altitudinis solium attingunt; purpurea in confessoribus, qui in sua cruce vestigia diversæ passionis per abstinentiam expresserunt; lacæa in virginibus, quæ puritatis angelicæ candidatum in se consecrantes, ad complexum inde sponsi virtutum evolaverunt.

TIT. XLV. *De tribus in quibus Christum imitari debemus.*

Tria sunt quæ, nobis in Christo expressa, nos Christiani a Christo dicti exercere debemus: Impro-

hære sæculi vanitatem, quia et Jesus, ne rex fieret, aufugit a turbis; exercere patientiam, quia et ipse agnus occisus est; habere geminam charitatem, quia Christus etiam pro inimicis oravit.

TIT. XLVI. *Quod impii quatuor modis dicuntur filii.*

Quatuor modis impii dicuntur filii: alieni, Belial, iniquitatis, malitiæ. Filii alieni sunt, qui mentiuntur; filii Belial, qui non cognoscunt Deum; iniquitatis filii sunt gemina viperarum; malitiæ filii, Chanaan, et non Juda.

TIT. XLVII. *De tribulationis triplici bono.*

Tribulatio tria confert: exercitium ne virtutis amor otii tepore frigescat; probationem, ut nostræ constantiæ fortitudo ad exemplum hominibus innotescat; præmium, ut juxta tribulationem immensum gloriæ pondus accipiat.

TIT. XLVIII. *De triplici electorum exercitio.*

Triforme est exercitium electorum: austeritas jejuniorum, qua excolitur terra, ut fructum ferat; assiduitas lectionum, qua reficitur, ut pinguescat; instantia orationis, qua confirmatur mens ut ad cælestium appetitum fortius assurgat.

TIT. XLIX. *De tribus in nobis principibus.*

Tres sunt in nobis principes, quos in nobis mori necesse est, ut Christus vivat: Prudentia sæcularium, quæ est Joseph; eloquentia spiritualium, quæ est Moyses; copia temporalium, quæ est Josue.

TIT. L. *De tribus calicibus a Domino propinatis.*

Tres sunt calices quos Dominus propinat nobis: pœnitentiæ et doloris, qui est plenus misto (f. musto); pœnitentiæ et laboris, quem bibit Joannes; benevolentæ et amoris, qui est inebrians et præclarus.

TIT. LI. *De tribus vestimentis electorum.*

Tria sunt vestimenta communia electis Dei: Cœlestis sapientia, quæ est ephod et caput operit; perseverans justitia, quæ poderis est, et totum corpus induit; carnalis continentia, quæ lumbos cingit.

TIT. LII. *De tribus puellis pervertentibus sensum.*

Tres sunt puellæ, quæ pervertunt sensum nostrum: Teneritudo carnis, quæ est Dalila Samsonis; oculus curiositatis mundialis gloriæ, quæ est Jezabel, et Naboth occidit; diffidentia futuræ vitæ, quæ est filia Herodis, et caput Joannis aufert in disco.

TIT. LIII. *De quadruplici sacerdotum officio.*

Quadripartitum est officium sacerdotis: Vivam carnis suæ hostiam immolare, quod est Leviticum; virtutum charisma Deo offerre, quod est aromata incendere, et filiorum Aaron est; cum fervore martyrii cœlum intrare, quod est introire sancta sanctorum; gratiæ et precum vota cœlo transfundere, quod est panem et vinum Deo offerre.

TIT. LIV. *De tribus generibus hominum quibus mare hujus sæculi pervium est.*

Tribus generibus hominum hoc mare magnum, præsens scilicet sæculum, est pervium ut transeant liberati: qui tres esse dicuntur. Noe, Daniel et Job. In Noe qui arcam rexit ne periret diluvio, rectorum

formam intelligo; in Daniele, viro desideriorum abstinentiæ et castimoniæ, debito soli Deo, vacantem pœnitentiæ et continentæ ordinem; in Job substantiam hujus mundi bene dispensantem in convivio, fidelem populum terrena fide possidentem. Primus navi, secundus ponte, tertius vado pertransit. Conjugatorum ordo mare magnum vado pertransit, laboriosum, periculosum et longum iter habens, præsertim diebus istis, quibus malitia nimis involvit [invaluit?], inter undas hujus sæculi voragine vitiorum et criminalium foveas declinare. Continentium ordo ponte pertransit: quod iter brevius est et facilius, sed non prorsus securum. Timendum enim est periculum triplex, ne forte æquare se alteri, aut respicere retro, aut certe in medio ponte stare quis velit. Nullas ex his

tribus augustiis angustia patitur pontis; angusta enim est via quæ ducit ad vitam (Matth. vii). Contra primum periculum oremus ut non veniat nobis pes superbiæ, quoniam ibi ceciderunt qui oderunt iniquitatem. Nam et ejus qui mittens manum ad aratrum aspicit retro, statim pelagus operit caput; sed et qui stare voluerit, non quidem relinquens ordinem, sed non perficiens, cadat necesse est, ab his qui sequuntur impulsus et eversus. Necesse enim est e duobus, aut proficere aut desicere. In hac autem angusta pontis semita confidendum est; composita enim est lignis, ut qui eis inniti voluerint non labatur pes eorum. Hæc est pœna corporis, et paupertas vitæ mundialis, humilitas obedientiæ; nam et per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (Act. xiv); et: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli (I Tim. vi). Et quem adeo exturbavit inobedientia suo recto tramite, per obedientiam rediit. His rite compositis trina maris declinasti pericula: concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ.

Porro prælati descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis (Psal. cvi). Neque certa pontis aut vadis semita coarctantur, ut libere possint discurrere, et occurrere singulis; et ut oportet dirigere pontis et vadi semitam ordinate gradientes, pericula investigare ac declinare. Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos (ibid.); nunc tractantes sublimia, et horribilia loca dijudicantes. Sed quæ poterit navis inveniri quæ tam immanes fluctus sine discrimine sustineat? Hæc est fortis, ut mors dilectio (Cant. vii). Quia, juxta quod alibi habes: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem (ibid.). His tribus compacta est lateribus, ut sit, juxta Apostolum, charitas de corde puro, conscientia bona, fide non ficta (I Tim. i); ut magis prodesse quam præesse desiderem, intentionem habentes bonam, ut forma facti gregis incipiant facere et docere; et magistram sequentemque regulam, quæcunque discipulis docuerunt esse contraria verbo, factis indicent non agenda, ne subditus submurmurare possit et dicere: Medice, cura teipsum (Luo. iv); ut secure respondere exprobrantibus sibi valeant: Quis ex vobis arguet me de peccato? (Joan.

VIII.) Si non de veniali, saltem de criminali. Fidem quoque non fictam, ut qualis prælatus in conversatione, talis sit in occulta cogitatione; non foris humilis, intus elatus, de sua virtute vel sapientia confidens, quæ est ficti fides. His convenienter aptatur trina Petri interrogatio : *Amas me? amas me? unus me? quod est dicere, amas me de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta.*

Tit. LV. *De quintuplici obedientia.*

Quinquupartita debet esse obedientia : recta, ut non sit contra Deum; voluntaria, quia Deus non approbat coacta servitia; pura, quia debet esse intentio sincera : Si enim oculus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit (Luc. xi); discreta, ne quid nimis: qui enim recte offert si non recte dividit, peccat; firma, ut non desistat : Qui enim perseveraverit salvabitur (Math. xiv).

Tit. LVI. *De triplici bono quod nobis indicat Propheta.*

Triplex est bonum quod omnis propheta indicat : facere iudicium et iustitiam, et ambulare rectum cum Domino. Facere iustitiam reddendo unicuique quod suum est, prioribus obedientiam, minoribus doctrinam, amicis lætitiā, inimicis patientiam; facere etiam iudicium, aliud in se, aliud in proximum, aliud in Deum. In se debet esse severum. Si enim nos dijudicavimus, non utique iudicemur (I Cor. x). Pium in proximum, ut sive misericorditer obsecres, sive zelo increpes, utrumque facias in spiritu lenitatis. In Deum sit purum et verum. Considerans enim seipsum, iudicia Dei attendere debet in simplicitate cordis et puritate, dicens in confessione : Omnia opera Dei bona valde. Sit ergo homo in se districtus iudex, per intellectum veritatis; pius in proximum per affectum charitatis; purus in Deum per consensum voluntatis. Postquam vero fecerit homo iudicium et iustitiam, necessaria est ei vigilantia, ne laxetur per torporem, vel corruat per elationem, ut sollicitus ambulet cum Deo suo subditus ei, et orans eum.

Tit. LVII. *De triplici animarum statu.*

Triplex est status sanctarum animarum. Primus est in corpore corruptibili, secundus sine corpore, tertius in corpore iam glorificato. Primus in militia, secundus in requie, tertius in beatitudine. Primus in tabernaculis, secundus in atriis, tertius in domo Dei. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* (Psal. lxxxiii.) Multo magis atria concupiscibilia, juxta illud : *Mellior est dies una in atriis tuis super millia* (ibid.). *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (ibid.). Sed quoniam in ipsis atriis aliquis defectus est : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (ibid.). *Lætatus sum, inquit alibi, in his quæ dicta sunt mihi; In domum Domini ibimus* (Psal. cxxi). In primis est Ecclesia non sine macula et ruga. Si enim dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus; et veritas in nobis non est (II Joan. 1). In secundis est sine macula. *Sine macula sunt, inquit,*

PATROL. CLXXVII.

*ante thronum Dei* (Apoc. xiv). Nondum tamen sine ruga. Adeo enim riget in eis desiderium domus Dei in qua vestiantur duplicibus, ut necdum illorum re-tractata intentio tendat in Deum; sed quodammodo retrahatur et rugam faciat cum desiderio inclinati clament : *Vindica, Domine, sanguinem servorum tuorum qui effusus est* (Apoc. xix). Non tanquam vindictæ cupidi, sed desiderio resurgendi : quod differendum est usque ad diem iudicii. In tertiis vero exhibet Dominus Ecclesiam *sine macula et sine ruga* (Ephes. v). In tabernaculo habitat iustitiam operans; in atrio sine macula ingrediens. Unde Prophetæ quærenti : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* (Psal. xix) respondetur : *Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam* (ibid.). Quasi dicat : Hic requiescet in monte sancto tuo qui operatur iustitiam, et qui ingreditur sine macula. In habitaculo igitur semper inest macula aliqua vetustatis et ruga alienius necessitatis. In atrio removetur peccati macula, remanente, ut dictum est, aliqua constrictionis ruga, dum accipiunt tantum singulas stolas, sed non vestiuntur duplicibus donec recipiant corpora et impleatur numerus fratrum, donec vestiamur et nos pariter, sicut de patriarchis ait apostolus : *Deo pro nobis melius aliquid disponente* (Heb. xi), ut non sine nobis consummarentur. In domo aufertur penitus et macula et ruga, quando extenditur curlum sicut pellis et dilatatur (Psal. ciii), ut nec minima in eis inveniatur macula aut ruga. Tripliciter autem serviemus Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobisipsis, cognoscentes eum in semetipso trinitum et unum, et gloriā sine æmignate mundi cordis oculo intuentes. Unde *mensuram plenam et confertam et superfluentem dabunt in sinum vestrum* (Luc. xi). Plenam in universitate creaturarum, confertam in interiori, superfluentem in ipso Deo. Quomodo videndus sit in creaturis, et habendus in nobis, possumus vel ex parte cognoscere. Cognitio enim illa mirabilis confortata est facta, et non possumus ad eam.

Tit. LVIII. *De triplici cælestis verbi auditore.*

Tres legimus cælestis verbi auditores. pigros, activos, contemplativos. Pigri audiunt et audita contemnant. Activi audiunt et auditis obediunt. Contemplativi audiunt et in amplexu obdormiunt. Pigri torpent, activi laborant, contemplativi quiescunt. De pigro scriptum est : *Abcondit manus suas sub axilla* (Prov. xix); de activo : *Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es et bene tibi erit* (Psal. cxxvii), de contemplativo : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ : et volabo et requiescam?* (Psal. lxxv). Pigri sunt debiles, activi fortes, contemplativi vacantes. Est autem triplex pigrorum debilitas : quia sunt in oculis cæci, in manibus contracti, in pedibus claudi. Cæci, quia vident et non intelligunt; contracti, quia congregant et non distribuunt; claudi, quia ad intimam erroris lasciviam declinantes, rectam viam salutis non arripiunt. Pigri torpent Deo, non

sæculo; quia multis laboribus thesaurizant sibi divitias sæculi. Activi nec Deo nec sæculo, quia thesaurizant sibi divitias cœli et beatitudinem Dei. Contemplativi non Deo cui vacant, sed sæculo, quod contemnuunt.

Tit. LIX. *De triplici vita hominis.*

Tripliciter dicitur vita hominis: vita naturæ, qua vita vivit homo; vita gratiæ, qua vivit Christus in hominis corde; vita culpæ, qua vivit peccatum in homine. Duæ sunt a Deo, tertia ab homine. De omnibus dicit David: *Deus, vitam meam annuntiavi tibi (Psal. LV)*. Nam et illas quæ naturæ et gratiæ sunt, Deo annuntiat, dum eas se a Deo constitetur habere; tertiam quæ est peccati, dum eam constitetur cum Apostolo, ut non mentiatur. Vita gratiæ est super terram, vita naturæ in terra; vita culpæ subter terram. De prima Apostolus: *Nostra conversatio in cœlis est (Philipp. III)*. De secunda Job: *Homo nascitur ad laborem (Job V)*. De tertia Dominus: *Qui male agit odit lucem (Joan. III)*. Et Joan.: *Qui odit fratrem suum in tenebris est (Joan. II)*.

Tit. LX. *De tribus mansionibus hominum.*

Tres sunt mansiones: cœlestis, terrestris, infernalis. In media constitutis dat creaturis Creator bonus optionem, ut quod voluerint eligant, quod eligerint meritis acquirant. Mansio in qua sumus in medio constituta sursum habet cœlum, deorsum infernum. Inferni mansio plusquam possit dici dura est et aspera. Ibi vermis qui non moritur, ignis qui non exstinguitur. Ibi miser in miseriis non subsistit, quoniam non est homini cor, non sensus, quo malorum et dolorum infinitas calamitates exprimere possit. Cœli vero mansionem sapientia ponit mensam, panem vitæ et intellectus. Vinum miscet quod lætificat cor hominis, ut bibant in jucunditate, et i. ebrientur ab ubertate domus, ut non esuriant, neque sitiunt amplius, quando Dominus transiens ministrabit illis et manifestabit seipsum illis. Nos ergo, fratres, in terrestri mansionem inter istas mansiones constituti, sursum erigamur ad cœlestem. Nam *beatus qui ad cœnam Agni vocatus est (Apoc. XIX)*. *Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum (Luc. XIV)*. Et quia ad hoc vocati sumus hic positi, beatitudinem illam hæreditate possideamus. Festinemus ingredi in illam requiem; sed quia non intrabit in eam aliquid coinquinatum et immundum, totum studium nostrum sit circa nostri purificationem, ut purificati cum filio virginis in illud sublime templum non manufactum præsentari et Domino sisti mereamur. Mater Domini purgatorios agebat dies quæ illis non indigebat, Dominus circumcidebatur, in quo nullum erat delictum. Nos maculosi et turpes agamus purgatorios dies, mundemus conscientias, purgemus ora, tempus quod superest purificationi deputemus. Patet animabus nostris purgandis et lavandis fons divinæ pietatis in ablutione pectoris et menstruatæ.

Tit. LXI. *De triplici virginitate.*

Triples est virginitas: Prima in carne, mente

A corrupta; secunda in mente, carnis violato pudore; tertia in mente et corpore. Prima est ancilla, secunda adolescentula, tertia sponsa. Prima est fatua, quæ mente prostituta caste vivit in carne, timore vel laude humana; secunda est prudens, quæ post amissam virginitatem carnis prudenter repetit virginitatem mentis, per omnia se subdens divinis præceptis; tertia est fidelis, quæ corruptionem carnis aut mentis non incurrit, sed in amore sponsi fideliter permansit. Prima damnatur, secunda numeratur, tertia coronatur. Qui sponsus voce suavissima ait: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (Cant. IV)*.

Tit. LXII. *De tribus quæ desponsata recipit.*

B Tria recipit desponsata: Monile in pectore, annulum in digito, dolem in jure hæreditario. Monile pectus munitur, annulo manus ornatur, dote conjugium consummatur. In pectore ratio, cum qua versatur cogitatio; in manu operatio; in dote utriusque remuneratio. Per monile, quod ex auro et gemmis cum labore fabricatur, nota cœlestis sapientia quæ diversis disciplinis illustratur. Ut enim ait Scriptura, *Sapientia desursum est (Jac. III)*. Primum quidem pudica, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens. Hæc cum difficultate acquiritur, quia disciplinatis tantum mentibus infunditur. *Non enim in malevolam animam intrabit sapientia (Sap. I)*. Hæc ergo acquisita pectus munit ne secreta sinus aperiantur, ne tenere mamme sponsæ aura adulationis flante lædantur, ne suggestio immittatur, qua ratio obnubiletur, cogitatio casta prostituatur; sed tota integra et sigillo sapientiæ undique munita, digna efficitur laude sponsi dicentis: *Quam pulchræ sunt mamme tuæ, soror mea, sponsa. Pulchriora sunt ubera tua vino (Cant. IV)*. Per annulum sine quo nulla desponsatur, Spiritus sancti pignus accipitur, sine quo cœlestis sponsi amplexibus nemo jungitur: qui omnem operationem quæ per manus signatur, ornat et diligit, ut dicere possit: *Manus meæ distillerunt myrrham probatissimam; digiti mei pleni sunt myrrha (Cant. V)*. Tantis ornamentis decorata et muneribus pignorata, dote cœlesti efficitur digna, quæ est æterna remuneratio. Spe et amore cujus, fidelis anima spiritali viro desponsatur, de quo dicitur: *Vir oriens nomen ejus (Zach. VI)*.

Tit. LXIII. *De tribus Christi gestatoribus.*

Tres leguntur principaliter portatores Jesu: Beata Maria concipiens in utero; Simeon offerens in ulnis, Joseph portans in humeris. Significant tres ordines electorum: Maria prædicatores, Simeon bonos operatores, Joseph fidei defensores. Qui enim verbum Dei prædicant, quasi Christum in utero portant ut cum aliis vel alios pariant. Unde Paulus: *Fittoli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis (Gal. IV)*. Qui vero porrigit panem esurienti, et cætera facit misericordiæ opera, recte videtur Christum in ulnis portare quibus dicturus est in iudicio: *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis (Matth. XXV)*. Qui autem laboribus pro Christo

fatigantur, qui persecutionem propter justitiam patiuntur, Jesum in humeris portare dicuntur; unde: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me (Luc. ix).*

**TIT. LXIV. Prædicatori tria necessaria.**

Tria solent in prædicatione requiri: sanctitas conversationis, perfectio scientiæ, eloquentia ad gratiam, ut sermo sit sanctus, sit prudens, sit illustris. Sanctitas, quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. *Quare, inquit Dominus, tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? (Psal. xlix.)* Perfectio scientiæ, ut habeat unde præferat de thesauro suo nova et vetera; eloquentia, ut habeat secundum scientiam quid dicat, secundum eloquentiam quomodo dicat, ut sententiarum excellentiæ sermonis elegantia respondeat, et verborum dignitas rerum majestati; et quasi quodam concentu res et verba concurrant, ut sic triplici et ita omni acceptione sermo ejus sit dignus. Unde; *Fidelis sermo et omni acceptione dignus (I Tim. i).*

**TIT. LXV. De tribus quibus nocet luxuria.**

Tribus luxuria nocet: Cutis nitore, vestis decore, exquisito ciborum sapore.

**TIT. LXVI. De tribus in quibus confessio.**

In tribus consistit confessio: In crebris gemitibus, in multis singultibus, in irriguis fletibus. Ut sint gemitus in pectore, singultus in guttore, fletus in facie.

**TIT. LXVII. De tribus in quibus contritio.**

Tribus conficitur cordis contritio: A pudore, a timore, a dolore. A pudore, quia turpiter egit; a dolore, quia Deum offendit; a timore, quia impunitum non transibit. Primo pudet deliquisse, secundo dolet offendisse, tertio timet.

**TIT. LXVIII. De tribus silentiis ante gratiam.**

Tria gratiam præcesserunt silentia. Primum fuit cæcum et surdum, secundum surdum, tertium mutum. Primum ante legem, quando nec per se homo videbat mortem, nec ab alio audiebat; et ideo remedium non quærebat. Secundum sub lege, quando videbat morbum per legem, nec tamen audiebat per prophetas, nec remedium flagitabat per gratiam. Tertium in prophetis, quando et videbat morbum et per prophetas audiebat; sed ad veniam remedium non confitebatur nec postulabat. In gratia omne silentium abiit, quoniam *cum summum silentium tenebant omnia (Sap. xviii)*, id est, ultimum silentium esset in omnibus, *et nox*, id est, diabolus vel nox in peccatorum tenebris, *medium iter perageret, omnipotens Sermo venit (ibid)*. In quo qui videbant morbum, audiebant et remedium præsens habebant, cœperunt et intus morbum per cognitionem cognoscere, et amore cordis audire, et oris confessione medico supplicare.

**TIT. LXIX. De tribus silentiis aliis.**

Triplex est silentium: cordis, oris, operis. Corde silet, qui dicenda nunquam concipiens, nunquam intus in corde loquitur. Ore silet, qui etsi concipiat,

magno tamen silentii vigore extra in ore restringit. Opere silet, qui licet concipiat, licet proferat, tamen usque ad effectum non pervenit. Qui prava in corde concipiendo silet bonus est. Qui intus silentium rumpit, licet linguam exterius comprimit, malus. Qui corde rumpit et lingua, deterior; qui corde, lingua et opere, pessimus. Hic enim effrenate concepta, non solum effrenatius loquitur; verum etiam effrenatissime operatur. De illo dicitur: *Qui dimittit aquam caput est jurgiorum (Prov. xvii)*. Aquam dimittere est fluxum linguæ ad actum perducere; et est caput jurgiorum, quia ibi propinatur origo discordiæ.

**TIT. LXX. De quatuor vigiliis vitæ nostræ.**

Quatuor vigiliæ vitæ humanæ, tanquam cujusdam noctis tenebræ, sunt quatuor status. Prima noctis vigilia in claustris paradisi; secunda, post peccatum in lege naturali; tertia, sub peccato in lege Moysi; quarta, in Christi lege sub gratia. In his omnibus contra hominem est diabolus. In primo statu diabolus cum homine pugnat et eum superat, quia homo virtutis arma abiecit; in secundo nulla est pugna, quia homo subjugatus per desperationem victus jacet; cum victori fomes peccati comes accessit; in tertio moriens expirat, quia per mandatum legis mors revixit. In quarta autem vigilia hujus noctis venit Dominus ambulans super mare; et sedenti homini *in tenebris et in umbra mortis lux orta est ei (Luc. i)*; et clamans voce magna in persona Lazari, unicuique jacenti in morte ait: *Veni foras (Matth. xi)*. Revixit itaque homo, et cum diabolo iterum pugnat et vincit, quoniam libero arbitrio gratia accessit. In primo reale pugnat per negligentiam; in secundo repugnat per ignorantiam; in tertio, necatur per superbiam; in quarto, suscitatur, pugnat et vincit per gratiam.

**TIT. LXXI. De triplici odore vitæ.**

Triformis est odor vitæ: non delinquere, quod agit timor servilis; nolle delinquere, quod operatur filialis; non posse delinquere, quod confert gloria perennis. Primi sunt servi, secundi filii, tertii beati.

**TIT. LXXII. De tribus gradibus superbiæ et humilitatis.**

Tres sunt gradus superbiæ, et tres gradus humilitatis. Primus gradus superbiæ est aliquem existimare quod habet a se habere; secundus, cum bonum quod habet suis meritis se accepisse gloriatur; tertius, quando contemplit reliquis, singulariter appetit videri, nec se putat parem posse habere. Primi vox est: *Labia nostra a nobis sunt (Psal. ii)*. Secundi: *Gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri homines (Luc. xviii)*, tertii vero: *Ponam sedem meam in aquilone (Isai. xiv)*. Et hic est summus, quo primus homo noluit Deo subesse, credens verbis serpentis: *Eritis sicut dii*. Hic autem summus superbiæ gradus summo humilitatis gradu curandus fuit. Primus enim est suo subdi superiori; et hic est sufficiens; secundus, suo submitti pari et socio, et hic est abundans; tertius, suo submitti inferiori; et hic est

omnis et superabundans. De quo ad Joannem Christus : *Sic decet nos implere omnem justitiam* (*Matth. III*), id est, superabundantem humilitatem. Primus humiliter, secundus humiliter, tertius obtinetur humillime. Quo superiori genere humilitatis, Deus qui est super omnia, factus est homo inter omnia, superbiam summam hominis gradum curavit, ut juxta morbum morbi salutis cresceret medicina. Erubescit igitur tu homo, qui nec tuo consentis supponi majori cum Deus omnibus major suo pro te non delignatur subijci inferiori. O quam damnanda superbia! Creaturae suae creator subijcitur, et contra Creatorem suum creatura superbit. Sed quia omnis qui se exaltat, in gehenna humiliabitur, *humiliare homo sub potenti manu Dei* (*I Petr. v*), ut te exaltet in tempore tribulationis illius ubi erit ignis qui non exstinguitur et vermis qui non moritur, ipso praestante qui, etc.

Tit. LXXIII. *De tribus cinctoriis.*

Tria sunt cinctoria quae nos stringunt et cohibent: Memoria mortis, decor pudicitiae, amor religiosus. Prima est zona pellicea qua cingebatur Joannes; secunda, balteus quo Aaron ad Deum accedens; tertia, zona aurea, quo similis Filio hominis et vestitus potestatem praeinctus est in Apocalypsi ad mamillas. Primo cinctorio, cincti sunt eremitae studentes asperitati; secundo sacerdotes studentes castitati; tertio, cives angelici insistentes charitati. Unde zona dicitur aurea.

Tit. LXXIV. *De tribus castris, etc.*

Tria sunt castra: praedicantium, continentium, conjugatorum. Primi contra haereticos, secundi contra seipsos, tertii pugnant contra ea quae mundus dat, quia mundi sunt cogitatores, et ad invicem sibi placere coguntur.

Tit. LXXV. *De duplici compunctione.*

Due sunt compunctiones: una nascitur per timorem, altera per amorem. Prima timore supplicii, secunda venit amore praemii. Unde in tabernaculo duo altaria sunt: unum exterius, alterum interius. Unde in atrio aliud ante arcam. Unum quod aere, alterum quod auro vestitur. In primo carnes, in secundo incensum crematur. Altaria corda sunt in quibus vel ex timore peccatorum, ignis ardet compunctionis, et caro consumitur ardore pravi operis; vel ex amore caelestium ab igne charitatis ascendit thymiaa orationis. Multi enim sunt qui, dum supplicia metuunt, quotidie stentibus incendunt vitia igne compunctionis. Sunt alii qui a peccatis liberi, amoris flamma in lacrymas compunctionis inarlescunt, et cum fraternis civibus regem in decore suo videre concupiscunt. Primum altare est exterius, ut videantur opera bona et glorificetur Deus (*Matth. v*); secundum ante arcam intus, ut ab eo solo qui intus videt retributio expectetur. Et notandum quod inter hoc altare et arcam velum est interpositum. Arca ille est in quo sunt reconditi omnes thesauri sapientiae et scientiae. Velum est caelum. Arca igitur intra velum, Redemptor noster est in caelo. Altare autem velum est,

quia electorum corda quae per sanctum desiderium amore ardent, adhuc relevata facie quod desiderant videre nequeunt. Quousque ergo in atrio populi extra sumus, in altari compunctionis crememur per timorem carnes vitiorum. Si intus sumus ante velum antequam scilicet intremus caelum, per compunctionis amorem nil terrenum flere debemus, solus nobis ipse sufficiat qui fecit omnia, transcendamus per desiderium omnia, non tam timore poenarum nec memoria vitiorum quam amoris flamma succensi, ardeamus cum lacrymis in odore virtutum sicut illa quae ascendit per desiderium sicut virgula fami ex aromatibus, etc. (*Cant. III*).

Tit. LXXVI. *De triplici hominis acceptione.*

Tribus modis hominem Scriptura appellat: Per naturam, ut *Faciamus hominem* (*Gen. I*); per culpam, ut *Vos sicut homines moriemini* (*Psal. LXXXI*); per infirmitatem, ut *Maledictus qui confidit in homine* (*Jer. XVII*).

Tit. LXXVII. *De triplici somni acceptione.*

Tribus modis somnus in Scriptura accipitur: Pro morte carnis. Unde Apostolus: *Nolo vos ignorare de dormientibus* (*Thess. I*). Pro negligentia peccati. Unde idem: *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom. XIII*). Pro quiete et vitae desideriis. Pro quo somno dormivit Jacob, ponens caput in lapide (*Gen. XXVIII*).

Tit. LXXVIII. *De duplici respectu Dei.*

Duplex est Dei respectus: Hic per misericordiam, quo respicit poenitentes; in futuro per justitiam, quo reprobos damnabit. Unde: *Oculi tui in me, et non subsistam* (*Job VII*). Et quia ibi non est respectus misericordiae, praemittit, *Nec aspiciet me visus hominis* (*ibid.*), id est Christi, quia quoque illuc hic non revertitur quisquam ad emendationem, idem praemisit: *Et non revertetur oculus meus ut videat bona* (*ibid.*), quia etiam hinc illuc cito transit dicendo; *Memento, Domine, quia ventus est vita mea* (*Prov. XVIII*), orat hic se per misericordiam respici. Sed quia Deus non parcat si tibi parcat, audi quid Job idem dicat: *Ego non parcam ori meo* (*Job VII*). Ori suo parcat qui confiteri malum erubescit. *Iustus autem qui in principio sermonis accusator est sui* (*Prov. XVII*), ori suo non parcat, quia districti iudicis praeveniens verbum, contra se propriae confessionis verbo saevit; sicut Psalmista: *Praeoccupemus, inquit, faciem ejus in confessione* (*Psal. XCIV*).

Tit. LXXIX. *De quatuor modis peccandi.*

Quatuor modis peccata perpetrantur in corde: totidem consummantur in opere. In corde suggestionem, per adversarium; delectationem, per carnem; consensum, per spiritum; defensionis audaciam per elationem, cum culpa terrere mentem debuit, extulit. His quatuor ictibus primi hominis rectitudinem antiqui hostis fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata est. Adam consensit, requisitus ubi esset, culpam confiteri per audaciam noluit. Hoc in homine quotidie agitur. Diabolus tanquam serpens tortuosus et lubricus suadet; caro sicut Eva delectatur; spi-

vilis velut Adam præpositus consentit per carnis A delectationem a sua rectitudine inclinatus : qui tanquam requisitus Adam, per audaciam defensionis nequius obduratur. His quatuor consummat. In opere prius latens culpa agitur, postmodum sine confusione ante oculos hominum aperitur, in consuetudinem ducitur, ad extremum spe falsa vel desperatione misera nutritur. Hos modos Job deplorat dicens : *Quare non in vulva mortuus sum? Egressus ex utero non statim perii? Quare exceptus genibus? Quare lactatus uberibus?* (Job III.) Mortuus esset in vulva si se moriturum in ipsa suggestione cognosceret. Sic de cæteris. Sciendum tamen quod tres primi modi faciliter corriguntur : quartus nunquam. Unde Dominus puellam in domo (Luc. VIII); juvenem extra portam (Luc. VII); quatruiduanum Lazaram suscitavit (Joan. XI). Puella in domo peccator est in occulto : juvenis qui extra portam ducitur est cum peccati culpa aperitur ; sepulturæ vero aggere premitur, qui usu consuetudinis pressus gravatur. Illos tamen miseratus Dominus ad vitam per penitentiam advocat. Quartus autem a Domino nuntiatur, non suscitatur, quia peccatum desperationis nec in hoc sæculo nec in futuro dimittitur (Luc. XII), imò is qui mortuum nuntiat audit. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (Math. VIII).

TIT. LXXX. *De triplici adventu Dei.*

Tres sunt adventus Dei, ad homines, in homines, contra nomines. Non sunt tam desiderabiles primus et ultimus quam medius, quo sapientia Dei in hominem veniens facit ibi mansionem, ædificans domum, scindens columnas septem, ut faciat sibi sedem (Prov. IX). Domus est homo, sedes anima, septem columnarum præparamenta sedis. *Justitia, inquit, et iudicium præparatio sedis tuæ* (Psal. LXXVIII). Justitia virtus est cuique quod suum est tribuens, superiori, inferiori, æquali. Superiori obedientiam et reverentiam : quarum altera corporis, altera cordis est. Æquali consilium quo instruat ignorantia, et auxilium quo juvetur infirmitas, non solum in verbo et officio, sed etiam exemplo quo provocetur ad meliora, et oratione qua juvetur a Domino. Inferiori custodiam, qua cavere possit peccatum futurum : et disciplinam qua puniatur admissum. Si ergo superiori reddis devotionem et obedientiam, æquali consilium et auxilium, inferiori subdito custodiam et disciplinam, vel tibi ipsi qui habes corpus tuum subditum, ut non regnent in eo peccata, et faciat fructus dignos penitentiarum, veniet in te Dominus.

TIT. LXXXI. *De anima cur Christi sit sponsa.*

Quatuor sunt propter quæ anima dicitur sponsa : Dona gratiarum, quibus subarrhata est in baptisinate ; castus amor, quo illi sociata in unguendo chrismate ; proles virtutum, quibus fecundata est divini verbi dogmate ; torus quietus, quo in æternum est ei socianda omni procul ænigmatate. Arrharum vero quædam est communis, quædam specialis. Communis quadrarie est, qua nati sumus. sentimus, sopimus, discernimus. Specialis similiter qua-

drifaria : qua regnaturi sumus præveniente misericordia ; remissionem consecuti subsequenti intelligentia ; virtutibus exornati, superabundante gratia, spe certa beati, perseverante constantia.

TIT. LXXXII. *De quincupertito gulæ vitio.*

Quinque partitum est gulæ vitium. Aliquando indigentiarum tempus prævenitur in aliquibus ; et ii similes Jonathæ in gustu mellis. Aliquando hora non prævenitur, sed cibos lautiores quæerunt ; et ii similes populo judaico in eremo : qui despecto manna carnes petiit. Aliquando quælibet sumenda præparati accuratius poscunt, et ii similes Illiis Hell, qui carnes non coctas de more, sed crudas accuratius præparandas extorquent. Aliquando qualitati et tempori congruunt, sed mensuram excedunt. Unde dicitur : *Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ : superbia vitæ saturitas panis et abundantia* (Ezech. XVI). Aliquando abjectus est cibus et æstu desiderii deterius peccatur, et ii similes Esau qui lentis esca primogenita vendidit. Neque enim cibus sed appetitus vitium est. Unde et hic per lenticulam primum amisit, et Elias carnes edendo virtutem corporis servavit ; et diabolus primum hominem non in carne, sed in pomo (Gen. III) ; et secundum, in pane tentavit (Math. IV).

TIT. LXXXIII. *De tribus sacerdotum vitiis.*

Tria sunt vitia quibus frequenter diverse sacerdotes delinquant. Cupiditas, incontinentia, negligentia. Cupiditate peccant qui pro obtinendis temporalibus commodis divina officia celebrant ; in quorum intentione non est amor Dei, sed temporalis lucri. His dicit Dominus per Amos : *Ideo audivi et projecit festivitates vestras, et non capiam odorem sacrificiorum vestrorum* (Amos. V). Quia non possunt esse odorifera et delectabilia sacrificia Deo, quæ quisque facit in eis quærendo non honorem Dei, sed sua lucra. Quod si dicat : Deo in hoc servio licet commodum consequar, dicitur ei : *Nemo potest duobus dominis servire, etc. Non potestis Deo servire et mammonæ* (Math. VI). Tales constituunt Dagon juxta arcam (I Reg. XII) : dum per divina officia quæ faciunt pecuniam congregare intendunt. Talibus et Dagon auferetur. et ipsi percutiuntur in posterioribus, quia et ipsa temporalia subtrahuntur, et pena æterna mulctantur. Secundum autem vitium incontinentiæ quanto odio insequatur Apostolus docendo quod violatorem templi Dei disperdet Deus (I Cor. III), notum est. Hæc vero duo vitia propter tertium, id est negligentiam accidunt, cum ita sunt in subditis et in se negligentes ut non suscitentur ad custodiam Sion et ad depascendum terram Assur in gladio sicut dicit Dominus per prophetam : *Suscitabimus super eum septem pastores et octo primates homines, et pascent terram Assur gladio* (Mich. V). Per septem pastores et octo primates universi prælati intelliguntur, qui debent esse septem et octo, id est Novo et Veteri Testamento instructi. Suscitabo pastores, id est animarum custodes utroque Testamento, ut sciant proferre de thesauro suo nova et

vetera. Vigilanter debent custodire Sion, id est Ecclesiam, et viriliter resistere Assur impugnantis populum Dei, id est diabolo, quia sicut olim Assur populum Dei, ita quotidie nunc diabolus populum persequitur Christianum. Et debent pascere terram Assur in gladio Spiritus, quod est verbum Dei ut illos qui sunt subjecti diabolo per amorem terrenorum, pabulo sacræ doctrinæ tanquam gladio bis acuto, hinc per timorem gebeunæ terrendo, illi ac amore cælestis patriæ provocando, revocent a malis per terrorem tormentorum, et ad bonum per dulcedinem præmiorum. Tales nos oportet esse charissimi, prudentes et exercitatos in sacris Scripturis, et suscitatos et accinctos gladii acumine super gregem nobis commissum, ut refrenata cupiditate temporalium solis cælestibus intendamus, servata continentia carnis, mundi apparentes in conspectu Dei et hominum, abjecta negligentia, diligenter curam adhibeamus ad custodiam non solum aliarum, sed et nostrarum animarum, ut non sit vox nostra. *Posuerunt me custodem vineis (Cant. 1)*. Vineam meam, id est domum meam non custodivi. Recepturi præmia digna pro laboribus nostris, præstante Domino qui vivit et regnat, etc.

TIT. LXXXIV. *De tribus in quibus consistit salus.*

In tribus salus æterna consistit. Primum est abrenuntiare sæculo et jungere se Deo; secundum, terrena contemnere et æterna quærere; tertium, vitia calcare, et virtutibus operam dare. Hoc triduo in holocaustum immolatur vacca trima, aries, taurus. Hoc triduo Dominus turmæ se in eremo sustentis per miserationem suam miseretur. Hoc triduo de vitiis ad virtutes, de luce ad tenebras transit Hebræus. Primo die deserit Pharaonem conjunctus Deo; secundo, servilia opera luti et lateris, desiderans libertatem; tertio, de Ægypto exiens tendit ad terram promissionis. De primo dicitur: *Mihi adherere Deo bonum est (Psal. LXXII)*; de secundo: *Quæ sursum sunt quærite (Colos. III)*; de tertio, *Educ de custodia animam meam (Psal. CXL)*.

TIT. LXXXV. *De triplici damno ferendo.*

Tribus modis damnum infertur homini: a dæmone, a proximo, a carne. Dæmon insidiatur charitati, proximo possessioni, caro pudicitia. Quod Isaias breviter sic coloravit: *Ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos suos; congregati sunt multi, cubavit lamia et invenit sibi requiem (Isa. XXXIV)*. Babylon homo filius confusions, quem confundit delectatio culpæ, amaritudo pœnæ, singularitas vitæ. In hoc sunt tria mala Babylonis, tria genera confusionis. Nunc de singulis. Ericius piger, spinosus, inter operculum latens suæ pellis, est diabolus piger in effectu ne quis currat ad pœnitentiam, opertus spinis ne recipiat gloriam vel gratiam; quem latebra perditionis celat, ne veniat ad misericordiam. Piger est ericius, quia diabolus nullas contra hominem habet vires, nisi se homo ei sponte mancipet. Formica est contra leonem resistantem. Contra formicas consentientes leo. Vis videre formicam? *Domine, mit e nos in porcos (Marc. V)*. Ille

Domino gladium tribuit, ut occidat; In principio facilis ut repellatur. Si invaluerit figens radicem, non extirpatur, nisi clamet Jesus voce magna. Unde dum parvulus est hostis, cave ne nequitia erigatur in semine. Sed si piger repellitur, spinas submittit. Hæ sunt multiplices nocendi machinæ. Plantat diabolus radicem peccati: quæ nisi mox avellatur, pullulat et nascitur arbor culpæ. Per oculum expanduntur rami nequitia; per linguam hujus arboris sentit homo, et delectationis colligit fructum in æternam damnationem. Ericius igitur est pigritia imbecillitatis, spina fallaciæ, pellis latebra. Per spinam præcipitat in aperta mala; per pellem in occulta. Hic habet foveam, id est in confusis mentibus mansionem, et nutrit catulos latrantes, id est vitia.

Post ericum sunt milvi, quia post diabolum est proximi malignitas, quia cum maledicit et malefacit nobis, rostro et unguibus discerpit. Sed si ericum et milvum evadimus, sequitur lamia. Lamia humanam faciem habet, corpus habet bestiale. Hæc est caro, hic est domesticus hostis. Hic primus vincendus, in nobis contra nos habens radices, pugnant blandiendo quasi rationale pro necessariis, et succumbendo quasi bestiale pro superfluis. Hic invenit requiem cum carnis curam facit in desideriis. Hæc tria sunt bella Babylonis: tentatio dæmonis, proximi calumnia, carnis fornax. Contra ista increpat vultus Dei, et pereunt; blanditur et percutit. Blanditur patienter expectando, increpat correctione flagellando, percutit iuste damnando.

TIT. LXXXVI. *De triplici adventu Domini.*

Primus adventus in nube, secundus in rore, tertius in fulmine. In primo occultus, in secundo manifestus ex parte, in tertio ex toto. In primo venit occultus agnus ad aram, in secundo sponsus ad amicum, in tertio ferrum ad culpam. Hi sunt tres descensus, præsentia, clementia, vindicta. De primo dicitur: *Inclina cælos et descende (Psal. XVII)*. De secundo: *Descendi in hortum meum (Cant. VI)*. De tertio: *Descendamus et confundamus labia eorum (Gen. XI)*.

TIT. LXXXVII. *De via carnis et spiritus.*

Dux sunt viæ: una carnis, altera spiritus. Una separat a Domino, altera revocat ad Dominum. Una visibilis, altera invisibilis. In prima mundi amatores spatiantur; in secunda mundi contemplores requiescunt. Primi sunt Hebræi secundum carnem, qui sic transeunt per bona temporalia ut æterna mala incurrant; secundi Hebræi secundum spiritum, qui per ista transeunt ad æterna bona.

TIT. LXXXVIII. *Sapientiam quinque modis concupisci.*

Quinque modis sapientia concupiscitur. Quidam discunt ut scient: quod est curiositas; quidam, ut scientes appareant: quod est vanitas; alii, ut vendant et lucrentur: quod est Simoniaca pravitas; alii ut alios ædificent: quod est laudata claritas; alii, ut ædificentur: quod est pia humilitas. Tres superiores sine fructu in concupiscendo abundant.

U colligunt manna, sed putrescit in ore eorum. Duo A posterioriores fructum metunt.

TIT. LXXXIX. *De tribus cognationibus.*

Tres cognationes sunt: Naturæ, gratiæ, gloriæ. In prima sumus conditi nobilis Dei creatura; in secunda renati, nova in Christo creatura; in tertia, translati, perfecta in Domino creatura. Per primam in animalibus excellimus, per secundam carnem superamus, per tertiam mortem vincimus.

TIT. XC. *De tribus inobedienciæ comitibus, et tribus obedienciæ bonis.*

Inobediencia tres comites habet: Imprudentiam, quantum ad seipsam; irreverentiam, quantum ad Deum; contumeliam, quantum ad proximum. Ut autem scias dignitatem obedienciæ, adverte quod extra Bethaniam, quæ interpretatur *domus obedienciæ*, nec lacryma pœnitentis, nec studium bonæ operationis, nec otium sanctæ contemplationis Deo placere invenitur. In Bethania quatrduanus suscitatur; ibidem in domo Simonis Maria ab onere peccatorum exoneratur. Postremo a Bethania in Jerusalem, id est visionem pœcis venit, quia per obedienciam ovis centesima humeris pii Patris ad regem reportatur. Per obedienciam drachma inventa in thesaurum regis absconditur. Per obedienciam regina austri ad verum Salomonem dicitur. Per obedienciam Bersabee ad amplexum veri sponsi repræsentatur.

TIT. XCI. *De tribus in cruce animadvertendis.*

Tria nolemus in cruce Christiana: nobilitatem, sapientiam, religionem. Unde titulus litteris Latinis, Græcis et Hebraicis inscribitur. In Latino notatur nobilitas, qua præcedebant Romani; in Græco, sapientia, quam ipsi requirunt; in Hebraico, religio, ex qua Judæi, qui petunt signa, procedunt.

TIT. XCII. *De tribus imitatori Christi agendis.*

Imitator Christi tria debet agere: Simplicis innocentie sensum tenere, ut cum Christo puer officiat; abjectum et humilem habitum amare, ut infantie Christi pannis vilibus involvatur; in disciplina simpliciter ambulare, ut cum Christo in præsepse positus inveniat.

TIT. XCVIII. *De tribus piscinis, diaboli, mundi, et Dei, et earum porticibus.*

Tres sunt piscine: una diaboli, altera mundi, tertia Dei. Prima confusio dicitur, et cruciat lethaliter; secunda, contritio, et lavat potentialiter; tertia, compunctio, et abluit salubriter. De prima dicitur: *Mittentur in stagnum ignis ardentis et sulphuris* (Apoc. xix); de secunda: *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* (Jer. ii.) De tertia: *In die illa erit fons patens domui David*, etc. (Zach. xiii). Prima habet quinque porticus pœnarum tenebras: in prima habet stridorem dentium; in secunda, ignem inexstinguibilem; in tertia, vermem non moriturum; in quarta, frigus nivium; in quinta, desperationem. Secunda quoque piscina quinque habet porticus: prima est negligentia et in ista jacet Saul cum inobediencibus; secunda cu-

riositas mundi, et in hac Jezabel cum curiosis mulieribus; tertia contemptus proximi: et in hac dives epulo cum omnibus avaris, quarta profundum malitiæ: et in ea Arius et Caiphas cum aliis malitiosis; quinta desperatio veniæ: in qua Cain et Judas cum reliquis desperantibus. In prima audiunt: *Maledictus qui; opera Dei facit negligenter* (Jer. xlviii); in secunda: *Ascendit mors per fenestras nostras* (Jer. ix); in tertia: *Qui non diligit manet in morte* (Joan. iii); in quarta: *In malevolam animam non intrabit sapientia* (Sap. i); in quinta: *Qui peccaverit in Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro* (Luc. xii). Tertia piscina quinque porticus habet: Prima est timor supplicii: et in ipsa jacent pœnitentes; secunda, dolor exsilii præsentis: in qua jacent lugentes et justitiam esurientes; tertia, compassio proximi: in qua misericordes; quarta, amor præmii: in qua mundi corde; quinta, amor conjugii: in qua pacifici. In his quanquam habeatur virtutum sanitas, quia tamen in præsentem non habetur ad plenum, multitudo dicitur jacere languentium: hi exspectant ut descendat angelus; a quo mota aqua compunctionis (Joan. v), languor venialium vel mortalium descendens Spiritus sancti gratia tergatur, et sanetur ab omni labe unus, ille scilicet tantum qui charitatis servat unitatem.

TIT. XCIV. *De triplici materia gaudii animæ.*

Triplex est materia gaudii sponsæ Christi animæ fidelis: Prima est a gloria sponsi; secunda, a desponsationis suæ reverentia; tertia, a dotis magnificentia. Laus autem sponsi multiplex est. A forma quia *speciosus est præ filiis hominum* (Psal. xlv); a genere, quia *descendens a patre luminum* (Jac. i): a divitiis, quia *Domini est terra et plenitudo ejus*, etc. (Psal. xxiii); a potentia, quia non potest vinci; a sapientia, quia non potest falli; a justitia, quia non potest corrumpi; a certitudine scientiæ, quia non potest vitari. Est *admirabilis bonitate vite, consiliarius utilitate doctrinæ, Deus singularitate potentiæ, fortis proprietate victoriæ, Pater futuri sæculi donis gratiæ, Princeps pacis, felicitate gloriæ: Non est similis tui in diis, Domine; et non est secundum opera tua* (Psal. xxxv). Primo igitur felix est sponsa tali conjugio. Sindonem fecit et vendidit, etc. Reverentia vero desponsationis triplex: prima sacramentorum vitæ; secunda, mandatorum justitiæ; tertia, consiliorum disciplinæ. Primo eam despondit lavando eam sacramentis; secundo, eam despondit induendo præceptis; tertio, eam despondit ornando eam exercitiis. Quam lotam, vestitam, honoratam sponsus recipiet, ut cognoscatur in gentibus ejus, juxta illud: *Deus in gentibus ejus cognoscetur cum susceperit eam* (Psal. xlvii). In gradibus, clericis, laicis, prælatis, subditis, eremitis, mundi contemptoribus. Prælatis debetur sacramentorum reverentia; subditis, præceptorum obediencia; mundi contemptoribus, consiliorum exercitia. Ad prælatos pertinent salutis sacramenta, ordinationes et dispensationes mandatorum.

Sacer igitur debet esse qui sacrat, ordinatus qui ordinat, justus qui mandata vitæ ministrat, discretus et humanus qui vitam alienam librat, et hominum mores dispensat. Taliter sponsata dotis recipit magnificentiam. Merito igitur gaudet sponsa primo per gloriam sponsi felix; secundo, per dispensationis reverentiam felicior; tertio propter dotis magnificentiam felicissima, ut bene ei dicatur: *Lætare, Jerusalem*, etc.

Tit. XCV. *De tribus florum et animarum dotibus.*

Tria in flore considerantur: gratus aspectus, suavis tactus et odor jucundus. Quid autem anima spirituali intellectu purificata gratius videtur? quid spiritualibus amplexibus suavius stringitur? quid odoratu talis animæ jucundius sentitur? In qua nihil sibi vindicans superbia tumidum, non offendit aspectum; nihil invidia rubiginosum inducens, non exasperat tactum; nihil luxuria marcidum immittens, non conturbat olfactum; sed tota viret intus, floret præsentibus, fructificat absentibus: viret intus per bonam conscientiam, floret præsentibus per bonum exemplum, fructificat absentibus per bonam operationem.

Tit. XCVI. *De ingressu verbi Dei.*

Quatuor modis sermo divinus ad humanam animam ingreditur. Intrat ad primam hiduratam et propria malitia cæcatam, cum virga ut puniatur, rigidus et crudelis, damnans ipsam ac dicens: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei (Isa. xxvi)*. Intrat ad secundam lapsam et propria conscientia perterritam cum parabola, ut reparetur; terribilis sed salutaris, eam invitans curando ac dicens: *Fili, ne differas converti ad Dominum de die in diem (Eccli. v)*. Intrat ad tertiam justificatam et pro sui probatione flagellatam, cum sententia, consolatorius et amatorius, ipsi animæ dicens: *Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se, etc. (Jac. i)*. Intrat ad quartam eméritam et cælesti remuneratione dignam, cum gratia, ut remuneretur, gratus atque festivus eam invitans ad præmium et dicens: *Propera, columba mea, formosa mea, et veni (Cant. ii)*. In figura hujus mystici sermonis Moyses rigidus verbis, in manu ferens virgam durissimæ contritionis, in conspectu obdurati graditur Pharaonis. In figura secundi terribilis, sed salutaris, Nathan propheta ad David prostratum et propriæ conscientie reatu constrictum, cum parabola correctionis ingressus, reprehendendo dejectum relevavit, et errore relicto, justitiæ restituit. In figura tertii amabilis et consolatorii, Isaias propheta ad regem Ezechiam justum quidem, sed ad sui probationem corporali debilitate ægrotantem, cum sententia divinx consolationis ingressus, jam probatum, jam patientia eruditum sanavit, et de manu regis Assur protegere repromisit. In figura quarti grati et festivi Gabriel angelus aspectu jucundus, habitu decorus, sermone placidus, ad Mariam in-

A gressus est, eam venerabiliter salutavit fructumque cælestem quasi suæ virginitatis præmium repromisit, dicens: *Ecce concipies in utero, et paries filium, etc. (Luc. i)*.

Tit. XCVII. *De tribus donis corpori humano et eisdem spiritui in conditione collatis.*

Tria in conditione invenimus divinx dilectionis incentiva, corpori collata: panem, solem, aerem; cibum vescenti, lucem cernenti, flatum spiranti. Porro spiritui tria: dignitatem, scientiam, veritatem. Dignitas geminum possidet donum; naturæ prærogativam, et donationis potentiam. Scientia quoque duplex: hanc ipsam sciens dignitatem vel aliam nobis inesse et a nobis non esse. At virtus bifaria est, auctorem querere, et invento inseparabiliter inhærere. Dignitas sine scientia non proderit; scientia vero etiam obest, si virtus non affuerit.

Tit. XCVIII. *De tribus in redemptione hominis ipsum ad dilectionem Dei incitantibus.*

Tria in redemptione sunt dilectionis incitamenta: tempus, modus, fructus. In tempore tria considerantur: Corruptio naturæ, transgressio legis, plenitudo malitiæ. In modo quoque tria, quia exinanivit se usque ad hominem, descendit usque ad crucem, passus est usque ad mortem. In fructu item tria: perfecta veritas, quæ ignorantiam abiecit; consummata charitas, quæ concupiscentiam abstulit; secunda æternitas, quæ oblivionem removet. In tempore igitur est consummatio mali; in modo, exinanitio Dei; in fructu, de illo repletio nostri. Quis concipere posset quantæ miserationis fuit exterminare malitiam, delere culpam, informare naturam? quantæ humanitatis, Dominum Majestatis in carne mortem tolerare, in cruce pati? quantæ dignationis exstiterit, cæcæ rationi relundere plenitudinem lucis, sædatæ voluntati multitudinem pacis, turbatæ memoriæ continuationem claræ æternitatis?

Tit. XCIX. *De quadruplici dilectione.*

Quatuor sunt genera dilectionis: In primo amat se homo propter seipsum; in secundo propter se, Deum; in tertio, Deum propter Deum; in quarto, se propter Deum. Primus modus carnalis et servorum est, de quo dicitur: *Nemo unquam carnem suam odio habet (Ephes. v)*. Secundus animalis et mercenariorum, de quo: *Constitetur ei, cum benefeceris ei (Psal. xlviii)*. Tertio spiritualis et filiorum, de quo: *Constitemini Domino quoniam bonus (Psal. cxvii)*. Qui Domino constitetur, non solum quoniam bonus est, hic vere diligit Deum propter Deum, non propter se; quartus intellectualis et angelorum: de quo: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (Phil. i)*.

Tit. C. *De septem gradibus confessionis.*

Septem sunt gradus confessionis: Cognitio peccati, pœnitentia, cordis dolor, oris confessio, carnis maceratio, operis correctio, et bonitatis perseverantia. Tres intus et tres foris, septimus intus et foris

prospicit. Ut igitur vera sit et fructuosa confessio, primo gradu necessaria est cognitio peccati, in qua tria necessaria sunt: ut videas quid egeris, quantis scilicet contumeliis affeceris corpus tuum, possidens vas tuum ad immunditiam et vilitatem, non in sanctificatione et honore; secundo, quid merueris, considerans ignem scilicet illum qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth. xxv*), et cætera mala quæ in pœnalibus locis cumulantur et crescent; tertio, insipias quid amiseris, bona certe illa quæ oculus non vidit, etc. (*I Cor. ii*). Horum consideratione perterritus transi ad secundum gradum, qui est pœnitentia, et ipsa triformis est: ut pœniteat te quod in luto facis et miseræ peccati diutius jacuisti, pœnitentiam agas, corpus conteras, et furibundo carnis asello incentivorum semina subtrahens, pœnitentia non admittas amplius, ne vulnus vulnere geminans frequenter confringas ossa animæ tuæ. Sic cognoscens et pœnitens transvola ad tertium gradum qui est dolor cordis. Et hic triplex: acer, acrior, acerrimus. Acer dolor, quia Creatorem offendisti, cujus legem cum cœlestia et terrestria conseruent in tanta republica Dei, tu solus peregrinus es, inoperatoriæ majestatis dexteram contemnens. Acrior, quia cum Creatore Patrem etiam ad iram provocasti, qui tibi ministrat siderum cursus et fructuum ubertatem. Acerrimus, qui pertranseat animam, quod beneficium contempseris ejus qui dolorem crucis sustinuit, ne dolorem amplius sustineres inferni. Sic in interiori homine justitiæ generatæ surculus erumpat in arborem, et quod conscientia tenet, lingua loquatur, ut ascendas ad quartum gradum, qui est oris confessio. Quæ debet tripliciter fieri: pure, humiliter, fideliter. Pure, ut nihil subiticeas, sed omnem putredinem evomas vitiorum; humiliter, ut quod in ore, sit in corde. Nam utrique reges, David et Saul dixerunt: *Peccavi, sed Saul audivit: Transtulit Dominus regnum tuum a te, et dabit illud æmulo tuo (I Reg. xv)*. David autem: *Transtulit Dominus peccatum tuum, et non morieris (II Reg. xii)*. Quia confessio Saulis, quæ in ore fuit, non fuit in corde; et humilitas quæ in ore David exstitit, in corde radicavit. Fideliter, ut in se Ecclésiæ credat sibi peccata dimitti, quia Cain et Judas pure et humiliter confessi sunt, sed non fideliter, quia alter desperans ad laqueum cucurrit, alter illud grande scelus evomuit: *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear (Gen. iv)*. Sequitur quintus gradus. Maceratio carnis, quæ jejuniis et vigiliis attenuanda est, ne nova prurigne ad voluptuosam vitam revolet. Hæc quoque tripliciter fiat: licenter, quia quod sit sine licentiâ, vanæ gloriæ deputabitur non mereri; occultæ, ut nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua (*Matth. vi*); discrete, ut fiat pro corporis capacitate. Sic illuminatus procedit ad sextam, qui est correctio operis, ut omnes sensuales motus frenis continentiae refrenans, veniat ad septimum gradum, qui est perseverantia bonitatis. Et in hoc septimo vocabit te Dominus cum Moyse de medio

A caliginis, et in ipsam divinitatis turbam interiores oculos infliget. Hanc perseverantiam faciunt expectatio præmiorum, pœnarum recordatio, primitiæ spiritus et donum cœleste. Pro hac septemplici confessione in tribus gradibus dicitur: *Corde creditur ad justitiam (Rom. x)*, in aliis tribus, *Oris confessio fit ad salutem (ibid.)*. Septimus currit per omnes gradus. Hanc confessionem quatuor impediunt: Pudor, quo quæ commisimus, erubescimus confiteri. Huic tripliciter obviandum est, consideratione rationis, quæ confiteri monet; reverentia intuentis Dei, quem nil latet; majoris confusionis comparatione, quoniam in futuro cuncta crimina omnibus patebunt. Secundo timor, qui plerosque opprimit ne gravi pœna percellantur et eam ferre non possint. Huic similiter tribus occurrendum est: considerando quam gravis sit pœna gehennæ, quam longa et infructuosa; e contrario quod pœnitentia præsens levis, momentanea fructuosa. Vere qui *timet pruinam, irruet super eos nix (Job vi)*. Tertio spes, quæ multos obruit, dum præsentia cupientes conscientias aperire nolunt, ne si quales sunt hominibus apparerent, ad nulla præsentia bona conscenderent. Contra quam inculcandum est bona hujus sæculi quam incerta et momentanea, futura quam sint certa et æterna. Quarto desperatio multos interimit, quia metuunt ne possint continere. Contra hanc vigor confessionis, gratia humilitatis, et confirmationis illius est aperienda constantia.

TIT. CI. *Quod hodie tripliciter dicatur.*

C Hodie tribus modis dicitur, quia aliud est transistorium. Unde: *Si fenem quod hodie viret et cras in elibanum mittitur, Deus sic vestit, etc. (Matth. vi)*. Aliud reciprocum. Unde Apostolus: *Adhortamini invicem per singulos dies donec Hodie cognominatur (Hebr. iii)*. Aliud æternum. Unde: *Ego hodie genui te (Psal. ii)*.

TIT. CII. *De triplici hominum statu, et triplici oblatione eidem facienda.*

D Tres sunt status hominis: Primus pœnitentiæ, secundus justitiæ, tertius vitæ æternæ. Et secundum tres istos status tria debemus offerre sacrificia. In primo statu sacrificium compunctionis; in secundo, bonæ operationis; in tertio, laudis et jubilationis. Hoc triplici sacrificio offerre nos Deo jubemur cum dicitur: *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino (Psal. iv)*. Initium enim justitiæ est compunctio, profectus ejus operatio, bona consummatio ipsius, laus vitæ æternæ. Unumquodque istorum suam habet pinguedinem. Primum butyrum humilitatis secundum oleum discretionis, tertium, balsamum charitatis.

TIT. CIII. *De tribus testimonium perhibentibus in cælo, et totidem in terra, et totidem in inferno: rursum.*

Tres sunt qui testimonium dant in cælo. Pater et Filius et Spiritus sanctus. Tres in terra Spiritus, aqua, et sanguis (*I Joan. v*). Similiter in inferno: ut in Isaia legimus: *Vermis eorum non morietur,*

*et ignis eorum non exstinguetur (Isa. LXVI).* Duo mala sunt ignis et vermis; altero roditur conscientia, altero concremantur corpora. Tertium additur desperatio, quæ in eo utique intelligitur quod dicitur: *Non morietur, et non exstinguetur.* His qui in cælo sunt datur testimonium beatitudinis; his qui in terra, justificationis; his qui in inferno sunt, damnationis. Primum est gloriæ, secundum gratiæ, tertium iræ.

**TIT. CIV. Quomodo Spiritus sanctus arguat mundum.**

Spiritus sanctus arguet mundum de peccato (Joan. XVI), quod dissimulat; de justitia quam non ordinat, dum sibi non Deo eam dat; de judicio quod inique usurpat, dum tam de se quam de aliis temere iudicat.

**TIT. CV. De nomine Christiano, etc.**

Christiani a Christo nomen acceperunt; et opus est ut sicut hæredes sunt nominis, ita sint imitatores sanctitatis. Tria ergo sunt quæ in Christo nominis expressa plenis viribus exercere debemus: videlicet improbare vivaciter sæculi vanitatem, quia et Christus ne rex constitueretur a turbis aufugit; exercere viriliter patientiam, quia et Jesus sicut agnus occisus est; et veraciter habere geminam charitatem, quia Jesus pro inimicis oravit.

**TIT. CVI. De septem gradibus humilitatis.**

Septem gradus descensionis habet humilitas: abdicationem rerum, exemplo apostolorum; abjectionem vestium, sicut Elias et Joannes; corporis exercitium, ut habuit Paulus; dejectionem in prosperis, ad morem David pauperis et regis; patientiam in adversis, sicut Job et Tobias; et proprium abhorreere consilium et proprium voluntatis affectum.

**TIT. CVII. De armis virtutis et nequitiae.**

Arma virtutis, quibus arma nequitiae expugnantur sunt hæc: plena peccati cognitio, quæ expellit tenebras voluptatis; pœnitentialis afflictio contra venenum iniquitatis; sufficiens et digna correctio in mutatione pristinae voluntatis; perseverantia plena successio, ut perfecta subrogetur custodia sanitatis.

**TIT. CVIII. De tribus pœnitentiæ necessariis.**

Necessaria sunt pœnitentiæ tria hæc: Abstinencia, per quam carnis superbia edomatur; lectio, cujus fructu reformandus in vigorem animus saginatur; oratio, cujus munimine et tutela virtutum examina proteguntur.

**TIT. CIX. Quæ tria habent humilitas.**

Humilitatis virtus hæc habet tria: Superiori subdi, ut ad ejus æqualitatem nulla ambitione vel invidia rapiatur. Æquali non præferri, ne illicito appetitu superior velle fieri videatur. Minori subdi potius quam præponi, ut ex hoc humilitatis gratia comprobetur.

**TIT. CX. De inæqualitate gradientium ad Deum.**

Non omnes uniformiter gradiuntur ad Deum. Quidam lento passu, sicut ii qui terrenorum curis im-

PLICITI vix aliquando respirant ut Dei recordentur: quidam modesto incessu, sicut ii qui Domini servitute mancipati Deo quidem serviunt, et tamen erga seipsos indulgentiores existunt; alii veloci, id est rapido cursu, sicut ii qui super carnem suam intuentes, et sic transitoria contemnentes, celeriter proficiscuntur ad Deum: hoc solummodo cupientes in pace quiescere in idipsum.

**TIT. CXI. De tribus quæ electos manent.**

Electos tria in futuro manent: interna satietas, æterna jucunditas, jucunda voluptas. De his dicitur: *Et justi epulentur et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia (Psal. LXXVII).*

**TIT. CXII. De triplici electorum desiderio.**

Triforme est desiderium electorum: unanimiter habitare in Domino. Unde est: *Unam petii a Domino, hunc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (Psal. xxvi).* Victoriam obtinere de mundo. Unde est: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Rom. vii.)* Præsentialiter frui Deo. Unde est et illud: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo (Phil. i).*

**TIT. CXIII. De triplici prælatorum timore.**

Trifarius est prælatorum timor: Ne audientium animos exquisitor apparatus verborum commoveat, ne interni iudicis oculos immoderatio usus offenda, ne justitiæ retributio in præsentibus eis fiat.

**TIT. CXIV. De tribus vitulis Domino immolandis.**

Vituli quos Domino immolare debeamus tres sunt. novæ conversationis affectus, quasi vitulus novellus, cornua producens et unguis; sacræ religionis profectus, qui est vitulus terrinius de armento: consummatæ virtutis effectus, qui est vitulus saginatus.

**TIT. CXV. De quadruplici pressura hominis.**

Quadriformis est pressura nostra: corruptibilis carnis angustiae, quæ sunt dolores mortis; temporalium pressurarum molestiae, quæ sunt torrentes iniquitatis; occulti hostis latentis insidiæ, quæ sunt dolores inferni; deceptoris facies mundanæ gloriæ, quæ sunt laquei mortis.

**TIT. CXVI. De fumo, igne, et caligine respectu Dei.**

*Fumus est ab ira Dei (Psal. xvii),* quia in consideratione iræ Dei electi compunguntur; *ignis a facie ejus,* quia per cognitionem et præsentiam ejus ad amorem accenduntur; *caligo sub pedibus ejus,* quia per districtum illius examen reprobis desperationis nebulis obscuratur.

**TIT. CXVII. Quomodo Deus ambulet, volet, et nobiscum habitet.**

*Ambulat Dominus super pennas ventorum (Psal. ciii),* cum electi ejus dulcedinem vel tenuiter attingunt. *Volat,* cum de incircumscripcta ejus substantia nihil percipiunt. Unde est: *Fuge, dilecti mi (Cant. viii).* Ponit Dominus tenebras profunditatis et altitudinis latibulum suæ divinitatis: in sole manifestationis et laboris, tabernaculum suæ carnis; in luce puritatis et sanctimonie, habitaculum mansionis suæ.

TIT. CXVIII. *De portis munit, inferi, cæli.*

Portæ duas mundas habet, quibus ingredimur ad eum, quæ sunt corrupta sensualitas et incesta cupiditas. Unde est : *Appropinquaverunt usque ad portas mortis (Psal. cvi)*. Portæ inferi, cæca desperatio et dura obstinatio. Unde est : *Portæ inferi non prævalent adversus eam (Matth. xvi)*. Portæ cæli : humilis patientia, quæ est porta ferrea ducens ad civitatem; et amoris concordia, quæ est porta orientalis.

TIT. CXIX. *De quadruplici retributione.*

Genera retributionis sunt quatuor : duo in hoc sæculo, et duo in futuro. Retributio prosperitatis et abundantia impiorum. Unde est : *Receperunt mercedem suam (Matth. vi)*. Damnationis et ignominie eorum; familiaritatis et gratiæ justorum; dulcedinis et amoris et gloriæ. Duo autem sunt quæ remunerantur : justitia operis, et puritas cordis.

TIT. CXX. *De tribus lucernis.*

Tres sunt lucernæ : regula disciplinæ in Christo, quæ ascenditur ut drachma perditâ inveniat; forma veritatis in Evangelio, quæ ponitur super candelabrum; scientiæ puritas in corde bono, quæ illuminatur a Domino.

TIT. CXXI. *De triplici semine*

Triforme est semen. Primum veritatis et justitiæ, quod in terram jactum facit semen centuplum; secundum iniquitatis et perfidiæ, quod est genimen viperarum; tertium erroris et malitiæ, quod est semen Chanaan et non Juda.

TIT. CXXII. *Quod sapientia Dei est ut perdix, gallina, et aquila erga pullos, id est auditores.*

Sapientia Dei quasi perdix fovet filios quos non peperit, quasi gallina congregat pullos sub alis, quasi aquila provocat pullos ad volandum.

TIT. CXXIII. *De triplici veste bonorum.*

Trifaria est vestis nostra : pœnitentialis anxietas, quæ est vestis viduitatis; religiosa maturitas, quæ est vestis jucunditatis; sincera integritas, quæ est vestis virginitatis.

TIT. CXXIV. *De veste Esau et pelliculis hædorum.*

Vestes Esau : honestas vitæ et maturitas disciplinæ. Pelliculæ hædorum abjectio noxiæ vetustatis, et mortificatio propriæ voluntatis. Cibi, hilaris obedientia et humilis abstinencia. Pater tangit filium, apposita probationis manu; osculatur, secretæ inspirationis instinctu; benedicit, religionis profectu.

TIT. CXXV. *De tribus ad puritatem necessariis.*

Tria sunt necessaria puritati : integritas actionis, simplicitas intentionis, tranquillitas devotionis.

TIT. CXXVI. *De tribus bonis quæ confert puritas.*

Puritas tria confert : Spiritum libertatis, gaudium sinceritatis, firmitudinem charitatis.

TIT. CXXVII. *Quod reprobi sunt fumus, pulvis, cera.*

Reprobi sunt aliquando sicut fumus, quia in sua altitudine evanescent; aliquando sicut pulvis, quia nullum charitatis humorem proferunt; aliquando sicut cera, quia ad calorem, id est impulsu tentationis facile liquefcunt.

TIT. CXXVIII. *De portis triplicibus.*

Portæ Sion sunt Ecclesiæ sacramenta, sine quibus Ecclesiam non intramus. Portæ justitiæ sunt virtutes mediæ, quas temporaliter exercemus. Portæ æternales sunt præcipue virtutes quas etiam in futuro habituri simus.

TIT. CXXIX. *Religiosos in tribus obnoxios esse Deo.*

Tria sunt in quibus obnoxii sumus Deo : signaculum naturæ, quod ad similitudinem Dei facti sumus; talentum fidei, quod per bonum opus Deo integrum resignare debemus; titulus professionis, quod ad serviendum Deo sponfionis vinculis alligamur.

TIT. CXXX. *Tribus modis nos interrogat Deus.*

Tribus modis nos interrogat Deus : promulgatione præcepti, ut nostra obedientia nota fiat; invectione flagelli, ut patientia nostra proximis innotescat; revelatione secreti, ut se nobis virtus humilitatis aperiat.

TIT. CXXXI. *De tribus bonis tribulationis.*

Tribulatio tria confert : exercitium, ne virtus amoris otii tepore frigescat; probationem, ut nostræ constantiæ fortitudo ad exemplum hominibus innotescat; præmium, ut juxta tribulationis modum immensum gloriæ pondus accipiat.

TIT. CXXXII. *De tribus adversitati opponendis.*

Adversitate tria sunt opponenda : electorum agones et angustia, quas patiuntur qui pie vivunt; Redemptoris afflictiones et molestia, quas ei sævissimi principes intulerunt; dispositio moderatrici justitiæ, cujus altitudinem quasi virgæ Joseph summitatem non discutere, sed adorare debemus. Hæc sunt illa tria : ostia, vectes, termini, quibus Dominus circumdat mare sæculi (*Job xxxviii*).

TIT. CXXXIII. *De triplici exercitatione electorum.*

Triforme est exercitium electorum : austeritas jejuniorum, qua excolitur terra carnis, ut fructum ferat; assiduitas lectionum, qua reficitur animus, ut homo interior pinguescat; instantia orationum, qua mens ad cœlestium appetitum assurgit.

TIT. CXXXIV. *De tribus mirabilibus in Maria.*

Auctor mirabilium Deus tria quædam mirabilia operatus est in Maria : integritatem munditiæ mirabiliter suscitavit, ut arca testamenti auro purissimo tegetetur; puritatem virginalem potentialiter secundavit, ut rubus ardens non combureretur; ima summis ineffabiliter copulavit, ut, scala Jacob mediante, terrena cœlestibus unirentur.

TIT. CXXXV. *De bonis secunditatis Mariæ.*

Tria nobis contulit Mariæ secunditas : avertit jugum captivitatis antiquæ; remisit iram indignationis divini; delevit notum iniquitatis humanæ.

TIT. CXXXVI. *De tribus quæ præstolantur electi, et de tribus quæ optant reprobi.*

Electi tria præstolantur in futuro : quod in eis mortale est a vita penitus absorberi, perennis gloriæ compensatione ditari, Deum sicuti est insatiabiliter contemplari. Reprobi tria optare dicuntur : voluptatem corpoream sibi ad sufficientiam cumulari,

momentaneam gloriam ad beatitudinem suffragari, A mores suos et opera nullo posse iudicio reprobari.

**TIT. CXXXVII. Quod quadruplices sint expectantes Deum, et quid ab eo sperent iterum.**

Homines Deum expectantes debent esse suspensi; quando veniat dubii quid eis deferat, hilares, devoti, diligentius adornati, tria sperantes in eo: nuptialem præsentiam, familiarem gratiam, liberalem munificentiam.

**TIT. CXXXVIII. De tribus nuptiis spiritualibus.**

Tres sunt species nuptiarum: primæ reconciliationis per fidem, in quibus sunt tria fercula: peccatorum ablutio, gratiæ consecutio, naturæ reformatio; secundæ adoptionis per spem, in quibus eloqui divini consolatio, alimonix cœlestis communio, dulcedinis internæ prælibatio; tertiæ glorificationis perfectæ per charitatem, quarum fercula sunt æterna incorruptio, vera glorificatio, perennis Dei visio.

**TIT. CXXXIX. De ternis fidelium armis.**

Arma fidelium terna sunt: sapientiæ plenitudo, quæ est funda David, de qua sententiarum lapides emittuntur; patientiæ fortitudo, quæ est baculus, quo luporum rabies repulsatur; charitatis amplitudo, quæ est pera David, de qua orationes proferruntur.

**TIT. CXL. De tribus prælato necessariis.**

Tria prælatis necessaria sunt: viva fidei et doctrinæ sinceritas, ut inhabitent in eadem regione; studiosa bene operandi sedulitas, ut vigilias cum pastoribus celebrent; de salute subditorum diligens curiositas, ut a lupis gregem suum custodiant.

**TIT. CXLI. De pœnitentiæ speciebus et partibus.**

Tres sunt species pœnitentiæ: simulatoria et infructuosa, cuius exemplum est in Esau et in Saul; crudelis et desperata, sicut in Cain et Juda; utilis et consummata, sicut in Magdalena et Zachæo. Cujus partes sunt quinque: Contritio in corde, confessio in ore, maceratio in carne, correctio in opere, perseverantia in virtute.

**TIT. CXLII. De triplici mutatione.**

Tria sunt generæ mutationum: sublimitas in humilitatem, quando Verbum carnem assumpsit; contemptibilitas in majestatem, quando se homo Deus coram discipulis transfiguravit; mutabilitas in æternitatem, quando resurgens cœlum regnaturus ascendit.

**TIT. CXLIII. De triplici impiorum refugio.**

Triforme est impiorum refugium: deceptricis documentum fallaciæ, quæ est Phiton; sæcularis munimentum potentiæ, quæ est Ramesse; simulatricis figura justitiæ, quæ est civitas solis. Has jubet Pharao ædificari.

*De quinque torrentibus (54).*

Quinque sunt torrentes: crudelitatis et malitiæ, quæ est Cison apud quem Jabin occiditur; philosophalis eloquentiæ: hic est Cedron ultra quem

(54) Titulus et numerus hic desiderantur.

A Jesus egreditur; passionis et angustix: hic est via, de quo dicitur Jesus bibisse; cœlestis sapientiæ, apud quem Elias pascitur; jucunditatis et lætitiæ, quo in cœlis potantur electi. Cison interpretatur eorum duritia; Cedron, id est cedrorum, et est genitivus Græcis.

**TIT. CXLIV. De quadruplici specie terræ.**

Species terræ quadriformis est: flos et virtutis temporalium honorum, quæ irrigatur sicut paradisi; utilis vita et conversatio electorum, de qua oritur panis vitæ: amœnitas cœlestium mansionum, quæ fluit lacte et melle; situs gehennalium locorum, quæ est terra, miseriæ et tenebrarum.

**TIT. CXLV. De quadruplici deserto.**

Quadruplex est genus deserti: invia mundani exsilii solitudo, de qua David: *In terra deserta, invia, et inaquosa (Psal. LXXII)*; disciplinæ Christianæ difficilis altitudo, in qua peregrinantur filii Israel; cœlestis Jerusalem delectabilis amplitudo, in qua relinquuntur oves nonaginta novem; gehennalis miseriæ terribilis habitudo, quæ est desertum solitudinis.

**TIT. CXLVI. De quadruplici curru.**

Quatuor sunt species curruum: elationis et dominii, in quo submergitur Pharao; humilitatis et studii, in quo sedet eunuchus reginæ Candacis; devotionis et obsequii, in quo sedens Joseph occurrat patri; amoris et desiderii, in quo rapitur Elias.

**TIT. CXLVII. De triplici ascensu Domini.**

Triformis ascensus domini: Victoriosus, quo ascendit super occasum; speciosus, quo ascendit super cœlos cœlorum; gloriosus, quo ascendit super pennas ventorum.

**TIT. CXLVIII. De acquisitione regni cœlorum.**

Regnum cœlorum alii violenter rapiunt, ut pauperes spiritu; alii mercantur, ut illi qui faciunt amicos *de mammona iniquitatis (Luc. XVI)*; alii furantur, ut mulier quæ clam tetigit simbriam vestimenti Domini; alii compelluntur ipsum intrare, ut pauperes sæculi.

**TIT. CXLIX. De iis quæ pretiosam faciunt mortem.**

Pretiosam mortem aliquando facit vita, ut in confessoribus; aliquando causa ut in martyribus; aliquando vita et causa, ut in plerisque post sanctam vitam coronatis martyrio.

**TIT. CL. De quadruplici visitatione Dei.**

Modis quatuor visitat nos Deus: Exhibitione præcepti, præceptum enim aliud carnale, aliud spirituale; asperitate flagelli, cuius modi sunt quinque, ut ab iniquitate corrigat, ne quis de collata virtute superbiat, ut virtus hominibus innotescat, ut alios cuius exemplo compescat, ut corona cumuletur et crescat; novitate miraculi, quod visibile et invisibile; inspiratione subtili.

**TIT. CLI. De quatuor virginibus ducendis.**

Quatuor virgines sunt quas in conjugium sociare debemus. Eloquentia philosophalis, quæ est Zelpha

ancilla Jacob; sententia judicialis, quæ per Ralam A designatur; innocentia actualis, quæ Lia potest dici; contemplatio spiritualis, quæ Rachel intelligitur.

Tit. CLII. *De tribus candelabris.*

Candelabra in Scripturis reperiuntur tria : lægalis obscuritas, quæ sphæras habet et lilia; prophetalis subtilitas, quæ habet duas olivas in cacumine suo, et Evangelica veritas, quæ habet in medio sui similem Filio hominis.

Tit. CLIII. *De tribus munitionibus animæ.*

Munitiones quibus anima vallatur tres sunt : sedula circumspectio, quæ est sepes; sanctorum intercessio, quæ est vallum firmissimum; divina protectio, quæ est murus protegens ab incursu hostium.

Tit. CLIV. *De tribus spem roborantibus.*

Spem nostram triplex ratio discutit et roborat : humilitas collatæ sapientiæ, quæ est ovum in aqua coquere; firmitas constantis sapientiæ, quod est ovum igne assare; virilitas inspirationis occultæ, quod est ovum in sartagine frigere.

Tit. CLV. *De tribus quibus Deus vincit hostes.*

Tribus sunt quibus Deus exercet vindictam in hostes nostros : lavacri salutaris remedium, quod velut mare Rubrum occidit Ægyptios; pœnitentiæ condignæ exercitium, quæ velut sulphur peccatores condignæ exercitium, quæ velut sulphur peccatores interimat; districtioris extremæ judicium, quod velut ignis ad vocem Eliæ idololatrias involvit.

Tit. CLVI. *De triplici lecto animæ.*

Lectus animæ quo pausat tripartitus est : gravitas debilitatis corporeæ, quam sibi languidus sanatus substernit, tranquillitas quietæ conscientiæ, in qua fugiente David statua ponitur. Illic est cui duæ culcitræ supponuntur : de præterito securitatis et fiduciæ amplitudo; de futuro remunerationis et præmii certitudo. Cervical quod supponitur capiti, divinæ familiaritatis et gratiæ largitudo. Lectus tertius humilitas superioris gloriæ, quæ est lectus floridus, quem sexaginta fortes ambiunt (*Cant. III*).

Tit. CLVII. *De tribus vitrinis.*

Vitrinæ per quas solis radius infunditur, tres sunt. Charitatis integritas, per quam peccati remissio se infundit; humilitatis puritas, per quam Mariæ gratia cœlestis illapsa est; intellectus subtilitas, per quam radius sapientiæ cor illustrat.

Tit. CLVIII. *De septem lampadibus mentis.*

Septem lampades thronum electæ mentis illuminant : Charismata sancti Spiritus, quæ plenius propheta prosequitur (*Isa. II*), quæ dum oleum gloriæ vinumque timoris et infirmitatis cœlesti igne consumunt, lumen veritatis incessabiliter administrant.

Tit. CLIX. *De triplici educto apposito.*

Quod nobis apponitur ad edendum trifarium est

A carnis edulium : hædus de capris in fructu pœnitentiæ, quem Jacob obtulit patri suo Isaac, ut benediceretur; vitulus de armento in actu justitiæ, quem Abraham expendit in cibum angelorum; vitulus saginatus in cumulo gloriæ, quem pater recepto filio prodigo dicitur mactasse.

Tit. CLX. *De triplici horto animarum.*

Triplex est hortus in quo electæ animæ spatiantur : molestia corruptibilis vitæ, quæ est hortus nucum, in quo Susanna lavatur; amœnitas jucunditatis supernæ quæ est hortus deliciarum, in quo ponitur Adam ut operetur et ipsum custodiat; dulcedo et suavitas visionis divinæ, quæ est hortus conclusus, in quo Joseph statuit sibi monumentum in petra excisum. Munda quoque conscientia pro sui diversitate hos in se suscipit hortos.

Tit. CLXI. *De tribus mensis appostis.*

Esuriei nostræ mensæ tres apponuntur : legis et Evangelii sacramentum, in quo sumuntur sapientiæ dapes; Catholicæ institutionis mysterium, ubi accipitur pars piscis assi, et favus mellis; æternæ satiæ arcanum, quod intra velum est, et continet panes propositionis et vitæ.

Tit. CLXII. *De tribus thesauris faciendis.*

Thesauri quos thesaurizare debemus tres sunt, desiderium pietatis in corde, qui absconditur in agro ut ematur; doctrina veritatis in ore, quæ est thesaurus nivis et grandinis; assiduitas perseverans in homine, quæ habet frumentum et hordeum et oleum et mel. Hi sunt thesauri Magorum, qui aurum, thus et myrrham nato Domino obtulerunt.

Tit. CLXIII. *De quatuor differentiis panum.*

Quatuor differentiæ panum in Scripturis reperiuntur, quibus diversæ generis humani deplorantur miseriæ : panis coctus in stercore humano, bovino, cinere, et clibano. Quibus diversi affectus mentis humanæ exprimuntur.

Tit. CLXIV. *De voto tribus altaribus imponendo.*

Altaria quibus vota superponere debemus tria sunt : Divinarum sanctionum expletio, quod fit de lignis setim in deserto; beatorum multiplex advocatio, quod fit de lapidibus quos ferrum non tetigit; Redemptoris humilis incarnatio, quod fit de terra.

Tit. CLXV. *De tribus puellis sensum nostrum evertentibus, de quibus ut de aliis multis prolucius habitum est supra.*

Puellæ quæ avertunt sensum nostrum, tres sunt : teneritudo carnis nostræ, quæ est Dalila, quæ Samsonis oculos eruit; amœnitas mundialis gloriæ, quæ est Jezabel, quæ Nabot occidit; diffidentia futuræ vitæ, quæ est filia Herodiadis, quæ caput prophetæ sustulit.

## LIBER SEPTIMUS.

## DE DIVERSIS.

TIT. I. *De ecclesiarum et æanum sanctarum spirituali ornatu.*

*Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina (Cant. 1).* Domus sunt varii fidelium conventus; tigna, quæ ad munitionem valent prælati, quorum verbo et exemplo sustentantur. Hæc sunt cedrina, cujus odor serpentes fugat, quia virtute verbi venenata dogmata, cogitationes, opera solent expellere. Laquearia quæ ad decorem autum pertinent, ii sunt qui Ecclesiam virtutibus ornare potius noverunt quam reformare. Hæc tignis debent affligi, quia qui in Ecclesia moribus splendere desiderant, summorum Patrum dictis et exemplis tota mente inhæreant. Suntque cypressina. Cypressi autem venustatem comæ ventorum impulsu non deponunt, constantiam eorum exprimentes qui sanctam Ecclesiam altioribus virtutum ornâtibus velut laquearia decorant.

TIT. II. *De ædificatione templi sive Ecclesiæ morali ex ligno, auro et lapide.*

Templum Salomonis ex triplici materia; Ecclesia ex tribus constat ordinibus. Triplex materia: aurum, ligna, lapides: lapis prælati, aurum contemplativis, lignum confertur activis. Ligni ut pars sursum erigatur, pars deorsum demittitur. Activi, ut cœlestis gloria potiantur, piis actibus in terra occupantur. Aurum quod invenit homo abscondit: et de contemplativis dicitur; *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum (Psal. xxx).* In lapide qui scriptus est digito Dei, tria sunt: Scriptura, ignis, duritia. In prælato debent esse doctrina, dilectio, correctio. Scriptura notat doctrinam, duritia correctionem, ignis dilectionem. Nec dilectio sine correctione, nec correctio utilis est sine dilectione. Utrumque necessarium; plus tamen amandum amari quam timeri. Quod mystice Salomon docet in base templi quæ prælati aptatur, ubi cum cherubin bovem pariter sculpsit et leonem. In cherubim scientia: in bove mansuetudo, in leone terror innuitur. Scientia pertinet ad doctrinam, mansuetudo ad charitatem, terror ad correctionem. Virtutem doctrina parit, charitas fovet, correctio conservat. Doctrina instruit ignorantes, charitas consolatur pusillanimes, correctio comprimit contumaces. Sicut templum Salomonis ex triplici materia, sic ex tribus ordinibus constat Christi Ecclesia. Unde hæc tria conveniunt prælato doctrina, ne cæcus cæco ducatum præbeat; charitas, ut congaudeat veritati; correctio, ut vitiosis non consentiat. Prælatus cum Noe regit arcam in diluvio. Contemplativus cum Daniele orat ad fe-

nestram orientalem in cœnaculo. Activus cum Job universis necessitatibus patientibus pio subvenit auxilio. Prælatus est in agro ut seminet verbum Dei, contemplativus in lecto ut suavitate Dei fruatur, activus in pistrino, ut sollicitetur et turbetur erga plurima pro amore Dei. Et qui horum trium ordinum Christus erat forma futurus, cui conformarentur, seipsum proposuit, ut verus magister prius fecit, postea docuit (*Act. 1*). Ut devotus contemplatur ascendit in montem salus orare, ut sedulus mini ter non venit ministrari, sed ministrare. Ipse quoque in templo corporis sui triplicem hanc materiam præsentavit. Non tantum enim Salomonis templum, templum Ecclesiæ, sed et corporis Christi templum signat, de quo ait: *Solvite templum hoc, etc. (Joan. 2)*. Et hoc templum constat auro, ligno, lapide. Unde legitur: *Nascitur ibi aurum terræ illius optimum, ibique invenitur bdellium* (quæ, ut Plinius ait, arbor est odorifera) *et lapis onychinus (Gen. 11)*. Terra illa est beata Virgo; cætera Christum signant, qui constat deitate, carne, anima. Lapis congruit divinitati propter immutabilitatem, aurum animæ propter tribulationem quam sustinuit, lignum carni, propter infirmitatem. De primo dicitur: *Ego sum Deus, et non mutor (Mal. 3)*. De secundo: *Tristis est anima mea usque ad mortem (Matth. 26)*. De tertio: *Ego sum vermis et non homo (Psal. 22)*. Secundum divinitatem miracula operatus est; secundum animam nobis compassus est; secundum carnem tormenta passus est. De primo leo, quia fortis; de secundo gallina, quia multum misericors est; de tertio agnus, quia multum mansuetus et mitis. Horum, scilicet leonis, gallinæ et agni, id est verbi, carnis et animæ facta est conjunctio, quando Deus et homo convenerunt in unum, ut miro commercio fieret excelsus humilis, incognitus visibilis, ἀθάνατος, id est immortalis, passibilis et mortalis.

TIT. III. *De templo Salomonis allegorice.*

In templo Salomonis, quod generatim significat Ecclesiam, quæ in cœlis et in terris subsistit, tria notanda occurrunt. Porticus sive atrium ante templum, ipsum templum et oraculum quod dicitur sancta sanctorum. Erantque tria ostia: porticus, templi, et oraculi (*III Reg. 6*). Porticus ante templum figuram gerit eorum qui fuerunt tempore legis ante Christi adventum. Templum notat integrum Christum caput, scilicet et membra ipsum subsequentia. Oraculum significat quod utrisque dantur interioris regni cœlestis gaudia. Ostium porticus sermo propheticus qui solis radios primum percipit. Ostium domus ipse est Christus, qui ait: *Ego sum*

*ostium* (Joan. x). Oraculi aditus regni aditus cœlestis. In templo sunt fenestræ obliquæ, id est intus latiores. Hi sunt doctores Ecclesiæ qui prædicatione lumen quod acceperunt aliis infundunt; intus latiores, quia quod exterius prædicant, intus magis in opere tenent. Vel extra quod recipiunt lumen, parvum est ejus comparatione quod intus in spe gloriæ tenent.

#### TIT. IV. De eodem.

Super parietem templi sunt tria tabulata (III Reg. vi): Primum habebat latitudinis septem cubitos, secundum sex, tertium quinque. Hi sunt tres ordines in Ecclesia: conjugatorum, continentium, virginum; vel laicorum, clericorum, monachorum. Primum et secundum in terrenam conversationem amplius, tertium cæteris strictius. Vel primum cœnaculum præsentem signat Ecclesiæ statum; secundum, statum post hanc vitam notat animarum; tertium autem monstrat duplicem animarum et corporum post judicium gloriam. Ostium erat in latere templi, a quo per cocleam intus per parietem erat ascensus in medium tabulatum; et a medio ad tertium, in quo Dominicum corpus notatur. In cujus latere ostium factum est, dum in cruce unus militum lancea latus ejus aperuit, et exiit sanguis et aqua (Joan. xix). Aqua qua in baptismo abluimur, sanguis quo in calice sancto consecramur. Per hoc ergo ostium ascensus fit ad medium et tertium tabulatum; quia per fidem et mysteria Redemptoris de præsentem sæculo et Ecclesiæ conversione ad requiem animarum post mortem, et rursus post judicium ad requiem animarum ad immortalitatem ascendimus corporum quasi in tertium tabulatum. Intus hoc autem iter sit per cocleam, quia invisibiliter fit. Nullus nisi qui Domino duce per hæc ad cœlestia scandit agnoscit; et si qui foris sunt tantum ibi celebrationes intuentur sacramentorum. Hoc tabulatum in Evangelio dicitur pinnaculum, ubi tentatur a diabolo Dominus. Habebant autem singula tabulata in circuitu latera, ne ab his quispiam residens deorsum laberetur: quæ quotidianam virtutem divinæ protectionis vel humilitatis custodiam, qua in bonorum operum arce custodimur, notant, ne in malis dum a Deo deserimur, vel in bonis dum a nobis extollimur, ad infima cadamus: sicut Ozias qui de cancello cecidit, in quem separatus a domo David ascendit. Quia et si mali ascensum bonæ actionis tenent, quia tamen unitatem domus David non habent, quasi fatiscientibus laterum præsiidiis, ad vitiorum declivia labuntur, dum divino destituti auxilio, proprio fastu intereunt. Hæc latera jubet Moyses in omni domo fieri dicens: *Si ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua; et sis reus alio labente* (Deut. xxi). Si ædificas novam conversationem, adhibenda est humilitatis custodia, ne in ipsa per superbiam cadens, sis reus et tui et proximi quem exemplo occidisti.

#### TIT. V. De eodem.

*Operuit parietem domus a pavimento usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia intrinsecus lignis cedrinis* (III Reg. vi). Lapidis parietis facti sunt lapides vivi, qui super fundamentum quod est Christus, crescunt in habitaculum Dei, juncti cæmento charitatis, supportantes invicem alter alterius onera in timore Dei. Hi intus vestiuntur cedro. Cedrus autem est arbor imputrescibilis, odore et aspectu jucunda, serpentes fugans et perimens accensa. Tales enim sunt sancti, qui per patientiam insuperabiles, fama et operibus alti, diaboli astutias exterminantes, igne divini amoris accensi, a pavimento domus usque ad summitatem parietum cedro operiuntur, hoc est ab initio fidei usque ad consummationem boni operis, et usque ad laquearia, id est ad ingressum cœlestis patriæ. Laquearia tria fuerunt: primum in primo tabulatu, secundum in secundo, tertium in tertio. Laquearia ergo justos intelligimus, vel illos qui in præsentem Ecclesia, vel illos qui in futuro statu animarum, vel post judicium animarum et corporum; qui Ecclesiam Dei ornant, et positi in superiori parte domus vel hic vel in futuro, orationibus protegunt. Usque ergo ad superiora laquearia lapis in pariete vestitur, qui usque ad ingressum eorum qui sunt in requie in fidei firmitate perdurat. Ipsi quoque parietes sicut et pavimentum, quod pretioso lapide super lapidem tabulis abiegnis, et super tabulas laminis aureis dicitur stratum, post cedrum auro operiuntur, ut sanctorum omnis vita notetur expressa. Lapidem enim vivi, tam in pariete quam fundamento, sunt sancti fortitudine fidei in unitate conglutinati. Tabulæ cedrinæ sive abiegnæ sunt sancti alitudine sui terrena spernentes, et ad summa tendentes virtute patientiæ, et odore virtutum dæmones fugantes. Auræ laminæ sunt supereminentes scientiæ charitatem habentes, quæ marmori et lignis superponuntur, quia sicut aurum aliis metallis, ita charitas cæteris supereminet virtutibus: Quæ tria breviter notat Apostolus dicens: *In Christo nec circumcisio, neque præputium valet; sed fides quæ per dilectionem operatur* (Gal. v). Fidei namque invictæ lapis figuram tenet; cedrus, actionis odoriferæ: aurum, transcendentis omnia dilectionis.

Vestitur lapideus paries tabulis cedrinis, cum fides ornatur operibus, ne sit otiosa vel mortua. Adduntur laminæ auræ, ut fides et opus Dei dilectione splendeat et proximi, ut in omni opere solus Deus quærat. Unde quia lex in lapide scripta, et doctrina Evangelii per lignum crucis est confirmata, ideo illo populus lapide signabatur in præputio; nos signo crucis consecramur in fronte. Possunt quoque nec incongrue lapides parietis sive pavimenti, fideles in lege signare; tabulæ cedrinæ, Novi Testamenti justos indicare. Et quia utrosque una supernæ retributionis manet gloria, lapidibus et lignis lamina additur aurea; quæ æternæ retributionis fulgorem designat.

#### TIT. VI. De eodem.

Ædificavit quoque parietem quo dividitur oraculum

a templo, non usque ad laquearia pertingens; sed in inferiori parte habebat aperturam per totum, quasi januam per quam ab altari thymiamatis, quod erat ante ostium oraculi, accensus Domini fumus incensurum intravit oraculum arcamque perfudit (*III Reg. vi*). Prior itaque domus, in quam semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia celebrantes, præsens est Ecclesia, ubi quotidie piis insistentes operibus, sacrificia laudis Deo offerimus. Interior vero domus, promissa nobis vita in cœlis, ubi arca fœderis et cherubim, ubi Christus, in quo solo habemus apud Patrem pacis fœdus, et beatorum angelorum solemnitas agitur, in quam semel introeunt in anno non sine sanguine. Paries qui utramque domum ab invicem dividit, claustra sunt cœli, quorum apertionem quotidie suspiramus, et donec aperiantur nobis et intrare liceat pulsamus. Quæ et si ante resolutionem corporum intrare non permittimur, apertam tamen in inferioribus habemus januam divinæ pietatis, qua orationum et eleemosynarum, jejuniorum cæterorumque bonorum operum incensum et thymiamata ab altari cordis præmittimus. Hoc altare prope ostium est oraculi, significans illas in sancta sanctorum ad aures Christi orationum voces per januam divinæ misericordiæ præmitti: qui quidem sola carne detenti, fomni desiderio ad superiora suspensi, quanto cœlesti patriæ viciniore, tanto a Deo citius quæ poscunt accipiunt. Sciendum autem quod omnes clavi, quibus in toto templo laminæ figebantur, aurei erant pondere singuli quinquaginta siclorum. Illi sunt præcepta charitatis, vel promissa beatitudinis, quibus ne deficiamus continemur. Hi quinquaginta siclis ponderantur, quia verba cœlestia remissionem peccati, gratiam scilicet et requiem æternam promittunt: quæ omnia in Scripturis isto modo significantur. Isti sunt clavi dilectionis. Sunt et alii clavi timoris, quibus incipientes illecebras vitiorum et carnis mortificant, illi scilicet sermones virtutis quibus carnem crucifigimus cum vitiis et concupiscentiis, de quibus dicitur: *Conspice timore tuo carnes meas: a iudicii enim tuis timui (Psal. cxviii)*. Qui rursus proficiens de clavis dicit: *Mihi adhærere Deo bonum est (Psal. lxxii)*. Fecit in oraculo duo cherubim de lignis olivarum. In cherubim angelica ministratio, quam in laude Creatoris, in mutua charitate, et ea quæ ad homines extendunt, notatur. Nam quod duabus alis tangunt utrumque parietem et amplectuntur; quod extendunt alas super arcam, quasi ad volandum, eos ad laudem Dei omne bonum referre et ad divinum obsequium exprimit paratos esse. Quod autem de olivarum lignis facta sunt, virtutes angelicas gratia, scilicet ne unquam ab amore Dei arescant, exprimit esse unctas. Isti in oraculo positi facies habent ad exteriorem domum, quia in gloria positi non ab hac peregrinatione eripi, et ad suum consortium desiderant pervenire. Vel duo cherubim duo sunt testamenta quæ et duos parietes tangunt, dum utriusque populo dantur, et se tangunt,

A dum in altero sit alterum, ac ipsum Christum tanquam pari concordia venerantur.

TIT. VII. De eodem.

In ingressu oraculi fecit duo ostiola de lignis olivarum (*III Reg. vi*). Hæc sunt dilectio Dei et proximi; quia januam vitæ non sive dilectione quisquam ingreditur. Hæc sunt de lignis olivarum ut operibus misericordiæ luceant. In introitu quoque templi duo ostia de lignis abiegnis; unumquodque duplex et seipsum aperiebatur continens. Sicut ingressus oraculi ingressus regni vocat; sic ingressus templi primordia conversionis quo Ecclesiam intramus. Iste ad fidem, ille ad spem. Ista sunt dilectio Dei et proximi quæ se continent: et una non est sine altera. Et unumquodque duplex propter fidei operationem: quod non sunt ostiola oraculi quia in ea videbimus quæ credimus, et nullo labore indigebimus ubi laborum præmia recipiemus. In parietibus et ostiis sculpsit cherubim, palmas et anaglypha et varias picturas. Cherubim facit quando in eis puritatem angelicæ castitatis docet imitari; palmas, cum memoriam æternæ retributionis eorum mentibus indigit, picturas varias quasi de pariete proeminentes, cum multifarias virtutum operationes ex eis imminentes tribuit. Verbi gratia, misericordiæ viscera, humilitatem et patientiam, etc. Et notandum quod de lapidibus foris dolatis ædificata est domus; quia dum ædificaretur domus, non est auditus malleus neque securis in domo. Illic enim tundimur adversitatibus et disciplinis exercemur; ut illic locis juxta meritum congruis castigatione cessante disponamur, imo spiritu impleti Deo copulemur. Notandum præterea quod ingredi volentibus templum primo in atrio inveniebatur mare, id est lavacrum ad lavandum. Ex quo a duodecim bobus fundebatur aqua. Inde in eodem atrio in ingressum templi erat altare in quo immolabantur carnes. In templo autem juxta ostium oraculi altare aureum in quo adolebatur thymiamata. In oraculo autem post velum erat arca sub alis cherubim. In his notatur ut qui vult Sancta sanctorum intrare, id est cœlum, ubi est Christus, et angelorum gloria: prius se lavet per penitentiam et in altare holocaustorum mortificet carnem, et proficiens in altari thymiamatis, præmittat perfectionis opera, postque mereatur ad Sancta sanctorum ingressum.

TIT. VIII. De eodem.

Salomon in basibus luteris, in templo imaginem cherubim leonis et bovis fecit depingi (*III Reg. vii*). Bases in templo summi sacerdotes in Ecclesia, qui sollicitudinem regiminis accipiunt, quasi bases separate, sicut onus portant. Cherubim plenitudo est scientiæ: quæ bene basibus imprimitur, quoniam decet ut summi sacerdotes plenitudine scientiæ repleantur. Per leonem terror veritatis; per bove patientia mansuetudinis. Igitur in basibus nec leones sine bobus, nec boves sine leonibus imprimuntur, quia in sacerdotibus debet esse mansuetudo et ira, ut in furore sciant iram temperare, et in mansuetudine excitare.

TIT. IX. *De cereo et quæ in eo sunt mystice.*

Cereus est Christus. Tria namque in cereo sunt : cera, lignum, ignis. Cera mirabiliter non coitu, sed ex diversa florum amœnitate colligitur. Hæc circumponitur ligno. Lignum vero igne accenditur ut luceat. Cera ergo carnem illam significat, quæ opera Spiritus sancti sine coitu concepta est de Virgine ; lignum cera indutum est, anima Christi carne vestita. Ignis quo lucet est ipsa divinitas. Vel cereus est fides et operatio. Nam cereus lumen habet, et cera sit apud magno labore, in quo operatio notatur. Lumen est ipsa fides, quæ operationem illuminat. Hæc duo debemus Christo puero offerre, ut ipse, verum lumen ortum ad illuminationem gentium, accendat in nobis lumen fidei, et seipso lumine bonum nobis datum opus æterna mercede remuneretur.

TIT. X. *De horis canonicis in quibus fit Dominicæ passionis commemoratio. Et primo de hora prima.*

Prima hora qua Dominus consputus, illusus, alapis cæsus, opprobriis affectus, Pilato propter nos astitit ligatus, et qua redivivus stans in littore in captura piscium magnorum et multorum a quibus retia rupta non sunt, mellitum convictum cum discipulis celebrans, Ecclesiam, qualis in resurrectione mortuorum futura est, significavit. Ante omnem igitur curam corporis, primam horam diei offeremus Creatori nostro et Redemptori, qui passus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (Rom. iv). Quærendum enim primum regnum Dei : et cætera adjicientur nobis (Matth. vi) ; quia et in lege jubet Dominus omne sibi primogenitum offerri (Exod. xiii).

TIT. XI. *De hora tertia canonica.*

Hora tertia duplici ratione splendet insignis, quoniam hac Jesus spinis coronatus et crucifixus illis linguis Judæorum est, quorum dentes arma et sagittæ, et lingua est gladius acutus, qui, Pilato judicante dimitti, firmaverunt sibi sermonem nequam (Psal. lxxiii), clamantes ; Tolle ! et : Crucifige eum ! (Marc. xv ; Luc. xxiii.) Et quia Spiritus sanctus qui in remissionem peccatorum non fuerat datus antequam Jesus esset clarificatus, super nascentem Ecclesiam in igneis linguis sub horam tertiam effusus est.

TIT. XII. *De hora nona canonica.*

Hora nona jure in laudem Domini celebratur, quando clamans Jesus magna voce emisit spiritum, (Matth. xxvii), et latrone admissio in paradysum, venia quamvis sero veraciter tamen pœnitentibus dedicatur, et qua recisso velo legis et prophetarum, cœpimus revelata facie gloriam Domini contemplari, et perforato latere Christi formandæ Ecclesiæ proflexerunt elementa, sanguis ejus quo redimimur, et aqua qua abluimur. Hujus ergo horæ nobis celebrandæ quadruplex est ratio.

TIT. XIII. *De Vespertina et matutina.*

Vespertinæ et matutinæ laudis sacrificium magnis est sacramentis dedicatum. Vespere et mane jugiter

A in lege jubetur offerri holocaustum. Vespere Dominus panem et vinum assumens et in veritate sui corporis et sanguinis repræsentans, propriis portatur in manibus, testamentum suis scripsit hæredibus, humilitatem et charitatem lavando pedes discipulorum commendans, et post jam moriturus solemnitate longi sermonis amicis et filiis ultimum valedixit. Item in vespere apparens vivus, in fractione panis agnoscitur, et hæsitantia discipulorum corda injecto igne charitatis succendit. In matutino negantem Petrum galli cantus redarguit, Dominus respicit ; et negator ad pœnitentiæ lacrymas confugit. Nuntiata resurrectione Domini a sanctis mulieribus, tristitia fidelium in gaudium convertitur, quia qui erat mortuus, vivum se ostendit, et tangi dignatur et adorari. Et nota quod, cum cæterarum partes horarum septenæ sint, id est versus, *Deus in adjutorium*, cum gloria, hymnus, psalmi, lectio et oratio completa, his horis octava additur, canticum scilicet de Evangelio, quia cantatur pro octava in beatitudine resurrectionis, qua insignitæ sunt juxta sensum Evangelii, *Vespere*, inquit, *Sabbati quæ lucecit in prima Sabbati*, etc. (Matth. xxviii).

TIT. XIV. *De hora completorii.*

Hora completorii nobis illud commemorat de passione Domini, quod, egresso Juda, cœpit Dominus pavere et lædere, et factus in agonia prolixius orare et guttis sanguinei sudoris torcular solus calcans, in futuro sanguinem martyrum pro se fundendum præsignat. Itemque de resurrectione ejus : quod postquam fecerat pacem inter Deum et homines, legatus fidelis rediens evangelizavit nobis, stans in medio discipulorum et dicens : *Pax vobis* (Joan. xx).

TIT. XV. *De vigiliis nocturnis canonicis.*

Vigilias nocturnas de quibus Propheta : *Media*, inquit, *nocte surgebam ad confitendum tibi* (Psal. cxviii) evangelicæ gratiæ claritas instituit. Nam nocte media Dominus nascitur. Idem, ut Samson, quondam obsessus media nocte, contractis inferni portis surrexit a mortuis, media nocte venturus asseritur in similitudinem Ægyptii temporis, quando Pascha celebratum est, et exterminator venit, Dominus super tabernacula transiit, et in typum nostrarum frontium postes sanguine agni consecrati sunt. Unde reor, inquit beatus Hieronymus, traditionem apostolicam permansisse, ut die vigiliarum Paschæ ante noctis medium dimittere non liceat populos expectantes adventum Christi, et postquam advenerit illud tempus, securitate præsumpta festum diem cunctos agere. »

TIT. XVI. *De oratione ante lectiones.*

Lectiones oratione prævenimus, quia rogare debemus Dominum messis ut mittat operarios in messem, et aperiat cor nostrum in lege sua et in præceptis, ne semen verbi quo audituri sumus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut durities oetræ frustrata radice supplantet.

TIT. XVII. *De benedictione ubi lecturo ante lectionem petenda.*

Lecturus, benedictionem petens, significat quod nemo, nisi misens, officium prædicandi usurpare debet: *Quomodo enim, inquit Apostolus, prædicabunt nisi mittantur?* (Rom. x.) Quod autem in fine dicit: *Tu autem, Domine, miserere nostri*, innuit quod officium prædicandi sine pulvere vel levis culpæ difficulter possit peragi; et quod quia pedes evangelizantis quasi per terram ambulant et sordidantur, misericordia indiget, ut in hac parte lavetur, etiam si totus sit mundus. Quod *Deo gratias* succinit chorus, non ad precem lectoris, sed totam lectionem respicit. Gratias enim agimus quod doctrinæ suæ panem nobis frangit, ne fame verbi Dei pereamus. Nam ad lectiones, quarum in fine *Tu autem, etc.*, non dicitur, scilicet ad capitula horarum, quia verbum Dei est in quo vivit omnis homo, *Deo gratias* similiter succlamamus.

TIT. XVIII. *De campanarum significatione.*

Campanæ sicut et legales tubæ, sanctos Ecclesiæ prædicatores significant, qui ad Sion montem et civitatem sanctam Jerusalem et futurum Dei iudicium populum invitant et præparant, sensumque auditoris surdi ad audiendum magnitudinem rei, magnitudine dicendi flectere contendunt. Duritia metalli fortitudinem mentis, plectrum ferreum quo sonus eliditur, constantiam sermonis imitatur: *Ecce dedi, ait Dominus, frontem tuam duriorum frontibus eorum; et ut adamantem et silicem faciem tuam* (Ezech. iii). Fugiens quoque terrenam habitationem et dicens: *Nostra conversatio in cælis est* (Philipp. iii); sursum cor suspendat, pendensque de turre fortitudinis, quæ constat contra faciem inimici, speculatorem se noverit positum domui Israel. Gestet autem lignum crucis in capite mentis, funem exinde colligatum, id est vinculum charitatis, usque ad infirmos fratres, quasi ad terram porrigat: quo commonitus personare et os suum dilatare non cesset, dicens: *Charitas Christi urget nos* (II Cor. v). Item custos super muros Jerusalem constitutus (Isa. lxi) non taceat iustans opportune et importune, iis qui dormiunt in lectis eburneis (Amos. vi), nocte ebrii sunt et læsciunt in stratis suis, et illi qui nocte dormiunt et nocte ebrii sunt, ad laudem Dei quasi violenter excitentur, ne usque ad matutinum, id est tremendum Dei iudicium somno consequuti pereant. Trinum autem solemnium diei classicum, id est matutinum, vespertinum, et quod ad missæ pulsatur initium, sic imitetur evangelicus prædicatorum chorus ut semper prædicet lamentationes præsentis vitæ, carmen futuræ, et væ gehennalis iræ.

TIT. XIX. *De Dominicis Adventus et earum officiis.*

Primus adventus in persona commemoratur antiquæ Ecclesiæ, id est, in III Dominica. Secundus adventus expectantibus et desiderantibus jam instare denuntiatur prophetis et apostolicis tubis. Ideo vero secundus adventus duabus Dominicis decuratur, quia primum adventum sola quæ præ-

cessit, incarnationem Domini promissam expectavit; secunda tam præcedens quam subsequens audivit. Illa prophetis tantum, hæc prophetis et apostolicis edocta præconiis. Quapropter in secunda propheticum personat officium populus Sion; in tertia apostolicum: *Gaudete in Domino semper* (Philipp. iv).

Quarta Dominica quæ diem nativitatis novissimam respicit, tempus illud commemorat quo imprægnato jam et tumido utero virginis, prope erat Dominus; et calcans se in corpore Virginis Dominus corrigiam suæ ligabat incarnationis quam se Joannes non posse solvere confitetur (Joan. i). Ideoque dicitur *Dominica vacans*: quæ ita vacat officio ut nulli sanctorum, qui omnes officiales ejus sunt, hanc regis Christi ligaturam corrigiæ solvere, id est sanctæ incarnationis mysterium denudare fuerit creditum, sed solummodo stans Idumæa illa, id est gentilitas, quæ promissum audierat: *In Idumæam extendam calceamentum meum* (Psal. lxi); et respiciens illud tempus quo rex qui hoc promiserat egressus de sinu (Paris in utero calcabatur, et insolubilem sanctæ incarnationis corrigiam suis circumdans gressibus, et videns neminem mysterii hujus habere investigationis officium, tantum orandi innuit officium clamans in Introitu: *Memento nostri, Domine, in beneplacito tuo* (Psal. cv), id est Filio in quo tibi bene complacuit solo ex millibus populi tui; *visita nos in salutare tuo* (ibid.), eodem scilicet Filio instar medici ægrum dignatione gratuita visitantis.

TIT. XX. *De primæ Dominicæ Adventus officio.*

Prima vero Dominica ad primum spectans adventum, hujus intentionis habet officium, ut iis quibus necdum venit Dominus, id est qui fidem non receperunt incarnationis, adveniat tanta salus ut levent ad Deum animam suam, et confidentes in Domino non erubescant, neque irrideant inimici, id est dæmones; sed vias suas eis demonstrat Apostolus, dicens: *Scientes quia hora est, etc.* (Rom. xiii).

TIT. XXI. *De secundæ Dominicæ Adventus officio.*

In secunda autem Dominica parvulo et pupillo filio peregrina matre nato; qui Patrem nunquam vidit, quem, matre narrante, in cælum abiisse audiens, sicut cervus ad fontes, patris absentiam plorans, præsentiam desiderat, et gemitibus et precibus cælum pulsatur, et commiserescens mater secundi adventus officium canit, desideranti Patris reditum imminere denuntians, consolatur et dicit: *Populus Sion: ecce Dominus veniet ad salvandas gentes, et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, qua dicit: Venite, benedicti Patris mei, etc.* (Matth. xxv). *In tætitia, inquit, cordis vestri*: quæ tanta erit ut levare debeamus corda nostra. Unde et in Collecta precamur: *Excita, Domine, corda nostra, id est leva et exhilara ad preparandas unigeniti tui vias*. In tertia quoque Dominica hoc idem vox

clamat Apostolica, ut et si quis dilaceretur, persecutiones sustineat, et pro dilatione Patris gemat, gaudeat in tribulationibus; et iterum gaudeat repocita in cœlis, propter hoc, multa mercede, nihilque sollicitus sit, quia Dominus prope est ad remunerandum, tantum modestia ejus nota sit omnibus hominibus; et petitiones innotescant apud Deum (Philipp. iv). Et nota quod hoc tempore diaconus et subdiaconus non utuntur dalmatica et tunica, quia subdiaconus tanquam lex ante incarnationem carebat ornatu Evangelii; diaconus tanquam ipsum Evangelium latuerit, cujus claritas quanta sit nondum apparuit ante sacramenta incarnationis, passionis et resurrectionis. Utuntur autem casulis, quas lecturi exuunt maxime protestantes illam suam non esse vestem; sed propter Dominicæ diei vel alicujus reverentiam festi se accipere accommodato, ut inopem atque indecenter consolentur expositionem. Eadem de causa *Gloria in excelsis* (Luc. ii): et *Ite missa est* intermittitur, quod illud tempus significat quo adhuc expectabatur gaudium pacis, et quo nunc solliciti præstolamur consummationem nostræ salutis.

**TIT. XXII. De duabus missis in nocte Natalis Domini et de una in die.**

Duæ missæ noctis Nativitatis fiunt, ut Ecclesia in honorem nativitatis, qua Deus Pater ex secreto suæ substantiæ illum genuit, primam missam ordinaret et in memoriam ejus qua per uterum Virginis benedictus Filius ante incarnationem credebatur venturus, secundam succinerent. Tertia vero fit in die, qua eum non venturum sed venisse exsultans, venisse proclamat: *Puer natus est nobis* (Isa. ix). Ad hoc enim officium primæ missæ æternam ejus genituram exprimit, et officium secundæ sedem temporalem futuram et officium tertiæ ipsam factam esse manifeste demonstrant. Quod autem duæ lectiones in his missis leguntur, id significat quod per duo cherubim qui se invicem aspiciunt versis vultibus per propitiatorium, incarnatum Dominus designatur vel figuratur. In hac ergo solemnitate in omni missa leguntur duæ lectiones: una de Veteri Testamento, altera de Novo, ut, dum Vetus hoc faciendum denuntiat, quod Novum clamat factum, quasi cherubim invicem se aspiciant: et dum dispensationis Christi mysterium concorditer nar-

**TIT. XXIII. Quod Alleluia, in Septuagesima non canatur, et quare.**

Antiquæ auctoritatis et dignitatis canticum *Alleluia* tempore Septuagesimæ de ore tollitur sanctæ Ecclesiæ. Quidquid enim sempiterna musica, glo-

riaque Patris de corde ipsius æterni musici nata, cujus est etiam psalterium et cithara: Sicut dicitur ei: *Exsurge, gloria mea, psalterium et cithara* (Psal. lvi), Jesus scilicet Christus, de æterna jucunditate suis auditoribus exhibuit, quorum beati oculi qui viderunt et aures quæ audierunt: quidquid, inquam, de cœlestibus gaudiis ore suo Dominus Jesus prædicavit, Alleluia nostrum est; novum canticum, laus suavis. Hoc autem neque veteres sancti Patres videre. Unde: *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ vos auditis, et non audierunt* (Luc. x). Neque nos quandiu peregrinamur a Domino in corpore videre possumus vel audire. Cum itaque plorabilem antiquæ Ecclesiæ nondum redemptæ statum commemoramus nostrumque incolatum, quia prolongatus est, deplangimus, pulchro ordine Alleluia de ore nostro tollitur, quia per illud Alleluia significatur, quod nondum illis advenerat, et a nobis recessit, et ablatum est sponsus a filiis. Die vero resurrectionis quando nova soboles renascitur, et claritate replentur agni novelli, qui venerunt ad fontes, nova Ecclesia, nova tot mundo nuntiat gaudia hoc nomine. Alleluia.

**TIT. XXIV. De Septuagesimæ ratione et paschali lætitia.**

Septuagesimam nominamus septem Dominicas sequentes. In quarum prima miser homo a paradisi felicitate, a Creatoris facie projectus, clamat: *Circumdederunt me gemitus mortis* (Psal. xvii). In septima a Septuagesima Dominica redeunt de peregrinatione hac et de convalle lacrymarum dicitur: *Lætare, Jerusalem*. Ideo autem Septuagesimam vocamus, quia hoc idem officium innuitur quod significatum est illa septuagenaria captivitate populi Dei, qui realiter sedit et flevit super flumina Babylonis. Non enim dicitur Septuagesima a septuaginta diebus qui terminantur ad Sabbatum, quo albæ ponuntur, cum nihil indignius sit quam captivitatem eo numero signari intra quem dies resurrectionis occurrit, nobilitas anni, decus mensium, aurora dierum: quo victo captivatore, Dominus victor surgens suos omnes liberavit. Hoc idem dicitur de Sexagesima, Quinquagesima, Quadragesima.

**TIT. XXV. De Sexagesimæ officio.**

In Sexagesima ille quem *circumdederunt dolores mortis* (Psal. xvii) suam miseriam considerans, jam incipit clamare ad liberationem, dicens: *Exsurge, quare obdormis, Domine* (Psal. lxxiii). Unde et Redemptor calamitatis ejus miscutus: *Exiit seminare semen* (Matth. xiii) bonum in terram cordis ejus, et est statio ad Sanctum Paulum digna satis causa. Exsurgens enim ad vocem orantis miseri qui dormire videbatur, seminator verbi Dei, sapientiæ cœlestis aratores suos conducit sanctos apostolos, et præcipue sanctum Paulum qui plus omnibus laboravit, operarium utilem, ducem verbi et vere seminatore verborum, per quem omnes entes cognoscunt.

vernunt gratiam Dei quam ad gentes misit, et acuto vomere lingue suæ corda dura proscindens, fidei et morum semen copiosum effudit. Unde sacerdos ingressus, in Collecta celebrem doctoris gentium memoriam facit. Amplius ad hoc sequens Epistola pertinet, qua idem fortissimus cœlestis agricola et operarius veros labores suos enumerat et pericula quibus illum affecerunt qui Domini sui fines invaserunt et arari non permittebant, qui rebellantes Dominatori universæ terræ aratrum ejus confrugerunt et boves jugularunt innocuos. Disseminato verbo doctoris, in Graduali canit: *Jam sciant gentes quoniam nomen tibi, Deus; et qui repulerunt positi sunt ut rota; quod surgentes in his quæ retro sunt, id est in carnalibus, cadunt in anterioribus, id est in intellectualibus; et quæmadmodum ante faciem venti, sic disperierunt stante spiritu iræ Dei.* In Tractu gratias agit seminatore quod commota terra et conturbata, id est universi peccatores qui, culturas suas execrabiles advertentes, commoti sunt ad pœnitentiam, et per significationem prædicationis incipientes timere, fugiunt a facie arcus, id est divini judicii: in quo duobus Testamentis quasi duobus cornibus inflexis, rebelles divini verbi damnationis sententia feriuntur. Lecto evangelio orat in Offerenda: *Perfice gressus meos (Psal. cxviii).* Timendum est enim ne susceptum semen verbi Dei, si ceciderit secus viam, id est in exterioribus vacantes, diripiatur a volucris immundorum spirituum, vel a spinosis divitiis suffocetur, vel sine humore charitatis arescat, et sic non perficiantur gressus nostri. In ipsa vero Offerenda postulatur misericordie Dei, ut Deus custodiat semen suum sicut pupillam ne compungatur a suffocantibus spinis (Luc. viii); protegat sub umbra alarum, ne sicetur ab ardoribus solis, id est æstuantis avaritiæ; eripiat ab impio, ne auferat verbum de cordibus nostris, ut dicat bona terra afferens fructum in patientia: *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo (Psal. xvi).* Quod et communio. Canitur: *Introibo, inquit, ad altare Dei (Psal. xlii).* Semen enim Dei terram nostram in qua crevit quod mutabile est sursum vehit secum in horrea cœli, quia, cum terra simus, nisi verbo Dei, quod est Christus, portemur, in cœlum non ascendimus, sicut ipse ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi, (Joan. iii) etc.* Cum quo et per quem sublevati portantes manipulos justitiæ lætificabimur, Deo renovante juventutem nostram, vigore novitatis æternæ.

#### TIT. XXVI. De Quinquagesimæ officio.

In Quinquagesima, is qui, calamitatem suam considerans, in superiori Dominica de profundis clamaverat ad Dominum ut exsurgeret et non repelleret eum usque in finem, videns captivitatem suam, et diabolium omnem contra ipsum vitiorum movere exercitum, a quo *omnis qui pie vult vivere persecutionem patitur (II Tim. iii)*: et audiens sibi dictum: *Fili, si vis converti ad Dominum, præpara animam tuam ad tentationes (Eccli. ii)*; adiutoris Dei implorat

A protectionem, dicens: *Esto mihi in Deum protectorem.* (Psal. xxx) etc. Et quoniam nihil sine ipso valet, cum neque currentis neque volentis sed ipsius miserentis sit, ut videat per se cæcus et faciat bonum, hoc idem in Collecta orat; et Domino dicenti sibi in Evangelio: *Quid vis faciam tibi? (Marc. x.)* respondet: *Domine, ut videam (ibid.).* Apostolus quoque ad illuminationem ejusdem cæci in Epistola curam recipit, dum cunctis charismatibus excellentiorem viam demonstrat, id est charitatem, *Si lingua, inquit, hominum loquar et angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans aut cymbalum tinniens (I Cor. xiii).* Hæc est enim cordis lumen et oculus, quo qui caret cæcus est, et in tenebris ambulat et nescit quo eat. Nam et cæcum B illuminare cœpit Deus genus humanum, dando fidem filiis Israel. Hoc primum collyrio innixit ejus oculos, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum, etc. (Matth. xxii.)* Ad hanc illuminationem nota sit per Graduale in gentibus virtus illuminatoris. Propter hanc etiam dicitur in Tractu: *Intrate in conspectu ejus; quasi dicatur: Accedite et illuminamini (Psal. xxxiiii).* Propter hanc quoque et in Offertorio gratias agimus, dicentes: *Benedictus, etc.* Quia vero non satis est illuminationem scientiæ percepisse; nisi abiciamus carnalia desideria, congrue illorum exemplo terremur de quibus dicimus in communione: *Mauducaverunt et saturati sunt (Psal. lxxvii).*

#### TIT. XXVII. De quadragesimæ officio

C In quadragesima quasi ex persona Liberatoris dicentis se invocanti: *Ecce adsum, clamat Ecclesia in officio. Invocabit me et ego exaudiam, etc.* Unde in omnibus quæ sequuntur, Christum jejunantem tentatoris insidias superasse, super aspidem et basiliscum ambulasse, leonem et draconem conculcasse narrat, victoriam eandem nobis corpori ejusdem capitis reponitens. Sed quoniam Scriptura prophetarum hoc dicentium, usque ad adventum Christi et passionis ipsius tempus clausa fuit, quia tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est occulta scientia in prophetis, donec *Agnus Dei, solus dignus solvere librum, significata ejus in passione sui complendo aperiret propheticas voces, idcirco ab hac Dominica vela depensa ducuntur ante sanctæ Ecclesiæ altaria, ut populus non videat sancta sanctorum donec in hebdomada ante Pascha, depositione velorum eadem reveletur significatio, quæ facta est per hoc quod velum templi scissum est, tradente Domino spiritum.*

#### TIT. XXVIII. De die cinerum in Capite jejunii

In Capite jejunii neque cineribus caput aspergere, neque nudis pedibus ambulare opus esset, si omnes lugendi scientiam haberemus, cunctisque illud æqualiter saperet quod propheta exprobrans: *Cecidit, inquit, corona capitis nostri: vae nobis quia peccavimus! (Thren. v)*, et omnibus esset in promptu facere illud: *S. indite corda vestra et non restimentu vestra (Joel. ii).* Nunc autem maxima pars nostrum sponte non meminit qualem ornatum capitis, id est

cordis, Deum offendendo perdidit. Neque possunt facile corda tepida scindi, nisi extrinsecis adjuvatur ornamentis. Ut igitur meminerimus quod pulvis sumus, quod nos esse pater noster oblitus fuit, quando projecit Deum coronam suam, et exinde sensit nuditatem suam, cinere capita aspergimus, imas partes nudamus, hoc habitu consistentes quod non dii nec de cœlo sumus, sed homines, et de terra habuimus principium; et quod per peccata gloria nostra spoliati, et inter hostes nudi constituti, ornatu gloriæ Dei indigemus.

**TIT. XXIX. De pœnitentia incipiendâ eadem die.**

In Capite jejunii cinis et cilicium, quæ sunt arma pœnitentium, nobis proponuntur. In cilicio memoria peccatorum pungentium, ut peccatum nos non delectet, sed pungat et feriat, et ad puniendum admonet: ideo fit de pilis caprarum quæ pro peccato solebant offerri. Cinis significat quod ædificium diaboli prius in nobis male constructum debet esse combustum, et ardorem peccati in nobis refriguisse. Unde immundus in lege qui lavabatur aqua non plene mundabatur usque ad vesperam, id est donec fervor defecisset. Cinis autem ille non sine causa fieri solet de sarmento, non passim de quibuslibet lignis. Sarmenta in vite pretiosiora sunt quibuslibet lignis silvestribus, quod fructifera sunt et pretiosum fructum afferunt. Infructuosa vero sarmenta sunt cæteris viliora, quia in nullam fabricam conveniunt, sed in ignem ut ardeant. Ita et Christiani a Christo vite præcisi tanto gravius puniuntur, quanto amplioribus Dei beneficiis sunt abusi.

**TIT. XXX. De secundæ dominicæ officio vacante:**

Secunda Dominica Quadragesimæ vacat, nec habet officium nisi mutuatur ab alio, notans quod post imploratum et præstitum nobis divinum auxilium, propriis vacamus officiis, curam carnis non facientes in desideriis, sed a vitiiis vacantes etiam a propriis usibus, ut hoc non nobis sed Dei nostri attribuamus miserationi, quoniam in mutato Introitu rogamus reminisci miserationum suarum, ne unquam dominantur nostri inimici; et in Graduali, ut de necessitatibus nos eruat. *Ad te, Domine, levavi animam meam* (Psal. xxiv), *Miserere mei secundum eloquium, etc.* (Psal. cxviii). In Offertorio, itemque in Communione: *Intellige clamorem meum* (Psal. v). Quæ ideo de jejunii die mutuata sunt, quia mali desiderii passiones, quæ per dæmoniosam Chanaanæ filiam designantur, pro qua tanquam pro qualibet peccatrice anima clamat magna illa mulier Ecclesie mater, non ejiciuntur, nisi in oratione et jejuniis.

**TIT. XXXI. De Dominica tertia quadragesimæ.**

In tertia Dominica solummodo divinis intenta jam liberata Ecclesia habet oculos, in Introitu dicens ad Dominum: *Oculi mei ad Dominum* (Psal. xxiv). Et in Tractu gratulabunda: *Ad te levavi animam meam* (Psal. lxxxv), gaudens quod in Evangelio immundus spiritus exierit ab ea, et fortior Christus superveniens fortis diaboli vasa, id est homines quos in

A pace possidebat, et arma distribuit (Luc. xi). Ideoque in Offertorio prædicat judicia Domini recta, quod ejecto a se dæmone rursus ad illum de quo exierat, id est populum judaicum, permissus sit reverti. In Communione gratulatur quod tanquam *passer invenit sibi domum, et ut turtur nidum* (Psal. lxxxiii), ut cum beatis sit qui habitant in domo Domini, et qui in sæcula sæculorum laudabunt te, vel tanquam post sex dierum opus Sabbatum celebrantes.

**TIT. XXXII. De Dominica « Lætare, » quæ est quarta.**

Dominica qua *Lætare, Jerusalem*, in Introitu cantatur, a Septuagesima Sabbatum mundi, id est requiem significat in qua electorum animæ deposito carnis onere, velut post bella victrices depositis armis feriatæ lætantur; et singulis stolis, id est beatitudine animæ muneratæ resurrectionem in qua binam animarum et corporum gloriam recipient, præstolantur. Illic Jerusalem, quæ sursum est mater omnium, lætatur, et diem festum gerens pro numerositate filiorum de hujus sæculi peregrinatione redientium, repositas effundit epulas, et lacteas ex suis uberibus maternæ consolationis effundit delicias. In hujus consolationis præconio gratulabunda Spiritus sancti allocutio prophetali ore ad eam præmittitur. *Lætare, Jerusalem, etc.* Et consolatio quæ hic canitur: *satiemini ab uberibus consolationis ejus.* In Collecta poscitur quæ est consolatio libertatis Dei: quam in Epistola supponit Apostolus: *Ille, inquit, quæ sursum est Jerusalem, libera est* (Gal. iv), ipsa est *pax in virtute, et abundantia in turribus* (Psal. cxxi). De qua in Graduali canimus: *Lætantes in his quæ dicta sunt* (Psal. cxxi), nobis a sanctis apostolis et doctoribus nostris, in *domum Domini ibimus* (ibid.). Ad quam cum venerimus complebitur quod in Tractu dicitur: *Non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem* (Psal. lxxiv). Cum ablata fuerit virga, id est potestas peccatorum, quam etsi ad tempus dimittit ad probationem, non relinquet Dominus super terram justorum. Hujus quoque lætitiæ est illud vitale sanctorum convivium, quo Dominus in Evangelio de quinque panibus et duobus piscibus satiat quinque millia hominum, id est quo de Pauli, Moysi et prophetarum libris crescente copia divinæ benedictionis inter ora comedentium, id est inter studia tractantium affatim reficitur mundus, quondam a scientia Dei jejunos, et affluentia dictionum repletis armariis lassi convivæ assistimus. Hoc convivium divinæ cognitionis hic incipit; perficietur in illius sabbati, de quo loquimur, perenni gloria. Unde Apostolus: *Nunc ex parte cognoscimus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (I Cor. xiii). Unde in Offertorio convivas lætantes in epulis laudum, ipsumque convivii patrem benedixit ex Sion, qui habitat in Jerusalem, ut ex præsentis Ecclesie, quæ dicitur Sion, id est, *specula*, in qua videmus nunc per speculum, laudem Domini personare incipientes,

perficiamus in ea in qua habitat ipse cœlesti Jerusalem; quæ secundum Communionis mysticum sensum adhuc ædificatur ut civitas de vivis et electis lapidibus, inquam, ascenderunt tribus Domini, nobilibus tribus, regales tribus, sacerdotales tribus.

Tit. XXXIII. *De Dominica in Passione.*

Ostenso superioribus Dominicis septem, quomodo a valle lacrymarum et plorationis ascendatur ad civitatem deliciarum et glorificationis, Dominiæ Passionis inchoatur celebritas, ut quanta hæc divinæ miserationis magnitudine obtineatur, præ omnium oculis efferatur, et piis fidelium mentibus ingerantur vulnera et cuncta mortis insignia, quæ pertulit pro cunctis unica salus Deus et homo Christus, Unigenitus Patris. Nam prodeuntia vexilla crucis et fulgidum ejus mysterium, acetum, fel, arundinem, clavos, et lanceam perforati corporis tam in nocturnis quam in diurnis semper meditatur canticis. Sicque sunt comæ capitis Ecclesiæ, id est cogitationes cordis, quasi purpura regis intincta canalibus, dum passionem Redemptoris authenticis meditatur Scripturis, id est pretiosis purpuræ tincturis quæ per ora prophetarum et apostolorum, velut per quosdam canales Spiritu sancto conficiente perfluxerunt. Ipse qui jusserat filiis Israel: *Si quando exhibitis ad bellum vel habebitis dies festos, clangetis tubis super holocaustis et pacificis nostris (Num. x).* Ipse Rex noster, exiturus ad bellum passionis contra diabolum principem mundi, ipse summus sacerdos noster, habiturus epulum corporis et sanguinis sui, cum discipulis celebraturus festum suæ sanctæ resurrectionis, clangit tuba tanti miraculi resuscitati Lazari, quo et corda piorum ad credendum animaret. Unde et ei cum palmis et laudibus obviam procedunt; et hostes turbati, pontifices scilicet et Pharisæi, collegerunt consilium adversus Jesum, dicentes: *Quid facimus? quia hic homo tanta signa facit; si dimittimus eum sic, omnes credent in eum (Joan. xi).* Et quia ab hac hora cogitabant quomodo eum tenerent, jam non palam ambulabat coram eis: sed eum tulissent lapides ut jacerent in eum, abscondit se et exiit de templo (Joan. viii), futurus pontifex futurorum honorum, sicut in Epistola invenitur, non illis qui sicut in Tractu, sæpe expugnaverunt ipsum ex juventute ejus, id est primordiis in sanguine Abel justis, et iterum expugnaverunt occidendo prophetas et lapidando qui ad ipsos missi sunt. Nos cum capite secedentes, vocem lætitiæ et laudis suppressere incipimus, *Gloriam patri in quibusdam subtrahentes (licet brevibus) versiculis: Quia Gloria sanctæ Trinitatis, propria laus est. Unde capitis nostri solitudinem et silentium non palam ambulantis, dum non dicitur, significat.*

Tit. XXXIV. *De Sabbato in ramis Palmarum.*

Sabbato ante Palmas vacat, quoniam Dominus papa eleemosynam dat. Hoc est illud Sabbatum quando Dominus in Bethaniam venit, et in domo Lazari quem suscitaverat cœnat, ubi *Maria Magda-*

*lena pedes ejus lavit et capillis tersit (Luc. vii),* sicut refert Evangelista: *Ante sex dies Paschæ, inquit (Joan. xi), etc.* Ibi celebri mysterio commendatum est odoriferum opus eleemosynæ. Maria, id est Ecclesia, pedes Domini, id est pauperes tanquam extrema membra Christi, capillis, qui corpori superfluunt, tergit, id est divitiis quæ divitiis superabundant sustentat. Ut igitur dominus papa celebrem cum Maria Domino cœnam exhibeat, hoc Sabbato eleemosynam dat; atque ita circa pedes Domini occupatur.

Tit. XXXV. *De Dominica in ramis Palmarum*

Dominica in ramis Palmarum qua Dominus Jerusalem passurus intravit, illa luna decima existit, quia præceptum erat in lege, ut decima die tolleret agnus, et in quarta decima servaretur immolandum. Et nota quod Moyses in virga decem plagis Pharaonem et Ægyptum percussit: quibus quidem affligitur, sed donec imoletur agnus non vincitur, quia Christus in legis disciplina tanquam in virga decem præceptis quasi decem plagis suo captivatori repugnare jubet populo Dei, quem diabolus in libertate paradisi conditum in Ægypto hujus mundi captivum tenuit; sed sicut Pharaeo decem plagis non adeo vincitur ut filios Israel dimitteret, sic et diabolus decem præceptorum observatione non adeo superatus est, ut homo in paradysum rediret. At ubi Agnus Dei Christus immolatus est in morte primogenitum Pharaonis, id est originale peccatum deletum est et in mari Rubro baptismi Christi sanguine rubentis, actualia quoque peccata cum illo altero penitus absorpta sunt, Dei populo liberato. Luna ergo decima Christus, verus Agnus præcepto Patris obediens, in civitatem Jerusalem cum ramis palmarum acceptus, passurus recipitur. Et ideo post processionem palmarum ejus passio legitur. Hæc autem processio præsignat quæ utilitas sit in sanguine ipsius, et quis fructus passionis ex illa misericordia, in cujus multitudine benedictus advenit. A monte enim Olivarum primum duos in castellum quod contra eos erat præmittit, ut asinam et pullum illic alligatum solventes sibi adducerent; ascensurus enim erat gloria et honore propter passionem, coronatus ad dexteram Patris, qui est Deus pacis, fons et origo luminis, mons Olivarum, pater misericordiarum, et inde dando dona hominibus missurus est apostolos qui, ligandi et solvendi potestate accepta, asinam et pullum, id est utrumque populum ab errore et onere peccati absolverent, et in adducto sibi humano genere per fidem sedens, ipsum in cœlestem Jerusalem induceret, turbis angelorum cum laude occurrentibus, palmarumque victorias cum ramis olivarum, quæ sunt pacis insignia sublevantibus. Hoc non debet uno actu cum Dominicali computari, nec enim Dominicæ resurrectionis lætitiâ commemoramus, qua hoc nobis significavit quod in Galilæam, id est transmigrationem ad videndum Dominum cum apostolis debeamus exire, ut non simus vetusti, sed in novitate vitæ ambulemus (Rom. vi). Unde semper

In hujusmodi processione prelatos nostros præeuntes quasi Dominum in Galilæam sequimur, et locum quo suprema statione processionem terminamus recte Galilæam nominamus. Unde etiam in his processionibus, ut et gratulemur matri Virgini in resurrectione unigeniti ejus jam non morituri, in cuius passione animam gladius transiit, una statione decantando quod ei sit proprium ejus memoriam facimus etiam diversorio ejus quod in claustris ipsi consuevit esse provisum, eaque salutata processionem pro consuetio postperagimus. Prima autem palmarum non lætitiæ resurrectionis, sed sacramentum præfert fructus Dominicæ passionis, quo illa, sicut prædictum est, ultima Domini processio figuratur. Quia ergo processio palmarum sacramentum est fructus illius passionis Domini, et hac die obediens Patri, calicem passionis bibere venit, recte cum eisdem cum quibus est exceptus palmarum ramis prius legitur passio Domini, et sequitur totum officium de passione, in qua in summa hominis humilitate Deus illuditur, conspuitur, dorsum dat percutientibus, orat pro inimicis, et cætera, obediens Patri patienter fert, quæ nobis imitanda Paulus in Epistola proponit manifeste, dicens: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, etc. (Philip. 11.)*

TIT. XXXVI. *De feria tertia post ramos Palmarum.*

Post palmas tertia feria legendam passionem præcurrit illa Lectio, qua consilia cogitantium de morte Christi ostenduntur sic dicentium. *Venite, mittamus lignum in panem ejus (Jerem. xi)*. Per hos enim dies usque ad quartam feriam studia eorum magis fervescerant, sed timebant ne forte tumultus fieret in populo. Sicut enim superbissimus Aman, erecta cruce quam paraverat Mardocheo, opportunitatem quærebat, qua regi de illo suggereret ut apprehenderetur et appenderetur, sic diabolus, inito consilio in domo sua, id est in cordibus Judæorum, dicendo: *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, quærebat opportunitatem tradendi Jesum potestati Romanæ. Utionem ergo videmus ejus in eodem ligno transfixi. Nos vero Judæi sumus cum Esther, id est Ecclesia, liberati, ut in Epistola dicitur: et ideo *Gloriari nos oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi (Gal. vi)*, quæ a poena reorum sublimata est in fronte imperatoris. Cætera quæ sequuntur, verba sunt agonizantis Christi, et suam resurrectionem exorantis.

*De feria quarta ejusdem hebdomadæ sanctæ.*

Feria quarta quando abiit Judas et pactus est Judæis tradere caput Ecclesiæ, ipsa ejus passionem audit, qua, positus genibus, prolixius orasse in agonia factus memoratur, et sudorem ejus decurrentem sicut guttas sanguinis, contremiscit, et tantorum miraculorum contemplatrix, perinde ac si attonita repentino clamore concrepat: *In nomine Domini omne genu flectatur (Philipp. 11)*: percutiens terrifico clamore humana corda, ut nullus stare audeat rigidus et elatus, cum videt hominum et angelorum Dominum procidisse, et in sudore

vultus sui agonizare. Dicto autem cum clamore Introitu, protinus Isaias desiderantissimus hujus Dominicæ passionis expectator, quasi præsens accurrit, lectoris voce nos ad videndum agonem illum excitat dicens: *Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit (Isa. LXII)*. Et ut ostendat opus passionis cui intendebat, et mercedem gloriæ qua coronandus erat, subdit: *Ecce merces ejus cum eo et opus illius coram illo (ibid.)*. Cujus etiam habitum admirans. *Quis est, inquit, iste qui venit de Edom*, id est de sanguineis et de terrenis Judæis, *vestibus*, id est membris, quæ sunt indumenta Deitatis, *tinctis purpura sanguinis de Bosra (Isa. LXIII)*, quæ interpretatur *firma*, id est de civitate Jerusalem quam suo auxilio magis quam muris Deus firmaverat. Cui cum respondisset: *Ego qui loquor justitiam (ibid.)*, rursus interrogat; si loqueris justitiam, *quare rubrum est indumentum tuum pressura crucis? Torcular, inquit, calcavi solus (ibid.)* pro omnibus. His auditis, chorus sciens Domini sui agonem in persona sua orat in Graduali, dicens. *Ne avertas, etc.* Altera autem Lectione pronuntiata, audiens eum non habentem speciem neque decorem, *despectum et novissimum virorum*, vulneratum propter iniquitates nostras (Isa. LIII), et cætera quæ ibi narrantur, sit quod non alia die excepta sexta feria in Sabbatis Quatuor Temporum, ut non Alleluia quod per dies Pentecostes fit, non Graduale, sed Tractus sequatur. Musicus enim ille qui dixit: *Cantavimus vobis et non saltastis; lamentavimus et non plorastis (Luc. VII)*, cujus lamentationi Graduale, quasi ploratio poenitentiae, et cantationi Alleluia quasi saltatio respondet. In illa locutione ablatum a nobis auditur, et ideo non Alleluia gaudii, non Graduale cujuslibet luctus, sed Tractus multis mœroris sequitur. Quod enim tractus magis quam gradus luctui congruat inde ostenditur, quod non Alleluia ut gradus, sed pro Alleluia gradus quadragesimalibus diebus, quibus mortem per invidiam mundum intrasse lugemus, canitur. Fit autem ut prima Lectione tantum cum Parasceve fiat in omnibus, ad majorem luctum exprimendum, quod quarta tantum venditus cum discipulis habebatur, Parasceve autem penitus ablatum crucifigitur.

TIT. XXXVII. *De officio in Cœna Domini, præcipue de chrismate tunc instituto.*

Inter tristes horas, quibus capita, id est initia præcedimus, et fines earum sub silentio abscondimus, solemnitatis diei Cœnæ Domini missa celebris et solemnior exultat; sicut medias inter nebulas sol interdum subrutilat. Causa hæc est, quia enim die hac verum sacrificium ipse summus Sacerdos, ipse hostia contradidit, sacrificiique ritum instituit, accipiens panem et calicem, dicensque: *Hoc est corpus meum (Matth. xxvi)*; *Et: Hic est sanguis meus (ibid.)*, sequæ ipsum agnus typicus Deo primus offerens, Novum Testamentum suis hæredibus sanguine suo conscripsit, recte in medio tristitiæ quæ per omnes horas notatur, missa tanquam in die institutionis suæ

solemnem concentum, ætumque ministrorum altaris A suæ resurrectionis visibilem se præbuit. Quod autem a cæteris invisibilis salutatur, significat quod Christus in cœlum unde venerat rediens, sicut dicit: *Exivi a Patre, et veni in mundum: et iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem (Joan. xvi)*, a nobis corporaliter non videtur, quem tamen quotidie venerando salutamus.

Tit. XXXVIII. *De mysterio in lotione pedum.*

Duplici, scilicet morali et historico sensu Dominus nos instruit, dum surgens a cœna ponit vestimenta, et præcinctus linteo, et aqua in pelvim fusa pedes lavit discipulorum. Nam historice dans exemplum, ut quemadmodum fecit et nos faciamus, nostram superbiam deprimit. Quomodo enim, cum simus pulvis et cinis, non erubescamus in contemptum nostri similitum rigidam cervicem et staturam erigere, quando audivimus Creatorem cœli et terræ, flexis genibus, ad solum, lavandis discipulorum pedibus incurvatum esse? Hic quoque moraliter pietatis sacramentum est, quod Christus surrexerat a cœna paternæ gloriæ, deposuerat purpuram sui imperii, seipsum exinaniens, et terrena carne quasi linteo, cujus materia de terra oritur, præcinctus, fudit aquam baptismi vel pœnitentiæ, vel sanguinem suum velut aquam in pelvim; atque cum illum in remissionem peccatorum sumimus, quotidie lavat pedes nostros, id est actus, quamvis semel loti per baptismum toti sumus mundi per fidem, quos si hoc modo lavare contemnimus, non habebimus partem cum illo. *Nisi enim, inquit, manducaveritis carnes Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, etc. (Joan. vi.)* Convenienter præmittitur huic lectioni evangelicæ, apostolica: qua cum dicitur *Convenientibus vobis, etc. (I Cor. xi)* qualiter hoc sacramento lavemur ostenditur, ut prius *probet seipsum homo, et sic edat (ibid.)*. A sordibus enim nulla re melius purificamur, quam ut odientes peccata nostra ad hanc mensam pure accedamus. Hoc etiam opere Ecclesiarum prælatis more regum gentium dominari prohibuit et ministrari, sed in morem servorum lavare pedes et illis ministrare. Ubi autem subditi similes bestiis sunt, prælatos eis dominari vetus est auctoritas. Ubi homines sunt rationabiliter vivendo, etiam si pulvere venialium pedes sædaverint, evangelicus homo non prælatum se noverit, sed se ad lavandos pedes, et porrigendum osculum humiliter se illis submitat.

Tit. XXXIX. *De duplici mandato perficiendo.*

In ipso autem die cœnæ Domini duo mandata consuevit homo facere, pauperum videlicet et congregationis: In primo, Maria suscipiens Christum in Bethania, ad convivium surrexit a cœna et accipiens libram unguenti, unxit pedes Jesu, et capillis tersit, et domus impleta est ex odore unguenti. Hæc mulier typum gessit Ecclesiæ, quæ pedes Domini unguens, id est pauperes eleemosynis refovens, capillis tergit, dum eos superfluis reficit. Hoc ergo mandatum est Ecclesiæ obsequium; ideoque omnis congregatio pedes lavat pauperum, quæ veluti Maria

Christum in Bethaniam ad cœnam invitat, dum pauperes in quibus Christus, in domo obedientiæ charitatis officium exhibendo recipit, surgens a cœna, quasi jejuniū frangens, fert libram unguenti, dum surgens a mensa post modicum gustum intentionem gerit eleemosynæ Christum redolentis. Hoc mandatum pauperum dicitur Ecclesiæ; mandatum autem congregationis Christi. Ideoque in primo tota congregatio; in secundo soli prælati vice Christi deserviunt. Pulchre autem Ecclesia suo mandato Dominum suum prævenit, ut, antequam Christus pedes discipulorum lavet, ipsi discipuli Christi pedes, id est pauperum lavent, et eleemosynæ unguento ungant, ut domus, in qua Christus, hora qua per prælatos nostros pedes laverat, impleatur ex odore huius unguenti.

TIT. XI. *De officio trium noctium, videlicet in cœna Domini, in Parasceve, et sabbato sequenti.*

In nocte Cœnæ Domini, quando traditur Christus, et nocte Parasceves, quando crucifigitur, et nocte Sabbati quæ est in sepulcro: canonici et monachi in usitato ordine novem Lectionibus vigiliis celebrant, et in tenebris consummant, obsequia triduanæ Christi mortis insinuantes, et ipsas vigiliis luctui mortis Christi deputari ostendentes, quæ parum aut nihil ab officio mortuorum distent. Ideoque in omnibus horis capita præcidimus, et fines sub silentio abscondimus, quia ipse qui est initium et finis,  $\alpha$  et  $\omega$ , per hos dies a nobis ablati est, in manus peccatorum traditus, et inter iniquos projectus. *Gloria Patri* omnino subtrahitur propter hoc ipsum quod in quibusdam locis a Dominica de Passione cœpit subtrahi, quia ex tunc Christus cœpit ad mortem inquiri. Quod candelæ finitis singulis psalmis aut lectionibus, singulæ exstinguuntur, factum Judæorum repræsentat, qui singulos prophetas solem nascentium præcedentes, et prophetico sermone lucentes impletis prophetiæ officiis occiderunt. Illa autem quæ suo lumine Evangelium cum legeretur illustravit, ultima non major cæteris exstinguitur: dum Christus qui evangelizavit quasi unus ex prophetis reputatus, ultimus est occisus, et hic exstinctus profundas illis erroris et perfidiæ tenebras reliquit. Unde crucifixo Domino *tenebræ factæ sunt per universam terram* (Luc. xxiii).

TIT. XII. *De ignis exstincti mystica recuperatione per dictum tempus.*

Amisso igne ad lapidem Christum per eosdem tres dies confugimus ut eo percusso ignem occultum eliciamus, vel crystallinum lapidem soli obicientes escam subijcimus, ut mediante crystallo aspectu solis carbones exstincti reviviscant. Lapis percussus ignem emittit, dum Christus lapis angularis verberare crucis percussus, Spiritum sanctum nobis effudit: quod in oratione benedictionis ejusdem ignis satis ostenditur. Crystallus autem medius inter solem et exstinctos carbones, mediator Dei et hominum est, homo Christus Jesus (I Tim. ii), qui inter Deum et exstinctos homines medius interveniens, a

A Deo Patre per seipsum nobis ignem ingerit, quem ut ipse testatur, venit mittere ut ardeat (Luc. xii). Si ergo lumen Christi amisimus peccando, ad novi ignis benedictionem solemnī processione exeamus extra castra improprium ejus portantes, credentes in eum quem in se Judæi a præsentī vita exstinxerunt.

TIT. XIII. *De incrementis tristitiæ Ecclesiæ, imminente Dominica passione.*

Deinde, imminente vespera, majora tristitiæ sequuntur incrementa, altaria spoliuntur, campanæ conticescunt, omnes horas præter nocturnas triste silentium absorbet, altare nudatur, dum Christus illud utique altare quod de terra fieri a Moyse præcipitur, nostræ menti præsentatur, sine specie et decore, ut cum propheta eum propter nos exspoliatum videntes, dicamus: *Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Vere languores nostros ipse tulit* (Isa. liii.), etc., *ipse speciosus forma filii hominum* (Psal. xlv), seipsum exinanivit, nudatus omni honore, non solo divino, sed dum conspuitur, et alia patitur, etiam humano. Hoc autem altare hispidis ramusculis aqua et vino lavatur, dum Christus asperis flagellis aquam ablutionis et vinum redemptionis nobis propinasse creditur. Campanis silentium indicimus, notantes sanctos Christi præcones, qui charitatis igne decocti, et divina institutione formati, in protectione Dei cœli tanquam in turre fortitudinis commanentes, quadam supernæ dilectionis chorda commoventur, ut tota die et nocte non cessent laudare nomen Domini, scilicet sanctos apostolos, non solum tunc conticuisse, sed etiam fugisse. Unde illa vehemens campana Petrus, cujus vox dicitur: *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (Matth. xvi), in omnem terram exivit, tunc non solum reprimitur, sed fugit, et negando rauca sonat. His ergo signis cessantibus, Christum torcular calcantem, solumque in ligno crucis extenso corpore tympanizantem, ligneo malleolo in tabula suspensum et personantem, populum ad Ecclesiam invitantem significamus. Hoc quoque silentium apostolorum Horarum silentium notat. Nocturnæ vero non solum sub silentio, sed magis sonora voce decantantur, quia tempus aliud per diem, per noctem aliud notatur. Nam diurnis horis præsentiam significamus Dominicæ passionis; nocturnis autem priora, per quæ futuram eandem passionem prophetæ aperte pronuntiaverunt, quinque non tacentes occisi sunt. Nobis eorum voces protendentibus candelæ exstinguuntur: quarum ultima quæ exstinguitur ad canticum Evangelii, ipsum Dominum qui evangelizans occisus est significat, ut eo exstincto jam pro morte tristes in die sileamus.

TIT. XIV. *De Parasceve quare sit dolore potius quam gaudio celebranda; et de penitentia tunc agenda, et de Passione secundum Joannem.*

Die Parasceve, *gloriarī nos oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Gal. vi), et in gratia tantī pretii quod pro nostra redemptione datum est, ipsam cum pura mente et devota adorare et venerari

Verum cur a missarum celebratione vocamus, et a publicis cessamus gaudiis, cum passio Dominica quæ hac die peracta est, principium sit nostræ salutis ac consummatio? Nam sicut unius martyris dies qua per passionem ad gloriam transmigravit, nobis festiva est, quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Psal. cxv), hæc dies, qua martyrum et sanctorum omnium Rex, omnibus sanctis antiquis et novis per mortem suam paradysum aperuit et inferni claustra confregit, merito majoribus gaudiis honoretur. Sed hanc gloriam et exultationem nostram, quædam dolorosa nimium obnubilant, quia nostri causa imperiosa sanctæ Trinitatis charitas hominem tantæ reverentiæ qui cum Deo verbo una est persona, hominem innocentem morti nihil debentem, morti addixit, sicut Apostolus dicit: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. viii). Non igitur debemus ita gaudere de gratia traditi vel de charitate morientis, ut non doceamus quod tanto Domino tormentorum causa fuimus, et ideo a sacrificii gaudiis cessamus. Siquidem non dolere ingratitude, sed ultra gaudere dignoscitur esse crudelitatis. Hac ergo tristi die contristemur ad pœnitentiam, ferrum lanceæ Dominicæ pertranseat animam nostram, clavi manuum et pedum carnem nostram transligant, crux nostram suspendat concupiscentiam, compatianur ut conregnemus. Hodie non sacrificemus dum nobis hostia de manibus tollitur; non sacrificent amici, dum trucidant inimici, differatur usque in diem illum quo tantus victor resurgens, suam nobis victoriam nuntiabit: profundum interim teneamus silentium mœrori amicis, et interiorem penetrantes solitudinem, solventesque cum Moyse calceamentum de pedibus, audiamus illum tanquam de medio rabi dicentem: *Videns vidi afflictionem populi mei, et descendi liberare eum* (Exod. iii). Nunc enim quasi in rubo spinis inhæret, clavis confixus, spinis coronatus, crucisque arbustum guttis sanguineis quasi rubentibus pullulat mortis, ut, sicut ait Prudentius:

. . . . . *tristes purgentur sanguis culpæ,  
Quem contorta rubus densis cruciatibus edit.*  
(PRUDENT. *Apoth.* vers. 69, 70,  
*Patrolog.* tom. LIX.)

Hac die legitur Passio secundum Joannem, et quia ultimus scripsit, et præsens, sicut notus pontifici, cæteris non audentibus adesse, interfuit: cui virgini matrem Virginem Dominus virgo commendavit.

TIT. XLIV. *De gustato vino felle misto.*

Quod cum acetum felle mistum gustasset, noluit bibere, reprobationem notat vineæ suæ gentis Judaicæ, de qua expectavit ut faceret uvam, et fecit labruscæ, tandem miscuit amaritudinem; qua gustata modice per triduum deinceps de genimine vitis illius bibere non curavit. *Resurgens enim a mortuis, jam non moritur* (Rom. vi).

TIT. XLV. *De chlamide purpurea seu coccinea.*

Chlamyde quod coccinea ignei coloris qui in tabernaculo offertur, et veste sacerdotis bis tincta legitur circumdatus geminam dilectionem significat qua obediens Patri propter nimiam charitatem suam pro nobis calicem bibit passionis, ut et nos sequentes vestigia ejus, gemina hac veste discretionis fulgeamus, et quicquid offerimus quasi ignitum et bene coloratum coram divinis placeat obtutibus.

TIT. XLVI. *De arundine Christo in manum data*

Arundinem accipere ab illudentibus non recusavit, ut sacrilegium scriberet Judæorum, et animalia venenata interficeret, et ostenderet quod virgam in manu, id est animam in potestate haberet, ut volens poneret et resumeret, et sicut virga Moysi versa in colubrum, id est in mortem, quæ per colubrum venit, colubros Ægyptiorum, id est mortes assumeret peccatorum, et iterum in virgam, id est in potestatem rediret pristinam.

TIT. XLVII. *De spinea corona et colaphis, et quod Domini non franguntur crura et de sanguine et aqua de latere ejus profluentibus.*

Spineam autem gestat coronam, ut innotescat quod peccata nostra ipse portavit. Illus colaphizatur, fortissimus præbens humilitatis exemplum, et collum, homo erubescat erigere et superbiere, tot conviciis humiliato Deo et omnium Domino. Ejus non franguntur crura, et universæ viæ ejus inter tot passiones rectæ erant, quatenus in tribulatione non deficiamus, sed firmi perseveremus. De latere ejus non solus sanguis, sed etiam aqua manavit, ut esset unde a peccatis lavaremur. Aqua enim tantum sordes corporis lavare poterat, quæ sanguini, qui est pretium redemptionis, juncta virtutem sumpsit ad abluendas peccatorum invisibiles sordes: ut compareretur vera similitudine Rubro mari, per quod salvatus populus Israel transivit, Pharaone submerso cum curribus et equitibus suis; nam fugientes Ægyptum hujus sæculi, mundatos in terram repromissionis transmittit, diabolus persequentem penitus absorbet cum præteritis actibus et pompis ejus, et ut de latere ipsius morientis nasceretur Ecclesia, sicut de costa Adæ dormientis formata est Eva.

D TIT. XLVIII. *De precibus quæ tunc pro omnibus fiunt.*

Hac die pro statu Ecclesiæ, gradibus, dignitatibus et ordinibus solemnes sunt orationes, quia orans pro omnibus summus pontifex stetit juxta aram templi habens thuribulum, etc. Juxta scilicet aram crucis habens aureum immaculati corporis thuribulum in conspectu Dei pendens in cruce sustulit, in quo orationis incensum Patri adolevit. Recte ergo et nos cum illo communes orationes offerimus quod juxta illud additum est, et data sunt incensa multa. Pro Judæis autem genua non flectimus, quia cæcitas quæ contigit Israel; nullius orationis manu potest depelli; tamen oramus utcumque, quia hoc futurum est: sed genua non flectimus, quia enim divinis ju-

diciis occurrere non possumus, vehementem orationem non intendimus.

**TIT. XLIX.** *De triplici aqua, quæ in Christo profuizit lacrymante, sudante et jam mortuo.*

Triplicem aquam et triplicem sanguinem suum nobis apposuit Christus. Plorat super Lazarum et super sanctam civitatem Jerusalem; et hæc est aqua pura. Sudanti imminente hora passionis, non tam ab oculis quam a toto corpore manat aqua cum sanguine mista, et hæc sanguinei coloris. Tertia est quæ pariter cum sanguine de ejus latere fluxit. Vere pœnitens primam habet si in spiritu humilitatis et in animo contrito maculas suorum diluit peccatorum. Sic enim largiente Domino, pellem mutabis Æthiopsis, lamentando dolens inveteratas litteras mortis. Secundam aquam habes, si in sudore vultus tui labore pœnitentiæ corpus dissolvit et concupiscentiæ flammam restringis. Jam vero si perfecte cœperis usque ad devotionem tui, in divinam profluere contemplationem tertiam a latere Domini aquam ebibisti.

**TIT. L.** *De triplici dedicatione templi.*

Triplicem templi dedicatio legitur: Prima in autumnino sub Salomone; secunda in vere sub Zorobabel; tertia in hieme sub Juda Machabæo. Salomon enim ædificavit templum, et septima die mensis septimi dedicavit. Quod Nabuchodonosor destruxit, et post septuaginta annos sub Zorobabel, tertia die duodecimi mensis est dedicatum. Ipsum quoque postea cum destruxisset Antiochus, Judas Machabæus illud mense nono dedicavit. Triplicem ergo dedicatio, triplicem notat in Ecclesia ordinem: conjugalem, vidualem, virginalem. Primo tricesimus, secundo sexagesimus, tertio est centesimus fructus. Isti sunt tres viri qui salvantur, Daniel, Noe et Job. Daniel quiescit in lecto, Noe laborat in molendino, Job nuptias celebrat in domo. Unusquisque etiam Deo tripliciter dedicatur, id est possessio Dei efficitur: Primo, per baptismi regenerationem; secundo, per pœnitentiæ satisfactionem; tertio, per peccatorum confessionem; *Templum enim sanctum est, quod estis vos (II Cor. vi)*, dedicandum illis tribus dedicatoriis. Dedicet Salomon domum quietis, Zorobabel satisfactionis, Judas confessionis. Nullum Deus habet habitaculum nisi vel in quietis, vel in pœnitentibus, vel in constantibus. Quies pertinet ad pacem, pœnitentia ad humilitatem, confessio ad timorem. Dedicat ergo Salomon quietem in pace, Zorobabel pœnitentiam in humilitate, Judas confessionem in timore; Salomon in justo, Zorobabel in justificato, Judas in justificando. Ut hic triplex in tabernaculo funiculus dedicetur, triplici fundamento fundatur. Pax nostra in bonitate, ne sit simulatoria; satisfactio in disciplina, ne sit erronea; confessio in scientia, ne sit fatua. In his tribus postulabat fundari qui dicebat: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me (Psal. cxviii)*; bonitatem, ne pax mea sit ficta; disciplinam, ne aberret satisfactio scien-

tiam, ne infatuetur confessio. Nunquam congruentior est scientia quam circa confessionem.

**TIT. LI.** *De quinque in quibus consistit templi dedicatio moraliter explicata.*

Quinque sunt, ut arbitror, in quibus consistit templi dedicatio: aspersio aquæ, cui tria miscentur, sal, cinis et vinum; inscriptio in pavimento alphabeti; unctio chrismatis in duodecim locis; illuminatio duodena; Benedictio episcopalis cuncta concludens. Aspersio profusio pœnitentiæ est et lamenti, habens cinerem, salem et vinum. Sal timor. Unde in omni sacrificio sal per omnes gradus committitur. In omnibus enim sacrificiis quæ offert Christianus, debet esse timor ante oculos ejus. Cinis est memoria circumeuntis humanitatis. Vita enim nostra est quasi linea circumducta ad idem rediens, a pulvere enim punctum incipiens, et per defectus naturales progrediens, circulariter ad pulverem revertitur. Hanc periodum inevitabilem fecit manus Domini impellentis nos cum ait: *Terra es et in terram ibis (Eccle. iii)*. Vinum est memoria Dominicæ passionis, quæ ad rezolvendum in lacrymas hominem, dum eum pro se morte turpissima condemnatum recollit, valde accommodata est. Inscriptio rigor est ordinis nostri, qui nobis a sanctis Patribus traditus est. Gemina est inscriptio, quia et in tabulis cordis, et in pavimento corporis indelebiter scribi debet ab angulo in angulum. Cor autem angulosum dicitur dolosum. Illic autem duos angulos, cor humile et cor altum vocamus, Cor humile, cum quis mente quæ in se sunt abjectissima considerat; cor altum, cum quæ sursum sunt altissima contemplatur. Vel ab angulo in angulum, ut a capite usque ad pedes, divinorum institutione informetur, vel a principio usque in finem. Unctio duodena, est apostolica institutio. Nunc itaque aspersi per pœnitentiam, inscripti per disciplinam, uncti per gratiam, illuminati per operationem, extrænam benedictionem expectetis. Scitis enim cui credidistis: et certi estis quoniam apponet justus Judex illam vobis dare benedictionem, qua electos in suum regnum vocare dignabitur, dicens: *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*Matth. xxv*).

**TIT. LII.** *De lotionem pedum in cæna: aliter.*

Transiturus Christus de mundo ad Patrem celebravit mandatum, posuit vestimenta, præcinxit se linteo, misit aquam in pelvim, factum hoc plenum est mysteriis, redundat sacramentis. Christus vestimentum deposuit, cum, purpuram regis dignitatis relinquens, se ipsum exinanivit, et linteo servilis formæ contra diabolium pugnaturus se præcinxit. Misit aquam in pelvim, dum pretiosum sanguinem in terram effudit, in illam, inquam, terram quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem Abel effusum de manu Cain, id est sanguinem Christi de manu Judæorum, id est in Ecclesiam, et in unamquamque fidelem animam. Diu vacua fuit pelvis ista, diu arida et inaquosa terra ista, et anima nostra sicut terra sine aqua. Venit Christus, effudit

aquam in pelvim, pretiosum sanguinem in terram; A ex illis ad tertias, ut sedeat cum Patre ad mensam si tamen pelvis sumus. Pelvis duo habet: concavitatem et sonoritatem. Concavitas est intus, sonoritas exterius, sic et nos debemus evacuare nos a vitiis sono confessionis, ut aquam de latere Christi suscipiamus lavantem maculas peccatorum. Exersit linteo, id est carne. Ipse enim peccata nostra in carne sua portavit. Sed quid est quod solos pedes lavat hic discipulis, quia ex ea parte qua terram tangere in necessariis compelluntur sine peccato esse non possunt, et ideo in perfectis soli pedes lavantur, id est venialia; nos autem miseri quod non tantum cogitando, sed et operando et consuecundo peccamus, cum Petro dicamus: *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput (Joan. xxiii)*. Lava pedes cogitationum, manus operationum, caput consuetudinibus.

TIT. LIII. *De purificatione triplici, et sex hydris.*

*Erant ibi sex hydræ positæ secundum purificationem Judæorum (Joan. ii)*. Tres sunt purificationes aptæ purificandis veris Judæis, in primis Judæis: Primæ, reconciliationis, quibus a mala servitute in bonos servos reconciliamur; secundæ, adoptionis, quibus in filios adoptamur, et tertiæ, glorificationis quibus hæredes Dei, cohæredes autem Christi efficiamur. Sex autem ponendæ sunt hydræ: Prima hydræ, id est purgatio, est in compunctione. *In quacunque enim hora peccator conversus fuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor (Ezech. xviii)*. Secunda est confessio: omnia enim in confessione lavantur. Unde: *Dic tu prior iniquitates tuas, et Dominus deponet eas (Isa. xxxiii)*. Tertia eleemosynarum largitio: *Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis (Luc. xi)*. Quarta injuriarum remissio: *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. vi)*. Quinta carnis afflictio: *Afflictus et humilitatus sum nimis, etc. (Psal. xxxvii)*. Sexta obedientia sermonis Dei: *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis (Joan. xv)*. Istæ hydræ illis sunt vacuæ qui nullo Dei timore ad penitentiam lamenta consurgunt. Hos jubet Jesus impleri aqua, id est divino timore. Timor enim Domini, aqua vitæ; etsi minus sapida, tamen hominem refrigerans noxis desideriis æstuantem. Aqua ista est quæ ignita jacula inimici valet extinguere. Aqua semper ima petit, et timor ad inferiora descendit, et inferna loca pavida mente perlustrat. Ejus enim vox est: *Vadam ad portas inferi (Isa. xxxviii)*. Sed divina virtute mutatur in vinum, quia *charitas foras mittit timorem (Joan. iv)*. Dicuntur autem lapideæ non per duritiam, sed per stabilitatem; capiunt singule meiretas binas vel ternas, quia duplex est timor, ne scilicet contingat detrudi in infernum, et ne ab æterna gloria excludi. Sed qui *miserunt manum ad fortia, non timebunt domui suæ a frigidibus nivis (Prov. xxxi)*, id est ne vino spiritali fraudentur. In primis nuptiis per dictas hydras purificatus transit ad secundas nuptias et purificationes, ut adoptetur et desinat esse servus, et

in regno suo; ad quas quoniam invitavit nos, simus interim similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit confestim aperiatur ei. Veniet enim expectantibus se in veritate, tanquam revertens a nuptiis inebriatus vino charitatis, et immemor iniquitatum nostrarum. Veniet autem non expectantibus, tanquam revertens a nuptiis, sed quasi potens crapulatus ac velut ebrius, immemor miserationum suarum quia quantum ad illos obliviscitur misereri Deus.

TIT. LIV. *De quadruplici purificatione per Christum instituta, in die Purificationis.*

Quatuor Christus purgationes peccatorum faciens, purificat mundum, aqua, sanguine, spiritu et igni. Hic est, inquit Joannes, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto et igni (Matth. iii)*. Primum est contritio cordis, secundum afflictio corporis, tertium opus pietatis et fidei, quartum patientia in tribulatione. His quatuor diebus purgationis nostræ purgamur ut natum offeramus cum matre et suscipiamus cum Simeone. Unde et Christus aqua baptizavit, pedesque discipulorum lavit, dedicans baptismum lacrymarum quæ de contritione profluunt cordis. Sanguinem fudit, ut et nos per mortificationem corporis participantes de ejus passione lavemus stolas nostras in sanguine Agni. Spiritum dedit: unde *charitas proximi diffusa est in cordibus nostris (Rom. v)*, ut in nobis multitudinem operari peccatorum (*Jac. v*). Quæ si minus perfecta est ut tot et tanta non valeat operire, admovet ignem confator ille qui comburat filios Levi, et quidquid residuum est rubiginis, ignis excoquit præsentis et futuræ tribulationis, ut tandem cantare possimus: *Transivimus per ignem et aquam (Psal. lxxv)*, etc.

TIT. LV. *De tribus tabernaculis, de quibus Petrus: «Faciamus hic tria tabernacula.»*

Tria sunt tabernacula: Synagoga, Ecclesia, cælum. Primum Moysi, secundum Eliæ, de quo Dominus: *Elias venturus est; et ipse restituet omnia (Matth. xvii)*. Tertium Christi tabernaculum: Primum tabernaculum factum est, ut ait Apostolus, *in quo erant candelabra (Hebr. ix)*, scilicet patriarchæ et prophetæ, et mensa, lex, panes, cibi spirituales mandatorum; secundum post velamentum legis, in quo thuribulum sunt apostoli, cujus odor aliiis mortis in mortem, aliiis vitæ in vitam (*II Cor. ii*). Urna habens manna, quæ est Christi humanitas habens divinitatem, et virga aurea et virga Aaron quæ floruit et nucem protulit amigdalynam, quæ est Maria virgo quæ Christum concepit et peperit contra naturam; tertium vero, in quod non manu factum, ut ait Apostolus, Jesus factus pontifex introivit (*Hebr. ix*). Primum fuit in umbra et figura, secundum in figura et veritate, tertium in sola veritate. In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur.

**TIT. LVI. De passionis Dominicæ voluntarie susceptæ A et crucis sublimitate et fructu.**

Dixi, inquit Dominus: *Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus (Cant. vii)*. Quo verbo tria notantur: in dicto, proponentis arbitrium et voluntas qua passus est; in ascensu crucifixi sublimitas, qua per passionem exaltatus est; in apprehensione fructus, redemptionis demonstratur utilitas, quia non sine fructu passus est. Ascendit itaque crucem voluntate, triumphavit in ea potestate, fructum ex ea collegit pietate. Uno opere pariter et mundum irrisit, et diabolum peremit, et Christianum redemit. Dicant ergo qui redempti sunt, quos redemit de manu inimici: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi! (Gal. vi)*. In qua tribus tria fecit Dominus: Sapientia nequam infatuavit consilium, justitia destruxit eum qui mortis habebat imperium, misericordia liberavit captivum. Et ideo merito in ea gloriatur, in ea liberatus, triumpho vivificatus, ministerio justificatus, exemplo confirmatus, munitus signo. Sic justæ rationis consequentia postulat ut exemplum crucifixi ad justificationem suis imprimant moribus, qui signum crucis ad munimen suis imprimunt frontibus, ut ejus vivant lege cujus armantur fide; alioquin miles characterem regis fallaciter gestat, cujus præscriptum non observat; non recte se tuetur ejus signo, cujus non parat imperio, sicut inimici crucis luxuriantes contra pietatem crucis; qui ea non se tuebuntur, cum ministerio angelorum non hominum signabitur in frontibus gementium et dolentium, ut discernantur salvandi a multitudine perditorum: quos et ille discernebat qui dicebat: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis (Gal. v)*.

**TIT. LVII. De sindone munda et corona spinea in passione Domini.**

*Involvit Joseph corpus Jesu in sindone munda (Math. xxvii)*, quia in munda conscientia suscipiendus est Dominus et puro corde, quasi in monumento novo. Spinea corona regnum ex peccatoribus significavit.

**TIT. LVIII. De obedientia, patientia, et perseverantia in passione Christi designata.**

*Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (I Petr. ii)*. In passione Christi tria virtutum insignia tanquam ad omnium aliorum inchoationem, persecutionem et consummationem declarata sunt. Prima, obedientia, qua usque ad mortem factus est obediens Patri (*Philipp. ii*); secunda, patientia magna, quoniam doloribus et irrisoribus non succubuit; major, quoniam honoribus non cessit; maxima, quoniam pro persecutoribus oravit. De hac patientia dictum est: *Os non comminuetis ex eo (Joan. xix)*; quia sicut ossa corporis, sic patientia fortitudo totius religionis: tertia, perseverantia, quoniam in cruce moritur, et non a se, sed ab alio deponitur. Obedientia ergo bellum in Christo adversus diabolum suscepit; patientia, perseverantia vicit. Ideoque si

vultis ejus sequi vestigia, ut quemadmodum ipse quem ducem in via elegistis ambulavit et vos ambuletis, propositum vobis certamen suscipite obedienter, quærite patienter, perseverate feliciter. Omne namque opus bonum obedientia inchoat, patientia tolerat, perseverantia consummat, quia omnes currunt, sed unus accipit præmium (*I Cor. ix*).

**TIT. LIX. De triplici voluntate signanda in tristitia Christi usque ad mortem.**

*Tristis est anima mea usque ad mortem (Math. xxvi)*.

In hac tristitia tria considerantur: voluntas Patris, voluntas spiritus, voluntas carnis. Voluntas Patris erat per Christi mortem humanum genus redimere. Voluntas spiritus erat eadem quæ Patris. Voluntas carnis mortem refugiebat naturaliter, si tamen mutata voluntate Dei aliquando: *Non mea, inquit, sed tua voluntas fiat (ibid.)*.

**TIT. LX. Quare prophetiæ et Epistolæ in officio divino dispari voce terminentur.**

Prophetiæ submissa, Epistolæ elevata voce terminantur, quia in Veteri Testamento temporalia quibus graves erant manus Moysi promittebantur; in Novo autem spiritualia et æterna, quæ sursum sunt et nos vocant, promittuntur.

**TIT. LXI. De tribus quæ Dominum mori pro nobis voluntaria quadam coactione compulerunt.**

Dominum Jesum subire mortis et crucis ignominiam tria quadam præcipue, coactione voluntaria compulerunt; filialis et pura obedientia, qua prioris inobedientiæ piaculum solveretur; compassibilis et communis miseria, quæ illius justitiam inflexibilem et virgam ferream ad misericordiam flecti optabant; et miseria illa et ponderosa et gravis, quæ cervicem hominum communis hostis potestate et mortis additione premebat; publica et generalis, quæ justos et injustos simili obligationis sententia pariter obligabat; continua et perennis, quæ nisi per Christum redemptionis gratia fieret, irremediabilis captivitatis nexu omne genus hominum in damnationis voragine absorbebat. Porro tertium quod spontanee coegit in mortem, est celeberrima et solennis victoria, cujus successu, inevitabilis diaboli et mortis potentia, in momento gloriose et efficaciter erat imminenda.

**TIT. LXII. De quadruplici traditione Christi.**

*Filius hominis tradetur (Math. xxvi)*. Traditionum alia missionis vel permissionis, qua Pater traxit Filium; alia propitiationis, qua filius seipsum; alia prodicionis, qua eum Judas summis pontificibus; alia damnationis, qua eum præses flagellatum tradidit Judæis. De prima: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit eum (Rom. viii)*. De secunda: *Qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis (Ephes. v)*. De tertia: *Ecce ascendimus Jerusalem, et Filius hominis tradetur (Math. xxii)*. De quarta: *Tradent eum gentibus ad illudendum (Luc. xviii)*, etc.

**TIT. LXIII. De triplici effusione sanguinis Christi.**

Triplicem sanguinem nobis fudit Dominus: de manibus, pedibus, latere. Hoc in cruce fecit pretium nostrum, in altari poculum, in exilio viaticum

in exitu de Ægypto conductum, in cœlo advocatum.

TIT. LXIV. De varia Christi apparitione variis facta, et in locis et modis; et de nostra apparitione.

Quomodo tertio die solemnitate ter repetita, tribus locis et tribus modis apparuit Christus? In stabulo tribus Magis, prima die; in baptismo paucis discipulis, secunda die; in convivio pluribus invitatis, tertia die. Prima apparitio facta est in loco vili, secunda in humili, tertia in sublimi. Hæc apparitio prima facta magis per stellam in oraculo; secunda discipulis per vocem auditam in propatulo; tertia in convivio per vinum factum in miraculo. In loco vili stella visa est sapientibus, ut sapientum sapientia destruat. Vox in propatulo audita simplicibus, ut simplicitas instruat. Vinum in miraculo mistum antepositur dubitantibus, ut infidelitas confundatur. De prima dicitur: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (I Cor. iii)*. De secunda: *Estote simplices sicut columbæ (Matth. x)*. De tertia: *Omne quod non est ex fide peccatum est (Rom. xiv)*. Apparuit autem tribus modis: In stabulo hominis filius; in baptismo Dei Filius et de Spiritu conceptus: quia dictum est: *Hic est Filius meus dilectus (Matth. xvii)*. Et super eum est Spiritus sancti visus. In convivio vero Deus quia hoc nemo posset facere nisi esset Deus cum eo. Prima apparitio in humanitate, qua verus homo; secunda in dignitate qua plus quam homo; tertia in potestate qua æqualis Deo. Similiter et nos appareamus tribus locis et modis, incipientes in stabulo, proficientes in baptismo, perseverantes in convivio. Adam apparuit, ut

in stabulo: *Infixus sum, inquit, in limo profundi (Psal. lxxviii)*. Naaman Syrus, et eunuchus Caudacis reginæ, in baptismo: *Ecce aquam, inquit, Quis prohibet me baptizari (Act. viii)*. Stephanus in convivio. *Ecce, inquit, video cœlos apertos (Act. vii)*. In primo clamat inferius: *Sana animam meam, quia peccavi tibi (Psal. xl)*. In secundo mundus orat: *Amplius lava me, Domine (Psal. l)*. In tertio famelicus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (Matth. vi)*. In stabulo curamur ejus livore; in baptismo lavamur ejus cruore; in convivio inebriamur ejus odore. De primo dicitur: *Livore ejus sanati sumus (Isa. lxi)*; de secundo: *Abluti estis, sanctificati estis (I Cor. vi)*. De tertio: *Curremus in odore unguentorum tuorum (Cant. i)*. Stabulum est in fetore peccatorum tuorum, baptismus in decore donorum, convivium in odore meritorum. Similiter tribus modis apparet, in conscientia, fama, justitia. Conscientia refertur ad stellam, fama ad vocem auditam, justitia ad vinum propinatum. Stella significat conscientiam lucidæ cogitationis; vox, famam conversationis; vinum, justitiam gratæ operationis. Conscientia latet in occulto, fama volat in publico, justitia patet in manifesto. De prima dicitur: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ (II Cor. i)*. De fama: *Luceat lux vestra, (Matth. v)*, etc. De tertia: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (ibid.)*. Per conscientiam apparent sæculares populi, per famam, clerici regulares et monachi; per justitiam, sæculares. Primi apparent incedentes lento incessu, secundi festino passu, tertii rapido cursu.

## APPENDIX

AD

## HUGONIS OPERA MYSTICA.

### SERMONES CENTUM.

#### PRÆFATIO.

Cum, Scriptura teste, *lucerna sit pedibus nostris verbum Dei et lumen semitis (Psal. cxviii)*, modis omnibus sacræ Scripturæ ver bis legendis, meditandis, audiendis, dicendis scribendisque, prout licet, studium impendere debemus, præsertim, nos fratres charissimi, sociique claustrales, qui actionis turbationibus abrenuntiavimus, et solius præstandæ contemplationis quieti nos mancipavimus. Cujus virtutis evidentissimum beata Maria, soror Marthæ, nobis præbet exemplum, quæ, sorore circa frequens ministerium satagente, secus pedes Domini, auribus intentis, sitiendo verba loquentis, optimam partem, Domino teste, legitur elegisse: *cujus laudabilem mirabilemque virtutem multi contemnant. Ex quibus nonnullos, qui*